UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentarii Tres in Universam Aristotelis Philosophiam

Crespin, François

Brvxellæ, 1652

urn:nbn:de:hbz:466:1-95346

Visual Library

Th. 929a.

T VIII 1 2. 1.

R. P. FRANCISCI

BONÆ SPEI,

Carmelitæ Reformati,

COMMENTARII TRES IN UNIVERSAM ARISTOTELIS PHILOSOPHIAM.

Collegij Soc. JESV. Padibornæ 1655.

alias Crespin

BRVXELLÆ, APVD FRANCISCVM VIVIENVM SVB SIGNO BONI PASTORIS. ANNO M. DC. LII.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

REVERENDISSIMO PATRI

PATRI MAGISTRO IOANNI ANTONIO PHILIPPINO,

TOTIVS CARMELITARVM ORDINIS

GENERALI OPTIME MERITO.

QUi rerum gerendarum gratiâ, *Reverendiſsime Pater,* ab magnis Principibus, ac Regibus, legantur, ipſorum penè Principum, & Regum, proſequendos eſſe honoribus, univerſarum gentium conſenſus, non tam legum decreto ſcivit, quàm ſancivit rationis ſacramento. Quibus enim commiſſa poteſtatis eſt alicujus authoritas, eos quaſi magnitudinis infuſæ conſpicuus character palàm obſervandos deſignaret, etiam barbari ſuſpiciunt ac venerantur. Eam ob rem, authoritatem atque magnificentiam quodammodò divinam, haud injuriâ, ſibi Gentium Magiſter aſſumere viſus eſt, quùm di-

ceret: (a) *Pro Christo ergo legatione fungimur, tamquàm Deo exhortante per nos.* Magnifica sanè oratio. Nempe, eodem ipso docente, (b) *non est potestas nisi à Deo; qui potestatibus sublimioribus* capita subditorum ob id esse voluit obnoxia, quòd orbis hujus rectores, tamquàm immensæ suæ potestatis, atque Divini moderaminis vicarios, discretis quemque partibus præficeret; Rectores ergo in Vicariis, & in Rectoribus (itaque in *Te, Reverendissime Pater*, cui Deus Prophetici currus aurigationem imposuit) ipsum Opt. Max. Numen cogitare & revereri oportebit: atque ut, vel ipse ego ita cogitem, & *Reverendissimæ Paternitati Tuæ* rependam, quod debeo, pietas suadet, æquitas postulat, Deus jubet; etenim Divini Verbi præceptum est (c) *Non apparebis in conspectu Domini vacuus:* sed (d) *solemnitatem messis primitivorum operis tui* custodies. *Tu* verò, cùm à Domino benedictus advenias, in hac pro eo legatione, & mihi & nobis, pro Domino es: sed messis nostra sterilis, humiliaque Operis mei primitiva, nisi, quod Superis commune est, anathematum nihil indigus, etiam humilia & abjecta, affectus meritò potiùs, quàm dignitate materiæ æstimanda putes: *Commentarii tres sunt in Universam Aristotelis Philosophiam*, typis elegantioribus mandati, ut quòd tuis, sive docentibus, sive studentibus, filiis, observantia regularis detrahit temporis, scriptitatio sanitatis, interciſionum & vocularum neglectus claritatis sub Amplissimi nominis tui, *Reverendissime Pater*, auspiciis, restituant typi; virum namque nanciſci oportuit,

(a) 2 ad Cor. 5. v. 20.

(b) Epistol. ad Roman. 13. v. 2.

(c) Exodi 23.

(d) ibid.

tuit, à quo cum favore ſplendorem, ac ſub commendatione authoritatem acciperent; qui, inquam, & faveret gravioribus his diſciplinis, & polleret. *Te* verò in earum cultores, quis propenſior? ipſis diſciplinis, quas apprimè ſemper coluiſti & docuiſti, quis ornatior? Hæ non ad Magiſterii dumtaxàt apicem *Te*, ſed ad univerſi etiam Helio-Mariani Ordinis cacumen, unà cum virtute ſuſtulêre; ſic (e) *ut in nullo ſis minor, qui cunctis es potior*; imò *cum authoritate humilis; cum humilitate ſublimis; non ideo melior, quia major; ſed ideo major, quia melior.* (e) Chryſ. hom. 13. in Luc.

Teſtantur profectò cuncti Religionis gradus, (f) *Studiorum Regentiæ, Cœnobiorum Præfecturæ, Provinciarum Præſulatus; Sociatus & Procurationis Generalium*, per quos res ubique ſapientiſſimè gerendo, ad ſumma præfecturæ faſtigia conſcendiſti, in *Te* jam impletum, quod priusin S. Cornelio Pont. Rom. laudavit Cyprianus: (g) *Iſte ad Epiſcopatum*, Generalatum dico, *non ſubito pervenit, ſed per omnia officia Eccleſiaſtica promotus, & in divinis adminiſtrationibus Dominum ſæpè promeritus, ad ſacerdotii*, Generalatus inquam, *ſublime faſtigium cunctis religionis gradibus aſcendit*, non intruſus, ſed (h) *vocatus à Deo tamquàm Aaron*; nam (i) *invenimus germinâſſe virgam* tuam *in* Carmelo, & *turgentibus gemmis erupiſſe* veri zeli *flores*, qui *foliis dilatatis* in ſtrictioris obſervantiæ *amygdalas deformati ſunt.* Primis quidem temporibus; quum Eliadas omnes optatiſſimo nuntio recreatos, ut (k) *in eamdem mentem tecum conſpirare & collaborare vellent* obteſtabaris, ut *in ſanctum opus cœptum incumberent*, obſecrabas, Apoſtolum doctus, (l) *Væ enim mihi ſi non euangelizavero*; tum ſuſcitâſti in plerorumque (f) Lezan. Annal. Tomo 2°. in epiſt. dicator. (g) Cyprian. l. 4. epiſt. 2ª. ad Anton. (h) Ad Hebr. 5. (i) Numer. 17. (k) Ioan. Philipp. ad Provincial. & Priores ſui Ordinis. (l) 1 ad Corinth. 9.

cordibus bonæ cupiditatis igniculos. At nuperrimè ubi conſpectus es Eliæ proto-parentis *zelo zelatus*, authoritate ac nominibus ſummorum Principum, ejuſque, quo in terris nemo poſt Deum major eſt, ſuccinctus admovere operi manum; à ſecretis, & conſiliis, licèt ſapientiſſimus, virum, etiam ex Reformatis, aſſumere; Commiſſarios delegare, qui tuis auſpiciis in Germaniam, Bohemiam, Poloniam, aliaſque plures Galliæ Provincias, regularem obſervantiam ac reformationem importarent; quinimò ipſe totius Ordinis tui ambitum circumluſtrare; nec viarum diſcriminibus revocari, diſſidentiâ locorum non retardari, bellorum tempeſtate non abduci, immenſitate laborum non deterreri ab operoſiſſima tot provinciarum peragratione, ut animi tui jam longâ ſeveritatis Aſceticæ diſciplinâ ſubacti, in filios paterna ſemina, in pace & charitate, profunderes; fortiſſimum Sylvium deſiderare deſiimus, ſanctiſſimum Sorethum mitiùs optare cœpimus; quid enim illi per Galliam, Hiſpaniam, Italiam, Germaniam, perque Belgium noſtrum geſſerint, repetere ex Patrum memoria poſſumus: à *Te* verò hîc & ibi, quàm feliciter priſcus ille ſplendor majorum reſtituatur, & oculis, & auribus haurire. Etſi tamen tuarum virtutum exempla coràm contemplari, abſentibus numquàm contigiſſet; ex hac animi tui magnitudine, an ſubmiſſione? quo totum Ordinem tuum, his impeditiſſimis bellorum temporibus, circumluſtras, proderet ipſa ſeſe, atque incurreret in oculos.

Cæte-

Cæterùm, *Ampliſsime Præſul*, ſi magnos viros parvâ obſequia ſpernere dedecet; ſi Dominus, non tam penſat donum, quàm donantis affectum; *Tu*, qui à Domino benedictus advenis, qui in hac pro eo legatione, & mihi, & nobis pro Domino es, hoc donum Levidenſe, Philoſophicum dico hunc laborem meum, ſive meo, ſive totius Provinciæ nomine *Reverendiſsimæ tuæ Paternitati* offerre non verebor; enimverò non *ſubſtantiam* oblatorum, ſed, Domini tui memor, (m) *offerentium conſcientiam penſare ſoles*, ajens, (n) *affectus pretium rebus imponit.* Illud igitur benevolâ, placidâque manu accipias velim, nec me illorum, qui tuo favore ac benevolentiâ fruuntur, numero indigneris. (o) *Deus* autem *qui fecit tibi nomen grande juxtà nomen magnorum, qui ſunt in Terra, ponat locum populo ſuo* Carmelitico, *& plantet eum, & habitet ſub te* in pace, Neſtoreoſque Deus tibi largiatur annos, à quo reformatio felicitatem, & totus Ordo Carmeliticus novum ſibi certò pollicetur ſplendorem. Ita vovet ſuo, & Provinciæ noſtræ Belgicæ nomine

(m) Beda ſuper caput 12. Marci.

(n) Ambr. lib. 2°. off. c. 30°.

(o) 2 Regum c. 7.

Reverendiſsimæ Paternitatis Tuæ

Humillimus filius & ſubditus,

F. FRANCISCUS BONÆ SPEI,

Carmelita Reformatus Provinciæ Belgicæ.

RE-

REVERENDISSIMI PATRIS

M. IOANNIS ANTONII PHILIPPINI,

Totius Carmelitarum Ordinis Generalis,

APPROBATIO.

FR. *Joannes Antonius Philippinus* S. T. M. *ac humilis Prior Generalis Ordinis* B. V. MARIAE de Monte Carmelo. *Cum opus, cui titulus est,* Commentarii tres in Universam Aristotelis Philosophiam, *à* R. P. FRANCISCO BONAE SPEI, S. T. *Lectore Primario compositum duo è nostris examinaverint, & probaverint, facultatem facimus, ut typis mandetur, si ita videbitur cæteris, ad quos pertinet. In quorum fidem*

Datum Romæ,

19 Februarii. An. 1650.

F. JOAN. ANTON. PHILIPPINUS, Generalis Carmel.

FACVLTAS

Reverendi Patris Provincialis.

FRater *Angelus à Visitatione, humilis Prior Provincialis Provinciæ Belgicæ Reformatæ, Ordinis Fratrum Beatissimæ Dei Genitricis & Virginis Mariæ de Monte Carmeli,* Reverendo Patri Francisco Bonæ Spei *Sacræ Theologiæ Professori primario, ac ejusdem Ordinis professo Sacerdoti salutem.*

Præhabita facultate Reverendissimi Patris Magistri Ioannis Antonii Philippini, *prædicti Ordinis Generalis; Authoritate nostri officii, tenore præsentium tibi præfato* Patri Francisco Bonæ Spei *facultatem concedimus typis mandandi* Commentarios tres in Vniversam Aristotelis Philosophiam, *quos composuisti; servatis tamen prius juxtà præscriptum Reformationis nostræ Constitutionum servandis.*

Datum in Carmelo nostro Bruxellensi,

3. Martii, An. 1651.

F. ANGELUS à VISITATIONE, Provincialis.

AP-

APPROBATIO
THEOLOGORVM ORDINIS.

NOs *infrà-scripti ex commissione R^di adm. Patris nostri Provincialis legimus & probavimus Librum, cui titulus,* Commentarii tres in Universam Aristotelis Philosophiam, *à R. Patre* FRANCISCO BONAE SPEI, *in Provincia nostra Belgica Studii Generalis, tum Philosophici, tum Theologici, per annos plures, Professore, conscriptum. In quo nihil Orthodoxæ fidei, bonisve moribus contrarium; at doctrinam ad alias scientias præmonstrantem, breviter, subtiliter, solidè, facileque, & clara methodo pertractatam deprehendimus. Quare eum ad Lectorum & Studiosorum Philosophiæ sublevamen perutilem, atque adeò communi luce dignum censemus.*

Bruxellis in Conventu nostro Fratrum B^mæ Virginis MARIAE *de Monte Carmeli. Die* 29. *Octob.* 1650.

F. DANIEL à VIRGINE MARIA, nuper Professor S. Theol., nunc Prior Carmeli Bruxellensis.

F. EDMUNDUS ab ANGELIS, ejusdem Studii Generalis Theologici Professor.

APPROBATIO
CENSORIS ORDINARII.

COmmentarii isti in *Philosophiam Aristotelicam, cùm nihil contineant Catholicæ Fidei, aut moribus Christianis, contrarium, excudi poterunt. Hac* 28 *Septembris* 1651.

HENRICUS GALENUS, Archidiaconus Mechlinienſis, & Illustrissimi ac Reverendissimi D^ni Archiepiscopi Vicarius Generalis.

SUM-

SUMMA PRIVILEGII

HISPANIARVM REGIS.

PHILIPPUS Dei gratiâ Hiſpaniarum & Indiarum Rex Catholicus, Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, &c. Sereniſſimus Belgarum Princeps, diplomate ſuo ſanxit, ne quis *Commentarios tres in Univerſam Ariſtotelis Philoſophiam*, auctore R. P. FRANCISCO BONAE SPEI, Ordinis FF. Glor. Virg. MARIAE de Monte Carmelo, ſtudii generalis eorumdem reformatorum, in Belgio Sacræ Theologiæ Profeſſore, præter *Franciſci Vivieni* Typographi Bruxellenſis voluntatem, intra novennium in Belgio excudat, aut alibi terrarum locorumve excuſum, in has Inferioris Germaniæ provincias inferat, venalemve exponat. Qui ſecùs faxit, Confiſcatione Librorum, & alia gravi pœna mulctabitur, utì latiùs patet in Litteris datis Bruxellæ. 31. Oct. 1651.

Signat

LOYENS.

PRÆ-

PRÆAMBVLVM
CIRCA
OPERIS INSTITVTVM.
Finis Authoris.

VSu à nobis compertum est, eam excipiendi Philosophicas ac sublimiores disciplinas rationem, quæ auditoribus, recepto jam more, scriptitandi necessitatem imponit, haudquaquàm conducibilem esse, potissimâ diei parte adstrictis observantiâ regulari adolescentibus; si enim tempus, quod exarandis præceptionibus tribui solet, impressis discutiendis impenderetur, omnes aliquid discerent, nec ulli, in quèis spes est reposita maxima, caussarii ex incommodâ scriptione stomachi, studiorum amorem exuerent, aut ferendis observantiæ & discendæ lectionis obligationibus, invalidos se & impares jure conquererentur. Ad hæc, quis in scribendo tam expeditus, qui non indè interciſionum insignia, aliundè voculas, clausulàs illinc, cùm prælegentis festinatione interceptus, tùm suâ remoratus tarditate, prætermittat, & sic præclarissimorum documentorum, alioquì faciles intellectus, pusillâ sæpe similium mutatione, insuperabili obscuritate confundat? Quid omnia prosequar? Mala profectò, quæ, ut recensere molestum & blyteum, ita diutiùs tolerare apprimè malum; undè professori meo admodùm colendo semper altè inhæsit, ut unius incommoditate cæterorum commoditati semel prospiceretur; cumque ipse nequiverit, tùm morbo oppressus, jam ad provinciæ regimen assumptus; licèt

imparibus, humeris meis onus imposuit, factumque à me est officiosè, ut, meo periculo cæteros tœdio molestiâque eximendo, studia promoverem; an utiliter? arbitrabuntur posteri.

Disputandi Series.

SUnt, qui Nominalium semitas probant, totamque ferè Logicam profundis quibusdam Disputationibus farciunt; sunt, qui improbant, easque, nonnullorum Realium philosophandi modum, tamquàm præstantiorem & ad intricatissima quęque declaranda accommodatiorem amplexati, in Metaphysicam rejiciunt; sic ut earum solùm compendium in Logica prœmittant, & totum uno ferè biennio ante partes sine ordine discutiant, quasi syllabas priùs adolescentes docere vellent, quàm litteras; quod nedùm ridendum & stultum, sed furiosum putat Augustinus de Ordine lib. 2°. cap. 7°. ajens: *Si quempiam Ludimagistrum audiremus, conantem docere puerum syllabas, quem prius litteras nemo docuisset, non dico ridendum tamquàm stultum, sed vinciendum tamquàm furiosum putaremus, non ob aliud, ut opinor, nisi quòd docendi ordinem non teneret.* Vide Præfationem ante Logicam.

Authoritatum Pondus.

ARistoteli adhærescimus, quantùm fides permittit, juxtà illud Constitutionum Reformationis nostræ cap. 21. n. 17°. *Lectores verò Philosophiæ studeant Aristoteli adhærere, quantum fides Catholica patietur.* Quia verò varia ejus principia fidei non satìs congruunt, quidquid varii nefas expendere putent, ea post debitum examen eliminamus, sic, ut amicus ille, sed magìs amica fides. Divum Thomam autem Christo & toti Christianæ Ecclesiæ probatissimum Doctorem, Lucem ac Ducem veneramur, non quà plurimi rigidiores ætatis hujus interpretes doctrinam ipsius ad mentem suam componunt, sed quà sub fide ratio, Ordinis maximè Doctorum, eam exponi

poni jubet: *Neque verò Lectores, tam congerendis Doctorum authoritatibus immorentur, quàm in solidis rationibus seriò examinandis: quod spectat ad D. Thomam, quantum in ipsis erit, illius doctrinam amplectantur, cum interpretatione Doctorum Ordinis nostri.* Ita præcitatæ Constitutiones ibidem. Hinc est quòd in sensa ullius non juremus; sed Nominalium cum Magistro nostro Bachone amplectamur, & Realium, si vera; utrorumque abhorreamus, si falsa; *Non particularis secta est eligenda*, inquit Clemens Alexandr. libri 1i Strom. c. 4°. *Sed quidquid rectè omnes dixerunt, Stoïci, Platonici, Epicurei, Aristotelici, dico Philosophiam.* Causam habes apud Anastasium Sinaïtam libri 2i epist. 3ª: *Qui antè nos ista docuerunt, non Domini nostri, sed Duces sunt: patet omnibus veritas; nondum est occupata; multum ex illâ futuris relictum est.* Quærunt nonnulli, cur doctissimos Carmelitici Ordinis Patres Complutenses sectatus non sim: sed nisi jam abundè satisfactum esset, responderem sectari liberum; nam & ipsi suos prædecessores nostros præstantissimos Doctores, Thomam Vualdensem, Joannem de Bachone, Michaëlem de Æiguanis sive de Bononiâ, & alios sectati non sunt. Ego autem, utì vivendi formulam horum, non verò Excalceatorum, ad præscriptum Constitutionum Reformationis, sequor & doctrinam.

Sententiarum Varietas.

PAucis placet nonnullorum contendendi modus, qui destruendi peritiores, quàm ædificandi, aliorum dirutis fundamentis, nil stabiliunt: minùs tamen placent sectarii multi, qui aliorum sensa, vel solo novitatis nomine rejiciunt, vel quòd proprii non congruant: non enim omnia nova, & multò minùs adversa, aut falsa sunt, aut statim rejicienda; nam, ut scitè Pater Ariaga in Philosophiæ suæ ad Lectorem Præfatione, *eos acutè Tertullianus* (ni fallor) *refutat, dum & ipsorum etiam opiniones novas aliquando fuisse, & novas has olim futuras antiquas, observat. Fuit etiam quondam nova summa illa ac divina Christianæ Religionis doctrina, non tamen ideo, & tunc, aut minus vera, aut amplectenda minus.* Et certè prudenter ac doctè

D. Sylvius libro 4°. Controverſ. q. 2. art. 4°. *Non ſolo authorum numero, ſed potiſſimum pondere rationum quærenda eſt veritas.* Murcia 8. Phyſ. diſputat. ultimâ, quæſt. 2ª. *Quamvis Ariſtoteli multum tribuendum ſit, rationi tamen plurimum.* Præſertim *cum*, ut notat Caramuël Metaphyſic. lib. 8ⁱ. art. 5°. *experientia nos doceat, illa quæ communiora ſunt, minus eſſe à Doctoribus examinata.* Nos verò rationi authoritatem, quantùm fieri poteſt, conjungimus, ſic ut recentiorum ſententias impugnando, &, antiquorum, ſilentio magìs, quàm inſufficientiâ extinctas, propugnando, in illud Vincentii Lyrinenſis Oraculum continuò intendamus, *intelligatur te exponente illuſtrius, quod antea obſcurius credebatur; per te poſteritas intellectum gratuletur, quod antea vetuſtas non intellectum venerabatur; eadem tamen quæ didiciſti, ita doce, ut cum dicas novè, non dicas nova, &c.* id eſt, ſic novis ratiociniis ſtabili & corrobora, ut vera ſint, non fucata; ſincera, non adultera; utilia, non curioſa; ſolida, non ſomnia; realia, non deliria, &c. Nam ut rectè P. Oviedus in ſuâ ad Philoſophiam præfatione, plures hodie reperiuntur, *qui propria ſomnia aut deliramenta phantaſiæ, magis novitatis libidine, quàm ſtudio veritatis extollunt.*

Partitio Operis.

PHiloſophiam noſtram in tres Commentarios diviſimus; 1ᵘˢ eſt in Logicam, 2ᵘˢ in 8° Libros Phyſicorum, 3ᵘˢ in Libros de Cœlo & Mundo, de Generatione & Corruptione; de Animâ, & in Metaphyſicam: quos dilucidè, obſcurioribus nonnullis illuſtratis: ſolidè, levioribus aliorum propulſis ratiociniis: quâ par eſt brevitate, nil niſi textu Ariſtotelis, & inutilibus diſputatiunculis prętermiſſis; pro ingenii & inſtituti noſtri ratione, perſolvere adniſi ſumus: enimverò ſemper nobis probatum eſt, & in Philoſophis experti ſumus, duo eſſe mala, quæ R. Ad. P. Daniel modò Provinciæ noſtræ Turonenſis electus Provincialis, in Theologis prudenter reprehendit, in ſuâ ad primam partem præfatione, nempè, quòd *hi ſua explicantes grandes in libros, verbis redundent, & ingenium mole ſuâ obruant, utpote, cum inſint plurima,*

rima, quorum jactura lucrum esset, quæque, si rescinderentur, detrimentum studia nullum, non parvum verò studiosi caperent emolumentum: isti verò, ea in pusillos contrahentes, rebus deficiunt, & ingenium sua inanitate defraudant; utpote cum difficillima quæque omittant, facilioribus summatim delibatis. Interim, dum consonantem Theologiam meditamur, faxit Deus, ut labor noster in Reformationis nostræ bonum, & Lectoris utilitatem aliquam cedat.

Distributio temporis.

DIes Lectionis integros in anno, ultra bis centum & quinquaginta, nullos reperio; horum autem Commentariorum paginas quinies centum & triginta circiter computo; sic ut quolibet Lectionis die duas paginas, aut saltem duas paginæ columnas prælegendo, aut quotannis, aut saltem bienniis singulis absolvantur, prout desuper prudenter deliberatum fuerit; nostris tamen fratribus annus & medius consultò concedetur; quia, quidquid placens typus annum ferè restituat, quem molesta scriptio furabatur, fusiores sunt hi Commentarii, quam eos spatio viginti sex mensium dictare potuerim: aliud tamen sic præterea Ordini commodum accedit, quòd in singulis Capitulis provincialibus, unus Cursus Philosophicus incipiet, alter desinet.

Ad Lectorem Studiosum.

VIx Librum sine erroribus imprimi, experientiâ manifestum est; tum propter distractionem mentis & oculorum, tum propter negligentiam typothetarum; quia tamen alienum à mente Authoris sensum reddunt, in his Commentariis obvios paulò infrà subjecimus: & quia frequentiores sunt, quàm optâssemus, omninò consultum erit ante cujuslibet paginæ Lectionem, eos ibi prævidere, ne aliquis occurrat, qui Lectionem & sensum à me intentum turbet. Dis-

 plicebit

plicebit fortè, quòd pompam & fastum in Latinitate spreverim; & sic veritati stabiliendæ studuerim, ut Latinitatis concinnæ vix ullam rationem habuerim; sed Augustinum sum doctus pluribus locis, *non timeamus Grammaticorum ferulas, dummodò ad veritatem solidam & certiorem perveniamus.* Augustinus Tract. 2° in Joan. nam Philosophi labia non rectè coluntur: sed ratio: *Quid obest* (inquit idem Augustinus 4° de Doctrina Christiana) *clavis lignea, si per eam id, quod volumus, licet aperire?*

Brevis Philosophiam hanc docendi, eique studendi Methodus.

DE hac Methodo ex professo infrà Disput. 7ª. dub. 2°. Præparamenti Logici pag. 25. ne proinde bis idem repetam, eam ibi videre poteris.

AMI-

AMICUS
AMICO AUTHORI.

In Authoris nomen utrumque, sæculi *Crespini*,
& Carmeliticæ Professionis *Bonæ Spei*,

LVSIO.

PRô, *quanta Vati habenda Peligno est fides!*
Ut exprimendis nomen hoc rebus facit!
FRANCISCE *binæ Palladis madens mero,*
Solers docendi, illustris ingenii sagax;
Lucina seu te voce Crespinum *rudi,*
Meliore dici sive Crispinum *jubet,*
Seu te Spei *Carmelus agnosci* Bonæ
Decrevit: oritur ampla de tenui seges.
Etenim (Quiritûm audere nî vetet lepor)
Dicêre crescens pinus, *&* crispum *polo*
Inserere fronde, nuceque redimitum caput.
Natura frondem, Sophia (quam colis) nucem,
Hæc educatrix, ista progenitrix, dabunt.
Sed artis apage barbaræ ludum. juvat
Auguria sacri nominis nugis procul
Captare, teque jam Bonæ *saturum* Spei,
Miscere senibus, tusse, qui doctâ suum
Tellure totâ dissérunt semen, ferax
Centuplice fructu: sive Pythagoræ *adlubet,*
Seu te Stagirâ *suscitat nati calor,*
Platona *sive sapere divinum voles.*
Utcumque: magnum nomen hæ noctes tibi
Parient. Sed ista fallet agricolam seges.
Nam Spem Bonam *pervertet* optimâ Fide.

DISTICHON.

SPES Bona Crespini *mutavit nomen in omen,*
Quàm Bona Spes *fuerit, res* bona *testis erit.*

LE-

LECTORI BENEVOLO.

VAria, aut malè omissa, aut ad faciliorem intelligentiam suis locis inserenda, inter errata addimus: 1^us autem numerus paginam, Literæ *a* & *b* columnam 1^am & 2^am: 2^us numerus columnæ lineam denotat.

EX LOGICA.

3. *a.* 8. quod. *l.* qui se solo. 4 *b.* 28. *nulla* l. *ulla.* & *b.* 30. vel *adde* immediatè, & *dele* ac. 13. *a.* 25. conceptus. l. ies.

26. *b.* 7. & l. 5. *b.* 13. non l. aut 29. *a* 31. quin. l. quàm. & *b.* 41. communicata. l. communicatæ.

30 *a.* 37.) *adde* &.

34. *b.* 18. quo. l. eo autem. & *b.* 50. apprehensionem. *adde.* in qua nulla imperfectio. 42. *a.* 43. dicis. l. dicit. & *b.* 12. unde *adde* quâ. *b.* 55. illam. l. ullam.

45. *a.* 19 contradictoria, *adde* & album, non album, respectu cygni possibilis, non essent contradictoria. & *b.* 66. *activam; adde* & hoc sensu existere & non existere in divinis verificantur ut produci & non produci.

48. *b.* 49. inferiora. l. superiora. 49. *a.* 12. animal. l. rationale. & *b.* lin. ult. verum, *adde* ex instituto.

51. *b. in fine*, parte l. proprietate. 52. *a.* 34. q. 2. l. q. 1^a. & *b.* 21. item 28. finitatem. l. firmitatem. 55. *b.* 40. formale, *adde* quo.

55. *a.* 57. Comptonus, *adde* docet. 56. *a.* 22. refut. 6. l. 3^a. 60. *a.* 28. mutar in te. l. mutat in re. 63. *b.* 53. absurdum l. surda.

68. *a.* 45. sicut *adde* requisita ad. 77. *b.* 26. &c.) ibi claudatur. 79. 51. dicta *adde* tract. 1^o. 84. *a.* 46. natura. l. neutra.

89. *a.* 17. *ut, adde* non. 90. *b.* 53. 96. *a.* 57. purâ. l. purè. & *b.* 13. *in quantum &c. inferiori.* l. in quantum, &c. inferiori.

98. *b.* lin. ult. individuum, l. indivisum. 102. *b.* 17. simile, l. similes. 103. *b.* 19. & l. ut. 108. *a.* 60. superior, *adde* non. 110. *b.* 38. aliquas, l. alias. 113. *b.* 27. 1^um. l. 4^um.

116. *b.* 36. esse *adde* 5^um. 117. *a.* 44. unificationi, l. verificationi. 123. *a.* 26. *dele* animal. 136. *b.* 43. reponitur, l. reponuntur. & 52. 2^am, l. 1^am.

138. *a.* 27. 2^o. l. 2^a pars. 140. *a.* 6. media, sinè, l. media sinè. & *b.* 39. si l. sicut. 146. *b.* 49. identitas, l. unitas. 149. *a.* 22. *Chymæra*, adde *non.*

154. *b.* 50. distincta, l. relativa formaliter. 161. *a.* 20. materia l. natura. 166. *a.* 40. est *adde* apprehensivè. 176. *a.* 63. actu mentali negativo, l. actus mentalis negativus.

180. *a.* 8. *dele* non. 189. *b.* 30. motiva, *adde* quoad progressionem v. g. 199. *a.* 27. suas præcepta regulas &, l. præcepta & regulas suas.

200. *a.* lin. ult. contrarium, l. contradictorium. 205. *a.* 45. consistant *adde* ipsa & evidentia scientiæ, illativitas judicii conclusionis, &c. 207. *a.* 20. reducitur, l. deducitur. 210. *a.* 20. tantum, l. cantum.

EX PHYSICA.

6. *b.* 30. & *adde* non. 14. *b.* 66. Item, *adde* ita materia 1^a in priori formæ materialis nullam habeat formam materialem entitativam.

16. *b.* 26. *denique*, l. denique. 18. *a.* 12. *dele* in adversarios. 23. *a.* 7. hîc. l. q. 6. disp. 3^a. ita etiam noster Bacho quodlib. 2^o. q. 9. art. 2^o & 3^o. licèt, &c.

26. *a. adde* ante numerum CCXXVII. Adde argumentum evidenter retorqueri in animam rationalem, quæ naturaliter separatur à corpore, ad quod essentialiter ordinatur.

28. *b.* in fine num. XIV. & XV. *lege.*

XIV. Objicies 3^o. in homine intellectus & voluntas sunt potentiæ spirituales; quæ præsupponunt principium à quo exiguntur esse substantiale & incompletum, ergo, &c.

XV. Resp. 1^o. transeat antecedens pro 1^a & 2^a parte; nego pro 3^a parte; quia, ut patet in Deo & Angelis, potentiæ illæ spirituales, non præsupponunt principium substantiale incompletum.

33. *a.* 66. divisibilem, l. indivisibilem. 37. *a* 47. Petri, l. Petrus. 38. *b* 25. terra, l. teriæ. 47. *b.* 32. videatur, *adde* juxtà 1^am resol. partem. 49. *a.* 32. debent, l. debet.

53. *b.* 46. quam, *adde* sint. & lin. seq. quascumque, l. quæcumque. 55. *a.* 1. subsistit, l. subsistunt. 67. *a.* 38. hanc. l. has.

70. *a.* 24. *dele* aliis. 74. *b.* B. A. l. ba. 76. *a.* 54. illa» *adde* non. 86. *b.* 27. ab existente, l. ad existere. & *b.* 28. sine alio, l. sive actio permanens.

87. *a.* 39. Ll. l. XI. 90. *b.* 20. effectus in causam, l. causæ in effectum. 91. *a.* 27. id, l. oppositum. 104. *b.* 54. esse, l. posse. 107. *a.* 13. Thoma, *adde* qui in authoritate D. Thomæ suam sententiam fundat.

128. *b.* 37. *dele* si. 129. *b.* 52. partibus, l. prædicatis. 134. *b.* 27. 2^um, l. 1^um. 138. *b.* 54. possibilium, *adde* partium.

141. *b.* 8. item totum, l. item infinitum. 142. *b.* 55. quâ infinitum, l. quâ finitum. 145. *a.* 54. posset, *adde* inadæquatè.

149. *a.* 22. te, l. ipsum. 154. *a.* lin. ult. priora, l. pejora. 156. *b.* 32. dominationem, l. denominationem. & *b.* 34. determinatio, l. denominatio. *b.* 56. dictionem, l. distinctionem.

160. *b.* 7. indivisibilibus, l. divisibilibus. *b.* 9. indivisibile, l. divisibile. 164. *a.* 22. quod, l. cum. 165. *a.* 9. *dele* inter. 172. *a.* 12. citatorum; *adde* nec dici potest non posse, & *b.* 42. *sicut*, sic, l. prout, ex congruo.

173. *b.* 24. conservatam, l. consecratam. 176. *a.* 43. possit. l. possint. 177. *a.* 41. *vocationis*, l. *vacationis.* 179. *a.* 24 sicque *deleatur.* & lin. seq. deseritur, *adde* sicque. *infræ* reflectio, l. reflexio. 184. *a.* 63. negando, l. concedendo.

EX LIBRIS DE COELO.

2. *b.* 48. concors, *adde* &. 4. *a.* 44. VI. 1^o. l. VI. 1^a ratio. 8. *a.* 14. animali, l. anima. & *b.* 40. tale, l. tali. & *b* 45. tale, l. tali. 10. *b.* 31. medium, l. modum. 12. *b.* 54. P. l. D.

EX LIBRIS DE GENERATIONE.

28 *b.* 30. generatio, l. nutritio. 32. *b.* 37. naturali, l. materiali. 33. *a.* 44. successivam, *adde* continuam. & *a.* 53. Secunda, *adde* opposita. 38. *b.* 34. quo, *adde* non.

EX LIBRIS DE ANIMA.

67. *b.* 25. *dele* minus. 69. *b.* 34. debet, l. potest. 76. *a.* 40. &c. *adde* ergo. 82. *b.* 65. per l. vel. 84. *b. in fine*, ut infra, *adde* non. 89. *b.* 21. naturalis, l. materialis. 101. *a.* 7. spirituale, l. immortalem. 105. *b.* 24. rationalis, l. notionalis.

EX METAPHYSICA.

110. *b.* 34. materiale, l. rationale. 111. *b.* 12. sit, *adde* objectivè 112. *a.* 32. in qua, l. in quam. 116. *a.* 2. disp. 12. dub. 2. l. disp. XI. dub. 2 117. *a.* 34. in, l. ex. & *a.* 49. dicit, l. dicet. & *a.* 54. negativus, l. negatus. item *b.* 44. in, l. ex. 118. *a.* 5. cap. 26. l. cap. 36. 119. *b.* 41. *dele* non. 120. *a.* 8. hunc, l. hæc. 122. *a.* 32. resol. 3. *adde* per ea 123 *a* 27. &, l. ut. 125. *b.* 50. ipsum, *adde* velle Deum. 126. *a. in fine*, terminata, l. tracta. 127. 52. primus, l. prævius.

COM-

COMMENTARIUS PRIMUS

IN

LOGICAM ARISTOTELIS,

AUCTORE

R. P.

FRANCISCO BONÆ SPEI,

Ordinis FF. Glor. Virg. MARIAE de Monte Carmelo, ſtudii generalis eorumdem reformatorum, in Belgio Sacræ Theologiæ Profeſſore.

BRUXELLIS,

Apud FRANCISCUM VIVIENUM,

Anno M. D CLII.

AD LECTOREM

PRÆFATIO.

VNiversalem Aristotelis Philosophiam (Amice Lector) in tres Commentarios distribuimus, quorum hiccè primus est in Logicam, sivè ut aliis placet, Dialecticam, quam, qui damnat, Apostolos criminatur, *Cave, ne cuiquam Dialecticam pro crimine objeceris, quâ usos Apostolos confiteris.* August. lib. 1. contra Crescon. cap. 14. quam qui spernit, errores affectat, quia *quidquid in hoc sæculo perversorum dogmatum est, & putatur robustum, hâc arte subvertitur, & instar incendii in cineres favillasque dissolvitur.* Hieron. super Ezechiel. Hæc verò Dialecticæ encomia, non ideò enarramus, ut quis fallacias ejus vitandas non putet, *Videte ne quis vos decipiat per Philosophiam*, id est Dialecticam, *& inanem fallaciam.* Apostolus ad Colosss. 2°. sed *ut perspiciatur* (quod bene Doctissimi PP. nostri Complutenses Disputat. 1ª, q. 1ª proœmiali Logicæ) *quàm sit à pietate alienum, Dialecticas* in subvertendis dogmatibus perversis *subtilitates improbare: quantumque è contrà religioso viro consonet earum studium, à quibus ferè omnes Sancti, Apostoliq; ipsi, non fuerunt alieni; quasq; Dux noster, & Magister Christus, facto commendavit.*

Miraberis fortè, quòd Aristotelis textum prætermittam; quo d ordinem doctrinæ, ferè in scholis receptum, immutem; ut verbo, quòd eam Methodum statuam quæ mihi soli omnium optima visa est, nempe ut 1° Summulas, quæ nobis sunt *Præparamentum Logicum.* 2° Tractatum de *Ante-universalibus*, in quo de Cognitionibus & Distinctionibus; 3° de Universalibus. ubi de modis, quibus fiunt. 4° de Post-universalibus,

ubi de Vniversalium divisionibus & numero. 5° de Ante-prædicamentis. 6° de Prædicamentis. 7° de Post-prædicamentis. 8° Tractatum in Libros de Interpretatione. 9° in Libros Posteriorum, ubi demùm de Logica, an sit scientia, & cætera, quæ ad ejus notitiam spectant, disputem.

Sed desines mirari, si verba R. admodum ac Eximii Dni Caramuëlis in suæ Philosophiæ ad Lectorem præfatione penitius consideres, sic, ut quod ille de Assertionibus quà Aristotelicis, *Assertiones igitur quà Aristotelicæ admittendæ non sunt; quà Aristotelicæ non sunt negandæ; sed concedendæ sunt si veræ; & negandæ, si falsæ:* nos de assertionum Ordine dixerimus; Ordo igitur assertionum quà Aristotelicus, ac magis quà aliorum, amplectendus non est; quà Aristotelicus non est rejiciendus: sed sequendus si instruendæ Juventuti, & doctrinæ facilius capessundæ, commodus: mutandus, si incommodus, & priora cognitione, monstroso quodam ac confusivo ductamine, posteriora faciat, prout hodie Authores communius, qui sic Philosophiam suam ordinant, ut, prius de distinctis, quam de eorum distinctionibus; prius de genere & specie, quam de Vniversalium cognitione & fabrica, disputent, & Tractatus de distinctionibus, de præcisionibus, prædicamentis, &c. præpostero ordine in Metaphysicam transferant; quos, ut oculum videnti, & ut visum de coloribus disputanti, præmittere debuissent.

OR-

ORDO ET SERIES

TRACTATUUM, DISPUTATIONUM, DUBIORUM, PARAGRAPHORUM, ET QUÆSTIUNCULARUM

Primi in Aristotelis Logicam Commentarii.

PRÆPARAMENTUM LOGICUM. 1

DISPVTATIO I.

De Termino. 1

DVBIVM I. quid sit Terminus. *ibid.*

II. de Termini divisionibus. 2

DISPVTATIO II.

De Affectionibus. 3

DVBIVM I. quid suppositio in genere. 5

II. quomodo dividatur suppositio. *ibid.*

III. quid suppositio materialis, & quomodo dividatur. *ibid.*

IV. quid suppositio formalis, & quomodo dividatur. 6

V. quid descensus Logicus, & quæ illius species. 7

De descensu Copulativo. *ibid.*

De descensu Copulato. 8

De descensu disjunctivo. *ibid.*

De descensu disjuncto. *ibid.*

Regulæ generales harum Suppositionum *ib.*

DVBIVM II. quid Status, Distractio, Ampliatio, Determinatio, & Appellatio. 9

DISPVTATIO III.

De Argumentatione, & ejus speciebus. 10

DVBIVM I. quid signum, & quotuplex. *ibid.*

Quæstiuncula, quid, & quomodo Signa Realia, vocalia & scripta significent. 12

DVBIVM II. quid Nomen. 13

III. quid Verbum. 14

IV. quid Oratio, & quomodo dividatur. *ibid.*

DISPVTATIO IV.

De Propositione. 15

DVBIVM I. quid Propositio, & quotuplex. *ibid.*

II. quomodo Concreta & Abstracta de invicem prædicentur. 17

III. quomodo Concreta & Abstracta multiplicentur. 19

DISPVTATIO V.

De Proprietatibus Propositionum. 20

DVBIVM I. quid Propositiones oppositæ, quotuplices, & quæ earum Leges. *ibid.*

II. quid Æquipollentes, & quę earum Leges. 21

III. quid Propositio Modalis. *ibid.*

IV. quid & quotupliciter propositio Reduplicativa sumatur. 22

V. quid Propositiones Reflexivę, & falsificantes, & an veræ aut falsæ. *ibid.*

DISPVTATIO VI.

De Definitionibus & Divisionibus. 23

DVBIVM I. quid sit Definitio, & quotuplex. *ibid.*

II. quid Divisio, & quotuplex. *ibid.*

DISPVTATIO VII.

De Discursu & ejus Speciebus. 24

DVBIVM I. quid Discursus, & quotuplex. *ibid.*

II. quid Syllogismus, & quæ Principia illius Directiva. 25

APPENDIX

De Brevi Philosophiam hanc docendi, eique Studendi Methodo. 25

CONsulta Philosophiam hanc docendi Methodus. 25

Brevis Philosophię studendi Methodus. *ibid.*

Brevis Oratio antè Studium. 26

Brevis Argumentandi Methodus. *ibid.*

Brevis Respondendi Methodus. *ibid.*

TRACTATVS I.

DE

ANTE-VNIVERSALIBVS. 27

DISPVTATIO I.

De variis Cognitionibus & Intentionibus. 27

DVBIVM I. quid cognitio in genere, & quotuplex ejus Divisio. *ibid.*

Quæstiuncula prima, quid sit sumi 1° intentionaliter. 29

2ª, quid sit sumi 2° intentionaliter. 30

DVBIVM I. quid sit ens rationis strictè, quotuplex, & an detur. *ibid.*

III. An Deus, & quænam potentiæ, fingere

possint entia rationis strictè. 32
DISPVTATIO II.
De Distinctionibus. 35
Dvbivm I. quid Distinctio, sive an formaliter consistat in negativo, an in positivo. *ibid.*
II. quomodo Distinctio in genere dividatur. 37
III. quid Distinctio Realis, Physica, & Modalis. *ibid.*
Signa Distinctionis Realis. *ibid.*
Signum Distinctionis Realis Physicæ. 38
Signum Distinctionis Realis Modalis. *ibid.*
Dvbivm IV. quid Distinctio rationis in genere, rationis-ratiocinantis, & rationis-ratiocinatæ *ibid.*
Quæstiuncula 1ª. 2ª. 3ª. 39, 40
Dvbivm V. An detur Distinctio media inter realem & rationis. 41
Refellitur Distinctio Formalis Scotistica. *ib.*
Refellitur objectiva Distinctio Thomistica. 43
Stabilitur nostra Resolutio cum Nominalibus. 46
Solutio Objectionum à Creatis ex Scotistis & Thomistis petitarum. 48
Solutio Objectionum à Divinis. 50
Quid circa præcisiones objectivas senserit D. Thomas. 51

TRACTATVS II.

DE

PORPHYRIANIS UNIVERSALIBUS. 52

QUæstiuncula, quodnam sit objectum Isagoges Porphyrianæ. 52
DISPVTATIO I.
De Vniversali in Genere. 53
Dvbivm I. quid Universale in genere, & quotuplex. 53
II. quid sit Vniversale in prædicando sive Logicum. 54
III. quid Vniversale in essendo, sive Metaphysicum, & an ab Vniversali in prædicando sive Logico distinguatur. 54
IV. An detur Vniversale formaliter ante præcisionem, sive à parte rei. 55
V. An saltem post præcisionem detur universale formaliter, & quale. 58
VI. Per quam præcisionem Natura fiat Vniversalis formaliter. 59
VII. Quam unitatem habeat natura Vniversalis. 61
VIII. An Natura Physice multiplicabilis abstracta ab uno individuo Physico tantum, sit Vniversalis & prædicabilis de aliis individuis Physicis. 65
IX. Per quam præcisionem formalem natura fiat Vniversalis formaliter. 65
X. An præter præcisionem formalem requiratur notitia comparativa ad hoc, ut natura fiat proxime, & complete Vniversalis, sive in essendo, sive in prædicando. 68
XI. An fieri possit Vniversale formaliter per potentiam animæ ab intellectu distinctam. 69
DISPVTATIO II.
De Vniversali in Specie. 71
Dvbivm I. quodnam sit definitum in definitione Vniversalium. 71
II. quid sit prædicari in quid, quale, & in quale-quid. 73
DISPVTATIO III
De Genere. 74
Dvbivm I. An Genus recte à Porphyrio definiatur, unum aptum prædicari de pluribus Specie differentibus in quid. 74
II. Quæ sit Generis definitio essentialis. 75
III. An Genus sit primum prædicabile sumptum in concreto, an in abstracto pro sua forma. Et quomodo de Specie prædicetur, an ut totum potentiale; an ut pars actualis; an ut æquale de æquali. 76
IV. An Genus, & quælibet natura Universalis maneat Vniversalis in actuali prædicatione. 81
V. An Genus possit immediatè individuari sub conceptu. 81
VI. Quomodo Genus sit prædicabile de individuis genericis, & sibi immediatis 82
VII. An possit Genus immediatè individuari à parte rei. 83
DISPVTATIO IV.
De Specie. 87
Dvbivm I. quotupliciter accipiatur Species, & quotuplex sit. 87
II. quid Genus supremum & medium, & quid Species infima. 88
III. quæ Regulæ Attributionum. 89
IV. An Species prædicabiles rectè à Porphyrio definiantur, *id quod est prædicabile de pluribus numero differentibus in quid.* 89
V. quæ sit Speciei definitio essentialis. 89
VI. An Species subjicibilis, ut *subjicibilis*, sit Vniversalis. 92
VII. An Genus in una specie tantùm, Species in uno individuo tantùm, cæteris impossibilibus, salvari possit. 93
DISPVTATIO V.
De Individuo. 98

Dv-

Dvbivm I. quid Individuum Physicum, Metaphysicum & Logicum. 98
II. An ab Individuis possit abstrahi ratio communis Vnivoca. 100
III. An Individuum vagum sit Vniversale, vel saltem Individuum proprie dictum. 103

DISPVTATIO VI.
De Differentia. 104

Dvbivm I. quid differentia in Genere, & quomodo dividatur. *ibid.*
II. quænam sit definitio essentialis differentiæ 3ⁱ prædicabilis; & respectu quorum sit 3ᵘᵐ prædicabile. *ibid.*
III. An differentia sit 3ᵘᵐ prædicabile, sumpta in abstracto, an in concreto. 105
IV. An differentia sit perfectior genere. *ibid.*
V. An Genus in conceptu formali includat differentias inferiores: vel è contra an inferiores includant Genus. Item an differentia Superior inferiores: vel è contra Inferior includat Superiores 107
VI. An detur differentia communis atoma, ac per consequens, Species atoma, sivè infima. 109

DISPVTATIO VII.
De Proprio. 111

Dvbivm I. quid Proprium in Genere, & quotupliciter accipiatur. *ibid.*
II. quæ definitio essentialis Proprii 4ⁱ prædicabilis; & quorum respectu sit 4ᵘᵐ prædicabile. 112
III. An Proprium, ut est 4ᵘᵐ prædicabile debeat esse aptum prædicari conversim de iis, respectu quorum est Vniversale. *ibid.*
IV. An Proprium sit 4ᵘᵐ prædicabile sumptum in concreto, an in abstracto pro sua forma 113
V. An Proprium dimanare debeat ab essentia, & separari possit à Subjecto. 114
VI. An Proprium Physicum, calor, frigus, &c. pertineat ad hoc prædicabile. *ibid.*
VII. An Prædicationes Proprii Metaphysici sint æternæ Veritatis. 115

DISPVTATIO VIII.
De Accidente. 115

Dvbivm V. quotupliciter accipiatur Accidens in Genere, & quæ illius definitiones. *ibid.*
II. quid sit Accidens 5ᵘᵐ prædicabile, & quid materiale ejus significatum. 116
III. An Accidens sit 5ᵘᵐ prædicabile, sumptum in concreto, an in abstracto. 116
IV. An ut Accidens sit 5ᵘᵐ prædicabile, debeat actu esse in multis subjectis de facto existentibus. 117
V. An ad veritatem prædicationis 5ⁱ prædicabilis requiratur existentia subjecti. 118

TRACTATVS III.

DE

POST-VNIVERSALIBVS. 119

DISPVTATIO VNICA
De Divisione, Distinctione, & numero Vniversalium. 119

Dvbivm I. An divisio Vniversalis in quinque vulgata Vniversalia concretim sumpta, sit Generis in Species. 119
II. Quomodo distinguantur inter se quinque allata Vniversalia abstractive sumpta. 120
III. An Divisio Vniversalis, in quinque allata Vniversalia sit adequata & immediata. 121

TRACTATVS IV.

DE

ANTE-PRÆDICAMENTIS. 124

Qvæstiuncula prima, quodnam sit objectum hujus Libri. 124
2ª. quis finis intrinsecus hujus Libri. 124
3ª. quis finis extrinsecus hujus Libri. 125

DISPVTATIO I.
Ante-Prædicamentalis. 125

Dvbivm I. quid Anonyma, Sinonyma, Paronyma 125
II. quænam sint divisiones, de quibus hic Aristoteles cap. 1. agit. Referuntur. 125
III. Quænam sint Regulæ, quas hoc cap. 1. Aristoteles adfert. Referuntur. 126
IV. Quid & quotuplicia Analoga. 126
V. An dari possit ratio communis Analogis attributionis & proportionalitatis. 127

DISPVTATIO II.
De nonnullis ad Prædicamenta spectantibus. 128

Dvbivm I. Quid Prædicamentum in Genere,

nere, & quid ponatur in Prædicamento, an res, voces & conceptus. 128
DVBIVM II. Quæ Conditiones requirantur, ut aliquid ponatur in Prædicamento. *ibid.*
III. An entia infinita simpliciter, sive Deus, ponatur in Prædicamento. 129
IV. An Christus, Angeli, Cæli ponantur in Prædicamento. 131
V. Quomodo Prædicamenta sint ordinanda, an per concreta, an per abstracta. 132
VI. Quomodo Prædicamenta inter se distinguantur. 133
VII. An bene assignatus sit denarius Prædicamentorum numerus. *ibid.*

TRACTATVS V.

DE

PRÆDICAMENTIS. 134

DISPVTATIO I.

De Substantia. 134
DVBIVM I. In quo consistat ratio formalis Substantiæ in Genere. *ibid.*
II. Quid sit substantia Prædicamentalis. 137
III. Qualis sit divisio Substantiæ in 1^am & 2^am. *ibid.*

DISPVTATIO II.

De Quantitate. 138
DVBIVM I. quæ divisiones Quantitatis. *ibid.*
II. An quantitas molis sit accidens aliquod realiter distinctum à materia 1^a. 139
III. In quonam consistat ratio-formalis Quantitatis Prædicamentalis. 141
IV. Quæ sint Species Quantitatis Prædicamentalis. 143

DISPVTATIO III.

De Relatione. 144
DVBIVM I. Quid & quotuplex sit Relatio. *ibi d.*
II. An Respectus, qui Relationi Transcendentali est essentialis, sit Relationi isti quoad se, an quoad nos tantùm essentialis? *ibid.*
III. Quot & quæ ad Relationem Prædicamentalem concurrant. 146
IV. Quomodo formalis ratio fundandi debeat distingui à fundamento & termino. 146
V. An Relatio Prædicamentalis exigat terminum actualem realiter actu existentem. 148
VI. In quo præcisè distinguatur Relatio transcendentalis à Prædicamentali. 150
VII. An Relatio formalis Prædicamentalis sit forma fundamento intrinseca, an extrinseca. 150
VIII. An Relatio terminetur ad absolutum, an ad correlativum formaliter. 155
IX. An multiplicatis terminis multiplicentur Relationes. 159
X. An detur unicum genus supremum hujus Prædicamenti. 159

DISPVTATIO IV.

De Qualitate. 160
DVBIVM I. Quid sit Qualitas Prædicamentalis, sive quænam sit ejus vera definitio 160

DISPVTATIO V.

De reliquis Prædicamentis. 162

TRACTATVS VI.

DE

POST-PRÆDICAMENTIS. 163

TRACTATVS VII.

DE

INTERPRETATIONE. 163

DVBIVM I. Quodnam sit objectum propositionis mentalis. 163
II. An Propositio vocalis separata ab intellectu, sit vera Propositio. 164

III. An

III. An apprehensioni, an soli judicio, conveniat ratio Propositionis. 165
IV. An Judicium sit qualitas formaliter simplex. 167
V. Quid veritas & falsitas propositionis. *ibid.*
VI. An idem numero actus de vero possit fieri falsus.
VII. An idem Numero actus possit esse simul verus & falsus. 171
VIII. An Propositiones de futuro contingenti absoluto & singulares habeant determinatam veritatem vel falsitatem. 172

PARAGRAPHVS I.
Prænotanda. 172

DISPVTATIO II.
De Divisionibus propositionum. 175
DVBIVM I. An divisio Propositionis in Affirmativam & Negativam sit generis in species. 176
Quæstiuncula. 177
DVBIVM II. Qualis sit Divisio Propositionis in Universalem, Particularem, Indefinitam, & singularem. 177
III. An divisio Propositionis in Apodicticam & Dialecticam sit generis in species. 178

TRACTATVS VIII.

IN LIBROS ARISTOTELIS DE PRIORI ANALYSI SEV RESOLVTIONE. 179

DISPVTATIO I.
De Discursu. 179
DVBIVM I. An Discursus formalis debeat constare duplici præmissâ & conclusione. *ibid.*
II. An Præmissæ Discursus formalis debeant esse judicativæ, an non sufficiant apprehensivæ. *ibid.*
III. An Discursus seu 3ª mentis operatio differat essentialiter à 2ª, seu judicio simplici. 180
IV. In quo judicio sita sit essentia Discursus. *ibid.*
V. An & qualis cognitio de bonitate consequentiæ requiratur ad assensum Conclusionis. 183
VI. An Judicium consequentis formaliter sumpti attingat objecta præmissarum. 184

DISPVTATIO II.
De præmissis sumptis in ordine ad conclusionem. 186
DVBIVM I. Quomodo concurrant ad actum conclusionis. *ibid.*
II. Quomodo Præmissæ formales necessitent intellectum ad conclusionem. 188
III. An in uno & eodem instanti formari possint assensus Præmissarum & conclusionis. 191

TRACTATVS IX.

IN LIBROS ARISTOTELIS DE POSTERIORI ANALYSI. 192

DISPVTATIO I.
De Demonstratione 192
DVBIVM I. Quomodo recte definiatur demonstratio in genere. *ibid.*
PARAGRAPHVS I. Cur in definitione dictum sit ex veris, & non ex verioribus intensivè & formaliter. 192
II. Cur in definitione dictum sit ex necessariis, & non ex necessarioribus. 193
III. Cur in definitione dictum sit, ex prioribus ipsa conclusione. 193
DVBIVM II. Quomodo dividatur & subdividatur demonstratio in genere. 193

Dv-

Dvbivm III. Quomodo differant demonstratio propter quid & quia. 194

DISPVTATIO II.

De Scientia in genere. 194

Dvbivm I. Quid sit Scientia. 194

Paragraphvs I. Quid sit certitudo & evidentia in actibus intellectus, & quotuplex. 195

II. Quæ Certitudo & evidentia ad Scientiam requiratur. 195

Dvbivm II. De Objecto Scientiæ in genere. 196

Paragraphvs I. Quid sit? variæ ejus Divisiones & Subdivisiones. 196

II. Quale debeat esse objectum Scientiæ in genere. 197

Dvbivm III. De Divisionibus Scientiæ. 198

Paragraphvs I. Divisiones Scientiæ. 198

II. Quænam dicatur Scientia Speculativa, & quæ Practica. 198

III. Quidnam sit Praxis. 198

IV. A quo fine Scientia aliqua dicatur Speculativa aut Practica. 199

V. Quæ Scientia sit subalternans, & quæ subalternata:

Quæ subalternatio ad illas sufficiat, & quæ non sufficiat. 199

VI. An Scientia Subalternata sit vera & propriè dicta Scientia. 200

Dvbivm IV. An Scientia Totalis sit qualitas simplex. 200

V. An rectè assignentur plures Scientiæ, totales, unæ, habituales; & unde sumenda earum unitas. 201

VI. Vnde sumenda unitas & diversitas Scientiæ actualis partialis. 202

DISPVTATIO III.

De Opinione, errore, & fide. 203

Dvbivm I. Quid Opinio, & quæ formido sit ei essentialis. 203

Quæstiuncula I. An Incertitudo, quæ est de essentia Opinionis, sit quidpiam negativum. 203

II. Quid formido actualis & virtualis, in quas formido secatur. 203

III. Vndè oriatur incertitudo & formido. 203

Dvbivm II. Quid sit fides & error. 204

III. An actualis Scientia, fides humana, opinio & error de eodem objecto possint esse simul in eodem intellectu, cum formidine actuali de opposito, & in eundem actum coalescere. 204

DISPVTATIO VLTIMA

De habitu Logicæ. 207

Dvbivm I. Quodnam sit objectum materiale Logicæ. 207

II. Quodnam sit objectum formale sub quo Logicæ. 208

III. Quodnam sit objectum attributionis Logicæ. 209

IV. Quid Logica docens & utens; & quomodo inter se distinguantur. 209

V. An Logica sit proprie dicta scientia, eaque practica, an speculativa. 210

Quæstiuncula I. An Logica sit ars. 210

II. An omnis ars juxtà tertiam acceptionem sit verè scientia practica. 211

Quæstiuncula I. Quid scientia activa & factiva, & qualis sit Logica. 211

II. Quid circa quæstionem, *An Logica sit practica*, senserit eximius P. noster Bacho. 211

Dvbivm VI. & Vltimvm. An & quantum Logica sit necessaria ad alias scientias acquirendas. *ibid.*

PRÆPARAMENTVM LOGICVM PROOEMIVM.

1. ARtificum peritiores imitamur, qui, antequam opus aggrediantur, ſuæ artis inſtrumenta parant: termini autem, propoſitio & ſyllogiſmus inſtrumenta ſunt, ſinè quibus nemo (quantovis excellat ingenio) rectè philoſophari poteſt; & ſanè (quod prudenter monent Facultatis Lovanienſis in Porphyrium Commentaria) *ſicut fruſtrà coneris eum docere dicere, qui neſciat loqui; neque ſpes eſt, qui latinum neſciat, hunc ornatè* latinè *dicturum; ita fruſtrà ad Philoſophiam nitentur*, qui hæc inſtrumenta ſivè præparamenta *præterierint*. Quarè ſit.

DISPVTATIO PRIMA,

De Termino.

DUBIUM PRIMUM.

Quid ſit Terminus.

II. ANte Reſolutionem. Suppono propoſitionem (per quam explicari debet terminus) ex tribus componi, nempè ſubjecto, copula & prædicato, ut *homo eſt animal*, ubi ly *homo* eſt ſubjectum, ly *eſt* copula, ly *animal* prædicatum; ſubjectum enim eſt, id quod ſubjicitur prædicato, ſive id quod ordinatè vel inordinatè ponitur antè copulam: copula autem eſt vinculum prædicati cum ſubjecto, vel explicitè ut *homo eſt animal*; vel implicitè ut *homo exiſtit*, ſignificatum per verbum *eſt* in propoſitionibus tertiæ perſonæ: loquere proportionaliter de propoſitionibus primæ & ſecundæ perſonæ, *ſum, es*, de præterito & futuro *fuit, erit*: prædicatum denique eſt id quod de ſubjecto prædicatur, ſive id quod ordinatè vel inordinatè poſt copulam ponitur. Hoc ſuppoſito ſit.

R. P. Franciſci Bonæ ſpei Logica.

RESOLUTIO.

III. DIco, *Terminus* hîc *eſt in quem reſolvitur propoſitio.* Subaudi per ablationem copulæ; quia propoſitionem reſolvere, per ſe & primariò

est copulam tollere; undè Aristoteles pro exemplo termini adfert prædicatum & subjectum, non verò copulam; quare copula ut copulans non est terminus.

IV. Dices fortè primò, terminus est in quem resolvitur propositio; sed propositio etiam resolvitur in copulam, ergò copula est terminus: Consequentia patet; probatur minor, quia propositio resolvitur in suas partes, quarum una est copula, ergò &c.

V. Respondeo negando minorem, ad ejus probationem distinguo antecedens, propositio resoluitur in suas partes dividentes, concedo antecedens; in suas omnes partes componentes, nego antecedens; ratio est: quia ly *resoluitur* positum in definitione termini, idem est ac dividitur; propositio verò non dividitur in copulam, quæ per divisionem aufertur; sed in duas partes remanentes: sic dicitur baculus dividi in duas partes tantum, quod alioqui semper esset falsum, quia si dividatur in unionem, in duas dividi tantum non potest, sed in tres, puta duas remanentes & unionem.

VI. Dices fortè secundò, ly *est* est copula, sed in hac propositione *est* est copula, *est* est terminus, ergò copula est terminus.

VII. Respondeo distinguendo majorem, ly *est* quatenus unio media inter prædicatum & subjectum, est copula, concedo majorem: quatenus prædicatum vel subjectum propositionis, nego majorem; potest enim ly *est* dupliciter considerari, primò formaliter ut copula, & hoc modo non potest esse terminus: secundò materialiter ut est talis entitas, & hoc modo potest esse terminus, non minus quam aliæ omnes entitates, etiam non significativæ ad placitum.

VIII. Instabis, propositio ut propositio, imò & syllogismus ut syllogismus, potest esse terminus, ut hîc, *homo est animal est propositio; homo est animal* in illa propositione est subjectum. sed illa propositio involvit essentialiter copulam ut copulam formaliter, ergò copula formaliter potest esse terminus.

IX. Respondeo distinguendo majorem, si ly *ut propositio* sumatur reduplicativè & formaliter, sic ut sit sensus, propositio ut propositio potest esse terminus, potest prædicato copulari &c, nego majorem, quia ut sic dicit copulam quatenus copulantem, quæ quatenus copulans reduplicativè non potest esse copulata, terminus &c, ut patet. Si ly *ut propositio* sumatur specificativè & materialiter, sic ut sit sensus, id quod est propositio potest esse terminus, prædicato copulari &c, concedo majorem, sed quatenus ut sic copulatur, copula non sumitur formaliter ut copulans, sed materialiter pro eo, quod est copula; undè nego minorem: neque probandum videtur, quod P. Comptonus hîc docet, videlicet copulam, utpote affectionem prædicati & subjecti, ac proindè prædicatum & subjectum *ut quo*, esse terminum plus quam materialiter; quia quatenus copulans quidem est talis affectio, sed quatenus copulans hoc prædicatum cum subjecto *homo est animal*, nullo modo copulatur huic prædicato *homo est animal est propositio*, ut patet.

X. Nota terminum quidem per se sonare actum, communi tamen usu factum, ut extrà propositionem dicatur terminus aptitudinalis, in propositione, actualis.

DVBIVM II.

De Termini Divisionibus.

Resolutio et Divisio I.

XI. Dividitur primò terminus in mentalem & objectivum: vocalem & scriptum.

XII. Mentalis est subjecti aut prædicati objectivi conceptus seu cognitio; plures addunt *simplex, sine affirmatione, vel negatione*, sed minus rectè quia propositio, sivè mentalis, sivè vocalis, materialiter sumpta est terminus, ut dubio primo vidimus. Objectivus est prædicatum vel subjectum ut intellectui objicitur; Vocalis illud idem ut voce profertur; Scriptus ut in papyro, luto &c, scribitur.

II.

XIII. Dividitur secundò in significativum & non significativum.

XIV. Significativus est, qui ad placitum seu ex voluntate hominum aliquid significat, ut homo:

XV. Non significativus est, qui ad placitum seu ex voluntate hominum nihil significat, ut blictri. A. B. hinc.

XVI. Colliges contra Guiffen in *prodidagmatibus*, dari terminos non significativos, scilicet ad placitum; quod enim dicit blictri, imò & omnem terminum significare suum proferentem, ultrò concedimus; nec aliud volumus, quam allatam divisionem termini non esse termini in significativum connaturaliter, quomodo blictri significat suum proferentem; & non significativum connaturaliter, quomodo nullus datur terminus non significativus; ac proindè hoc quidem sensu intellecta divisio est falsa, non autem primo, quomodo intelligi debet, quia hîc Philosophi agunt de vocibus, quæ sunt signa ad placitum; & alioqui dicere deberemus multos & præclaros Philosophos in re apertissima errasse, tradendo scilicet hanc divisionem tamquam veram, quæ alioqui esset falsa, quod inconveniens est.

III.

XVII. Dividitur tertiò in cathegorematicum, sincathegorematicum & mixtum.

XVIII. Mixtus est, qui includit terminum cathegorematicum, & sincathegorematicum, ut nemo, semper, doctè &c. Inter quos hoc discriminis est, quod ly *nemo* & similia nomina formaliter per se possint esse pars propositionis, ut *nemo currit*; adverbia verò non nisi materialiter, ut *semper est adverbium*.

XIX. Cathegorematicus est, qui se solo aliquid perfectè significat: & formaliter sumptus potest se solo esse pars alicujus propositionis, ut Petrus, Leo.

XX. Sincathegorematicus est, qui se solo nihil perfectè significat & formaliter sumptus, non potest se solo esse pars propositionis, ut omnis, nullus. Undè.

XXI. Colliges malam esse definitionem termini sincathegorematici, quam tradunt aliqui: Terminus sincathegorematicus est qui per se nihil significat, junctus tamen aliis, illis certum significandi modum tribuit, v. g. ly *omnis*, inquiunt, junctum huic termino *homo*, dat illi modum significandi universaliter: hanc enim definitionem benè rejicit Guiffen dicendo, si terminus sincathegorematicus nihil significet, quomodo poterit alteri dare modum significandi?

gnificandi? quod tamen rejicio ulterius: in hac propositione, *nullus homo est brutum*; significatur aliqua negatio; atqui illa negatio non significatur per ly *homo*, nec per ly *brutum*, ergò per ly *nullus*, ergò ly *nullus* aliquid significat: undè formo hoc argumentum; ly *nullus* est terminus sincathegorematicus, ly *nullus* aliquid significat ex probatis, ergò terminus sincathegorematicus malè definitur, quod nihil significat.

XXII. Dices primò ex P. Thoma Comptono, terminus sincathegorematicus rectè comparatur consonantibus, quæ per se non sonant, junctæ tamen vocalibus faciunt res aliter sonare ergò &c.

XXIII. Respondeo negando assumptum, quia consonantes ex instituto nihil per se imperfectè significant, magis quam blictri in communi sententia; secus termini sincathegorematici, ut vidimus. Vndè fortè melius terminus sincathegorematicus cõpararetur chyfræ O, quã consonantibus, quia chyfra O aliquid videtur ex instituto imperfectè significare, videlicet augmentum suprà 1. 2. in numero 10, 20. per se tamen pro ullo numero poni non potest.

XXIV. Dices secundò, in hac propositione *nullus est adjectivum*, ly *nullus* ponitur se solo pro subjecto, sed ly *nullus* est terminus sincathegorematicus, ergò malè dicitur terminum sincathegorematicum non posse se solo poni in propositione.

XXV. Respondeo distinguendo minorem. Ly nullus formaliter est terminus sincathegorematicus, concedo minorem; materialiter, nego minorem: in ista autem propositione *nullus est adjectivum*, ly *nullus* sumitur materialiter mixtè, directè scilicet pro suis litteris, cum indirecto ordine ad suum significatum, uti sumitur vox *homo* in hac propositione *homo est nomen*.

IV.

XXVI. Dividitur quartò in concretum & abstractum.

Terminus concretus est, qui significat compositum, vel quasi compositum ex subjecto & forma adjacente, vel quasi adjacente, ut album ex pariete & albedine, dives ex homine & divitiis.

XXVII. Dixi, quasi *adjacente*, quia si adjacere, adjacens esse &c, hìc sumantur pro inhærere, intrinsecè uniri &c, & non pro eo quod est quomodocumque denominando uniri, multa sunt composita ex subjecto & forma, quæ non erunt concreta, ut dives; non enim divitiæ inhærent homini.

XXVIII. Abstractus est, qui significat vel formam vel subjectum præcisè, ut albedo, materia, &c; ratio definitionis est, quia sicut forma potest abstrahi, præscindique à subjecto, ita è contrà subjectum à forma.

XXIX. Termini cõcreti & abstracti; alii realiter sũt tales, v.g. qui habent formã realiter distinctã à subjecto, ut album; alii ratione nostra tantũ, v.g. qui habent formam tantum ratione distinctam, ut animal, quod significat animalitatem, & rem habentem animalitatem, quæ independenter à ratione non distinguuntur: ex dictis de termino concreto.

XXX. Collige 1. quomodo visum, capitatum &c, etiam sint concreta, quia sufficit quod concreta significent quamcumque adhærentiam & connexionem formæ cum subjecto, v.g. actus cum objecto, partis cum toto &c. Vnde ulterius.

XXXI. Collige 2. aliam dari divisionem termini concreti in concretum denominantem intrinsecè & denominantem extrinsecè.

XXXII. Terminus denominans intrinsecè est, quando significatum formale vocis concretæ est in significato materiali, ut in concreto album, cujus significatum formale, scilicet albedo, est in materiali, v. g. in pariete.

XXXIII. Terminus denominans extrinsecè est, quando significatum formale vocis concretæ non est in materiali, ut in concreto visum, cujus formale significatum, scilicet visio, non est in pariete viso, sed in oculo.

XXXIV. Terminus concretus & abstractus subdividitur in connotativum, & absolutum.

XXXV. Absolutus concretus, est, qui præter ordinaria vocis concretæ significata, scilicet subjectum vel formam, nihil importat in obliquo, ut album substantivè vel adjectivè acceptum.

XXXVI. Nec refert, quod album adjectivè alium terminum connotet, v. g. parietem, cum quo perfectè significat; quia id est de essentia omnis concreti adjectivi: unde album adjectivè, & sic de aliis, ita subjectum connotat, ut tamen præter illud suum ordinarium significatum, in obliquo nihil importet.

XXXVII. Absolutus abstractus est, qui præter ordinaria vocis abstractæ significata, scilicet vel formam vel subjectum præcisè, nihil importat in obliquo, ut albedo, materia &c.

XXXVIII. Nec refert, quod albedo in obliquo cõnotet subjectum, & subjectum formam, quia id habent ex ordinario & essentiali suo significato, undè præter illud in obliquo nihil important, ideoque manent termini abstracti absoluti.

XXXIX. Connotativus concretus, est, qui præter ordinaria vocis concretæ significata, in obliquo aliquid importat, ut pater, qui præter subjectum & formam connotat filium in obliquo; item, ut cognoscitivum adjectivè, quod præter subjectum, formam & terminum cathegorematicum cum quo perfectè significat, connotat objectum in obliquo.

XL. Connatativus abstractus, est, qui præter significata ordinaria vocis abstractæ, in obliquo aliquid importat, ut paternitas, quæ præter subjectum connotat filiationem in obliquo; item cognitio, quæ præter subjectum connotat in obliquo objectum.

XLI. Dices ex P. Ioan. à S. Thoma, Hurtado, Arriaga, Comptono &c, terminus absolutus, est, qui significat rem per modum per se stantis, ut omne nomen substantivè acceptum; connatativus, per modum adjacentis, ut omne nomen adjectivum, ergò &c: Probabis assumptum ex Hurtado & Comptono, ratio connotativi non est sumenda ex eo, quod terminus aliquid in se vel extrà se connotet; alioqui omnis ferè terminus, ut albũ, cœna, Dominus &c, esset connotativus; sed ex ordine ad adjacentiam, quæ in termino adjectivo importatur.

XLII. Respondeo, præterquã quod ly *per modum per se stantis, & per modum adjacentis*, mihi sint terminì valdè obscuri, ut ostẽdemus in Porphyrio; Tract. 2. disp. 2. de gen. juxtà illas definitiones terminũ absolutũ, utpote per se perfectè significantẽ, & cõnotativũ, utpotè non nisi cum alio perfectè significantẽ (ut P. Comptonus docet) malè confundi cum cathegorematico & sincathegorematico: deinde sinè fundamento & ratione recedi à propria significatione absoluti & connotativi: denique juxtà illas definitiones negandum esse dari rationem communem termini concreti ad concretum absolutum & con-

notativum,& abstracti ad abstractum absolutum & connotativum,quibus tamen;cum sint termini concreti & abstracti, omninò convenit. Vndè nego assumptum,ad ejus probationem nego antecedens,ad quod satis patet ex præmissis. P. Poncius paulo aliter terminos istos definit ajens, terminus connotativus est ille , qui significat rẽ relativam ut relativã; absolutus verò,qui significat rem absolutã ut absolutam:sed hæ definitiones obscuræ sunt; quia quod quæritur est,quid relativum ut relativum , quid absolutum ut absolutum?vel enim P.Poncius ab absoluto excludit relativa transcendentaliter,ut est albedo & quælibet forma,vel non? Si sic,è formis nullus erit terminus absolutus , contrà communem omnium sensum:si non,terminus absolutus erit connotativus,quod nullus dixerit.

V.

Dividitur quintò in simplicem & complexum.

XLIII. Simplex est cujus partes non sunt significativæ per se,eodem modo, quo in compositione, ut Dominus , aliud enim est do minus , quam Dominus.

XLIV. Terminus complexus est , cujus partes eodem modo sunt significativæ per se, atque in compositione,ut homo justus.Hic tamen

Adverte apud Logicos terminum, cujus est unica significatio,etsi plures voces,ut rosmarinus,esse simplicem;terminum verò,cujus multæ sunt significationes,etsi vox sit unica,ut nemo, esse complexum; quia Logici tantùm agunt de vocibus in ordine ad significationem.

VI.

XLV. Dividitur sextò in terminum univocum, æquivocum & analogum.

XLVI. Vnivocus est , qui significat multa ut eadem in ea ratione,quam importat , secundum illud Aristotelis cap.2.Metap. *Vnivoca sunt, quorum nomen commune est,& ratio nomini accommodata eadem in univocatis.*

XLVII. Æquivocus est , qui significat multa ut diversa in ea ratione,quam importat; ut Gallus significans gallum gallinacium , & Gallum hominem, quibus, ut patet , in diversa significatione tribuitur; nam aliud concipio,dum gallum gallinaceum,quam dum hominem Francum concipio. Ista definitio est conformis huic Aristotelis.*Æquivoca sunt,quorum nomen commune est,ratio verò nomini accommodata diversa in æquivocatis.*

XLVIII. Analogus est,qui significat multa ut aliqualiter in eadem ratione convenientia:ita risus hominem & pratum viride, in ratione ridentis analogicè significat.

XLIX. Dixi aliqualiter,nam homo propriè , pratum impropriè & metaphoricè ridet , quatenus scilicet sua viriditate transeuntem ad delectationem & risum provocat.

VII.

L. Dividitur septimò terminus in universalem & particularem.

LI. Vniversalis est, qui significat unam rationem communem multis, ut homo.

LII. Particularis , qui significat unam rationem particularem,ut Deus,Petrus.

VIII.

LIII. Dividitur octavo in confusum & determinatum.

LIV. Confusus est,qui aliquid vagè & indeterminatè significat,ut aliquis homo,qui non magis hunc vel illum, quã aliũ significat ex modo concipiendi.

LV. Determinatus est, qui aliquid determinatè & in particulari significat,ut Deus,Petrus.

IX.

LVI. Dividitur nonò in transcendentalem & non transcendentalem.

LVII. Transcendentalis est,qui de ente cujuslibet prædicamenti prædicatur,& hujusmodi termini sex numerantur,ens,res,unum, verum bonum,aliquid, comprehensi hac voce *Reubau.*

LVIII. Non transcendentalis,qui nonnisi de rebus determinatis prædicatur,ut homo,lapis &c.

X.

LIX. Dividitur decimò in finitum & infinitum.

LX. Finitus est , cui nulla præfigitur negatio infinitans,ut homo,lapis &c.

LXI. Terminus infinitus est, cui præfigitur negatio infinitans, ut non homo,non lapis &c. Pro clariori intelligentia

LXII. Nota negationem *non*, aliquando sumi infinitanter, & vocatur negatio infinitans : aliquando negans, & dicitur negatio negans ; sumitur autem infinitanter , quandò cadit vel afficit tantum subjectum aut prædicatum propositionis , ut *homo est non lapis* , vel *non homo est lapis* ; undè dictum est in definitione termini infiniti, *cui nulla præfigitur negatio infinitans :* Nam in hac propositione , *homo non est lapis*, negatio *non* neganter sumitur (id est cadit vel afficit copulam solam) & subjectum prædicatum sunt termini finiti, hinc

LXIII. Collige differentiam inter negationem infinitantem & negantem , esse in eo,quod negatio negans cadat super copulam,infinitans super extrema: item quòd negatio infinitans tantùm vim suam exerat in vocem cui immediatè præfigitur , & ejus significatum tollat , ut v.g. *non homo* tollit significatum hominis : negatio verò negans sit tam malignantis naturæ , ut etiam vim suam exerat in vocem , cui immediatè non præfigitur , ut in hac propositione *homo non est lapis* , ly *non* exerit vires in prædicatum , & facit propositionem negativam.

LXIV. Dices,ly *est* in propositione est copula , & tamen negatio illi præposita non facit propositionem negativam , sed tantum terminum infinitum, ergò &c. Probatur antecedens in hac propositione, *non est est terminus infinitus* ergò &c.

LXV. Respondeo distinguendo antecedens; ly *est* in aliqua propositione est copula,quando scilicet,est unio prædicati cum subjecto concedo antecedens; in omni nego antecedens : quia potest esse extremum propositionis , ut patet in exemplo dato, & tunc,si illi præponatur negatio , est terminus infinitus.

LXVI. Adverte tamen terminos transcendentales non posse infinitari, quia infinitati de nulla re affirmari possunt,alioqui verum esse deberet, res est non res, ens est non ens,ut consideranti patebit , quæ tamen contradictoriè repugnant.

DISPV-

DISPVTATIO II.

De variis Terminorum Affectionibus.

LXVII. NOtitia Affectionum est ad omnem argumentationem, tam texendam, quam retexendam apprimè utilis & necessaria; & sicut is, qui vim & valorem calculorum non novit (puta ut hunc vel illum locum obtinent) nec rectè calculare, nec aliorum in calculando fraudes deprehendere potest; ità nec ille, quem diversæ vocum affectiones latent, probatam argumentationem conficere, aut aliorum in argumentando fallacias solvere potest.

LXVIII. Hæ autem Affectiones, sive accidentia vocum sunt sex; Suppositio, Status, Distractio, Ampliatio, Restrictio & Appellatio: porrò hæ Affectiones nihil sunt aliud, quam varii modi, quibus voces sumuntur in varia conjunctione unius cum altera. Vt in calculis insinuatum est.

DVBIVM I.

Quid suppositio in genere.

RESOLVTIO

LXIX. DIco, Suppositio in genere est acceptio vocis pro aliquo.

LXX. Dixi, *pro aliquo*, non autem pro alio, quia vox nihil significans ex instituto pro seipsa, quæ est aliquid; non pro alio, quod debet esse distinctum, supponi potest, ut infrà patebit. Vndè colligi potest, cur non addiderim *significativæ*, scilicet ex instituto.

LXXI. Non dixi *in oratione*, & multò minus *in propositione*, quia cum significatio voci, tam extrà, quam intrà orationem & propositionem, conveniat, etiam æquivoca, uti est communis ex parte objecti, indifferenter potest, vel per mentem proferentis, vel per mentem audientis, vel per adjunctam aliam vocem aut prædicatum, ad unum determinari; cur enim potius hoc modo, quam istis? ad unum autem sic determinari, idem est, ac pro uno accipi: si autem quæras quomodò isto casu suppositio distinguatur à significatione? Respondeo à significatione actuali non distingui, quia hoc ipso quod accipitur pro aliquo, actu aliquid significat; à significatione autem aptitudinaliter significante distinguitur, sicuti prædicatum, de uno v. g. à prædicabili de multis, sive ut significans unum v. g. à significativo multorum; quia significatio aptitudinaliter significans nihil aliud est, quam vis deducendi in cognitionem eorũ, quæ vox naturaliter, aut ex instituto significat.

LXXII. Petes 1. per quid differat suppositio à verificatione?

LXXIII. Respondeo differre, per hoc, quod detur suppositio extrà orationem enuntiativam, non autem verificatio. 2. Quod suppositio tantum afficiat extrema propositionis, verificatio autem totam propositionem, & ità quidem, ut in solis extremis non sit verificatio, benè suppositio. 3. Per hoc, quod detur in propositione falsa suppositio, verificatio nulla.

LXXIV. Petes 2. an dici debeat, terminus supponitur passivè, an supponit activè?

LXXV. Respondeo, passim utrumque dici, sed melius supponitur id est accipitur: undè nota quod suppositio idem sit, quod vocis usurpatio, acceptio, usus &c, hæc enim sunt sinonyma.

DVBIVM II.

Quomodò dividatur suppositio.

RESOLVTIO.

LXXVI. DIco, suppositio dividitur in materialem & formalem: idque juxta duo contenta in voce, 1. litteras & syllabas, quæ dicuntur materia vocis, utpotè determinabiles ad hoc vel illud significandum: 2. significationem, quæ dicitur forma vocis, utpotè litterarum ac syllabarum determinativa ad illam vel illam rem significandam; hæcque per analogiam ad materiam & formam physicam.

DVBIVM III.

Quid suppositio materialis & quomodò dividatur.

RESOLVTIO I.

LXXVII. DIco primò suppositio materialis est acceptio vocis pro se ipsa tantum, id est pro suis litteris, ut homo est dissyllabum; quia verò sub definitione illa omnis suppositio materialis concludi debet, & sola formalis excludi, ly *tantum* in illa definitione positum, non excludit indirectum ordinem vocis ad suum significatum, sed directum dumtaxat, quo hoc formaliter accipi debet. Vndè definitionis hic est sensus, suppositio materialis est acceptio vocis pro se ipsa sine directo ordine ad suum significatum.

RESOLVTIO II.

LXXVIII. DIco secundò, suppositio materialis dividitur in purè materialem, & non purè materialem seu mixtam.

LXXIX. Purè materialis est acceptio vocis pro se ipsa, sinè indirecto & directo ordine ad suum significatum, ut *blictri est monosyllabum*.

LXXX. Non purè materialis est acceptio vocis pro se ipsa, cum solo & indirecto ordine ad suum significatum, ut *amo est verbum*; si enim ex institutione humana, *amo* non adsignificaret tempus, nec conjugari deberet per tempora, dici non posset *verbum*, magis quam blictri: idem est de voce *sermo* in hac propositione, *sermo est tertiæ declinationis*, quod enim *sermo* non sit verbum, hoc illi convenit ratione significati, quod habet ex institutione hominum.

LXXXI. Petes signa suppositionis materialis.

LXXXII. Respondeo hæc tria cõmuniter adferri.

LXXXIII. 1. Si terminus nihil significet, supponitur materialiter: verùm quia impossibile est dari

terminum, qui suum proferentem non significet, puto hoc addendum si terminus nihil ex instituto significet, & pro suo proferente non supponatur, supponitur materialiter; ratio est, quia ut sic non est pro quo formaliter accipiatur.

LXXXIV. 2. Si prędicatum aliquod conveniat subjecto spectato secundum suas litteras, sic ut tibui non possit rei per illam significatæ, tunc subjectum accipitur materialiter. Verum, etiam hoc non placet; 1. Quia ly *homo* in hac propositione, *homo dissyllabum est ens, cognoscibile* &c, sumitur materialiter, & tamen prædicatum convenit subjecto spectato secundum suas litteras, sic ut tibui possit rei per illam significatæ, ut Petro v.g. quia Petrus est ens, cognoscibilis &c. Item in hac propositione, *amo est verbum, amo* accipitur materialiter, & tamen prædicatum sic illi convenit spectato secundum suas litteras, ut tibui possit rei per illud significatæ, videlicet conjugabili per tempora. 2. Quia ly *homo* in his propositionibus, *homo est nomen, homo est dissyllabum*, accipitur materialiter, & tamē prædicatum tribui potest rei significatæ per vocem homo, ut *Petrus est nomen, Petrus est dissyllabum*: quarè puto illud quod sequitur hic etiam addendum: si prædicatum aliquod non transcendens conveniat subjecto spectato secundum suas litteras, sic ut univocè tribui non possit rei, quā directè significat, accipitur materialiter.

LXXXV. 3. Terminus cui præponitur particula ly, *tò*, *vocor*, *appellor* &c, accipitur materialiter.

DVBIVM IV.

Quid suppositio formalis, & quomodò dividatur

Resolutio I.

LXXXVI. Dico primò, suppositio formalis est acceptio vocis pro suo significato tantum, ut *homo est currens*.

Nota per ly *tantum* in definitione positum, nos solùm velle excludere directum ordinem ad ipsas litteras & syllabas, pro quibus vox materialiter accipi debet: undè definitionis hic est sensus, suppositio formalis est acceptio vocis pro suo significato sine directo ordine ad ipsas litteras & syllabas: per ly *significatum* autem in definitione positum, intelligitur quodcumque significatum à litteris & syllabis vocis condistinctum. ex his

LXXXVII. Colliges aliud hîc esse accipi materialiter & formaliter, quam sit in aliis materiis: nam in aliis materiis, v.g. in hac propositione, *album est dulce*, accipi materialiter est accipi pro suo significato materiali, quod hîc est accipi formaliter; accipi verò formaliter est accipi pro suo significato formali, quod etiam hîc est accipi formaliter.

LXXXVIII. Petes, an non detur suppositio absoluta media inter materialem & formalem?

LXXXIX. Respondeo primò negativè, quia sufficit dicere vocem sub uno respectu accipi materialiter, sub alio formaliter, ut hîc, *omnis vox est monosyllaba*, vox quatenus accipitur tantum pro suis litteris, sumitur materialiter; quatenus sumitur pro hac & illa voce suis inferioribus, sumitur formaliter.

LXXXX. Respondeo secundò affirmativè, quia cum suppositio materialis definiatur acceptio vocis pro se ipsa tantùm, & formalis pro suo significato tantum, & hæc sit acceptio pro utroque, commodè dici potest absoluta media inter utramque, & mixta ex utraque.

LXXXXI. Respondeo tertiò dici posse, illam, nec esse materialem & formalem simul, nec mediam absolutam; sed simpliciter materialem, quia non est acceptio vocis pro significato condistincto à litteris, qualis communiter intelligitur esse suppositio formalis.

Resolutio II.

LXXXXII. Dico secundò suppositio formalis dividitur in simplicē & personalē.

LXXXXIII. Thomistæ & alii communiter suppositionem simplicem definiunt, quod sit acceptio vocis pro suo significato immediato tantùm, ut *homo est species*. Per significatum immediatum sivè primarium & formale, intelligunt illud, ad quod significandum vox primariò est instituta, sivè id, quod menti audientis vocem primò occurrit.

LXXXXIV. Suppositionem verò formalem personalem definiunt, quod sit acceptio vocis pro mediato significato tantum, ut *homo currit*: per significatum mediatum sive secundarium & materiale intelligunt, vel inferiora, id est, illa, de quibus vox prædicatur essentialiter; vel denominata, id est, illa, de quibus vox prædicatur accidentaliter. sed

LXXXXV. Contrà est primò, quod tam terminus singularis ut Petrus, quā universalis, ut homo, possit supponi simpliciter & personaliter, ut patebit infrà

LXXXXVI. Secundò. Quod terminus habens primarium significatum & immediatum, v. g. Petrus, possit etiam supponi simpliciter & personaliter, ut statim.

LXXXXVII. Tertiò. Vox sumpta pro suo immediato significato tantùm, ut vox *Petrus* in hac propositione, *Petrus ambulat*, sumitur personaliter, non autem simpliciter, ut patebit ex conclusionibus num. 99. & 101. adferendis.

LXXXXVIII. Confirmatur, in his propositionibus *homo secundum se est animal*, & *homo est animal*, ly *homo* habet idem significatum ex parte objecti, & tamen in prima propositione sumitur simpliciter, in secunda verò, suppositione absolutâ, ut vocant, id est, mediâ inter simplicem & personalem, vel saltem personaliter & simpliciter simul; ergò malè diversificant suppositionem simplicem & personalem pœnes diversa termini significata immediatum & mediatum: antecedens pro prima parte probabitur infrà, Tract. 2. log. ubi ostendemus immediatum significatum vocis communis non distingui objectivè à mediato, quod hîc malè supponunt; quarè aliter

LXXXXIX. Suppositio simplex cum Scoto, Hurtado, Arriaga & aliis, definiri debet, acceptio termini, sivè singularis, sivè communis, pro significato, quod habet dependenter ab intellectu, ut *Petrus est individuum logicum*, id est, Petrus conceptus tali conceptu individuante (quod est significatum dependens ab intellectu) est individuum logicum: item *homo est species*: ibi, est acceptio simplex termini singularis; hîc, termini communis. hinc

C. Colliges, quod omnis vox, quæ supponitur simpliciter, debeat esse objectum secundæ intentionis formalis, de qua Tract. 1. log.

CI. Suppositio personalis est acceptio termini, sivè singularis, sivè universalis, pro significato quod habet independenter ab intellectu, ut *Petrus ridet, homo ambulat*; risus enim & ambulatio sunt significata independentia ab intellectu.

Petes

CII. Petes primò, quarè ita definierimus suppositionem personalem & simplicem?

CIII. Respondeo, quia supponi personaliter, secundum quod nominis ethimologia sonat, est supponi pro significato, quod termino convenit secundum suam personam, non quod solæ personæ supponi possint personaliter, sed quod illæ potissimæ sint inter res, quæ ita supponi possunt, à potiori autem parte sumitur denominatio; ut tamen res omnes sub illa definitione comprehenderemus, non definivimus suppositionem personalem, *acceptio termini pro suo significato, quod habet secundum suam personam.* sed pro significato, quod habet independenter ab intellectu; suppositionem verò simplicem, tamquam membrum illi oppositum, *acceptio termini pro significato quod habet dependenter ab intellectu.*

CIV. Petes secundò, an admitti debeat suppositio media, id est, absoluta, quæ nec sit simplex vel personalis: vel una, quæ sit simul simplex & personalis; inter simplicem & personalem?

CV. Respõdeo negativè, quia quidquid supponitur formaliter, vel supponitur pro significato, quod habet dependenter ab intellectu, & sic supponitur simpliciter; vel pro significato, quod habet independenter ab intellectu, & tunc supponitur personaliter, nec assignari potest vox ulla, quæ supponitur simul pro significato, quod habet dependenter, & pro significato, quod habet independenter ab intellectu.

CVI. Dices primò, vox Petrus in his propositionibus, *Petrus est ens, Petrus est conceptibilis,* supponitur tam pro significato, quod habet dependenter ab intellectu, quam pro eo quod habet independenter ab intellectu, ergò supponitur suppositione absolutâ, vel saltem suppositione simplici & personali simul: probatur antecedens, quia tam sumptus pro significato quod habet dependenter ab intellectu, quam sumptus pro significato, quod habet independenter ab intellectu, est ens, conceptibilis &c.

CVII. Respondeo negando antecedens: ad ejus probationem distinguo antecedens, Petrus tam sumptus pro significato, quod habet dependenter ab intellectu, quam sumptus pro significato, quod habet independenter ab intellectu, est ens, conceptibilis &c. formaliter, & prout ista important præcisionem ab inferioribus, non prout ista absolutè tali voce nominantur, nego antecedens: realiter, materialiter & identicè, concedo antecedens: sed isto sensu hæc propositio, *Petrus est ens,* æquivalet huic, *Petrus est hoc individuum constans hoc corpore, & hac anima rationali.* Item hæc propositio, *Petrus est conceptibilis,* æquivalet huic, *Petrus est hoc individuum* &c. Priori verò sensu hæc propositio, *Petrus est ens,* æquivalet huic, *Petrus tam confusè conceptus, ut cum omni ente confundatur, & à solo non ente distinguatur, est ens:* & hæc, *Petrus est conceptibilis,* æquivalet huic, *Petrus tam confusè conceptus, ut confundatur cum omni conceptibili, & solum distinguatur à non conceptibili,* si detur, *est conceptibilis.*

CVIII. Dices secundò: eadem vox potest sumi pro suo immediato & mediato significato, ergò & supponi simpliciter & personaliter simul, ergò datur suppositio simplex & personalis simul: probatur antecedens in voce *Petrus* in hac propositione, *Petrus est ens formaliter & identicè seu realiter,* ergò &c.

CIX. Respondeo negando consequentiam, quia suppositiones simplex & personalis, non sufficienter diversificantur pœnes immediatum & mediatum significatum vocis, pro quo vox supponatur, ut constat ex dictis à num. 93. ad 99.

CX. Suppositio personalis subdividitur in essentialem, & est acceptio termini &c, pro significato essentiali independenter ab intellectu, ut *Petrus est corporeus:* & accidentalem, & est acceptio termini &c, pro significato accidentali independenter ab intellectu, ut *Petrus est quantus.*

CXI. Petes tertiò, an rectè Arriaga in summulis dividat suppositionem personalem in singularem, quam definit: *acceptio termini singularis pro suo significato singulari;* & communem, quam definit: *acceptio termini communis pro suo significato communi.*

CXII. Respondeo negativè, quia sicuti non datur significatum commune independenter ab intellectu, ita nec acceptio personalis termini pro suo significato communi, nam hæc, ipsomet Arriaga loco citato eam definiente, est *acceptio termini ad significandum id quod res habet secundum se,* id est, independenter ab intellectu; Vnde illâ suppositio personalis communis, erit personalis, & non erit: erit, ut supponit ipse; non erit, quia non erit acceptio termini pro significato, quod habet independenter ab intellectu.

DVBIVM V.

Quid descensus Logicus, & quæ illius species.

Resolutio I.

CXIII. Dico 1. descensus Logicus est argumentativa progressio ab universali ad particularia sufficienter enumerata; ut *omnis homo est animal,* ergò *Petrus est animal,* ergò *Paulus est animal,* & sic de cæteris; ergò *omnis homo est animal.*

CXIV. Dixi, sufficienter enumerata, quia, si vel unũ tantũ omittatur, descensus fuisset falsus, nã si numerando Apostolos solum Iudam omittendo, dicas, *Petrus est prædestinatus, Paulus est prædestinatus,* & *alii novẽ sunt prædestinati,* ergò *omnes Apostoli sũt prædestinati;* non sequitur, quia Iudas non est prædestinatus.

CXV. Petes, quid sit ascensus Logicus?

CXVI. Respondeo, est argumentativa progressio à particularibus sufficienter enumeratis ad universale: ut *Petrus est animal, Paulus est animal, & cæteri sunt animal, ergò omnis homo est animal.*

Resolutio II.

CXVII. Dico 2. descensus Logicus est quadruplex, Copulativus & Copulatus, Disjunctivus & Disiunctus.

De descensu Copulativo.

CXVIII. Descensus Copulativus, vel, ut alii, Vniversalis & Distributivus, est, qui fit ab universali ad omnia particularia seorsim sumpta, id est, in diversis propositionibus explicitè, vel implicitè; ut *omnis homo est animal, ergo Petrus est animal, ergò Paulus est animal;* ibi explicitè: hîc implicitè, *ergò & Petrus, & Paulus & cæteri sunt animal.*

CXIX. Descensus Copulativus est duplex, unus completus & absolutus, & est ab universali ad omnia particularia generum & specierum; ut *omne animal est sensitivum, ergò omnes canes, omnes boves* &c, *sunt sensitivi.* Alter accommodus & incompletus, qui est ab universali ad omnia genera vel species. non verò ad omnia particularia; ut *omne animal fuit in Arca Noë, ergò fuit aliquod animal cujusquè speciei in Arca Noë;* non verò omnia individua cujusquè speciei vel generis: nam nostra felis in ea non fuit.

CXX. Descensus Copulativi varia sunt signa.

CXXI. Primum: subjectum, quod afficitur signo universali affirmativo, supponitur copulativè, ut in hac propositione, *omnis homo est animal*, ly *homo* sumitur copulativè: subaudi, nisi signum universale per negativum impediatur; ut hîc, *non omne animal est homo*, quia sensus est, *aliquod animal non est homo.*

CXXII. Secundum: utrumque extremum propositionis negativæ supponitur copulativè; ut *nullus homo est lapis.*

CXXIII. Tertium: terminus communis, qui est casus obliquus termini comparativi, vel superlativi alicujus distincti specie, sumitur copulativè, ut *Leo est homine fortior*, non autem *homo est homine fortior*, quia homo ab homine specie non distinguitur.

CXXIV. Quartum: prædicatum cujus subjectum afficitur particula exclusiva *solus*, vel simili, sumitur copulativè; ut *solus homo est philosophus*, *tantum homo est ridens*, quia æquivalet isti, *omnis philosophus est homo*, *omnis ridens est homo.*

CXXV. Quintum: terminus communis, suprà quem cadit particula exceptiva, *præter*, vel similis sumitur copulativè; ut hîc ly *homo*, *omne animal præter hominem est irrationale.*

De Descensu Copulato.

CXXVI. Descensus copulatus est ab universali ad omnia particularia simul, id est, in eadem propositione; ut *omnia elementa sunt quatuor, ergò ignis, terra, aqua, & aër sunt quatuor*: non autem seorsim, *ergò ignis est quatuor*; *ergo terra est quatuor* &c.

CXXVII. Signa descensûs copulati sunt.

CXXVIII. Primum: subjectum, cui tribuitur prædicatum numerum significans, sumitur copulatim; ut ly *elementa* supra.

CXXIX. Secundum: ubi prædicatum significat actionem, vel effectum, qui singulis subjecti inferioribus vel denominatis tribui non potest, etiam sumitur copulatim; ut *tres pedes mensam sustinent*, *homines ubique vivunt*: non enim dici potest, *unus pes sustinet mensam*, *Petrus ubique vivit*: sed tres pedes, Paulus, Petrus &c.

De Descensu disiunctivo.

CXXX. Descensus disiunctivus sivè determinatus, est ab universali ad aliquod particulare determinatum, id est, quod determinatè assignari possit, ut *homo ambulat*, *ergò Petrus ambulat.*

CXXXI. Dices, per illam definitionem non satis distinguitur descensus disiunctivus à copulativo, quia uterque est à termino universali; & sub copulativè sumpto, possum descendere ad aliquod determinatum particulare, ut hîc, *omnis homo est animal*, *ergò Petrus est animal*, ergò &c.

CXXXII. Respondeo negando antecedens: ad probationem ejus respondeo utrumque quidem esse à termino universali; sed ab hoc per utrumque diversimodè ad particularia descendi; nam per copulativum ad omnia seorsim descendere possum; per disiunctivum ad unum vel aliquod tantum.

CXXXIII. Signum descensûs disiunctivi sit.

CXXXIV. Si terminus, qui supponitur, importet rationem, quæ non nisi uni individuo determinato tribui potest, sumitur disiunctivè; ut ly *homo* hîc, *homo ambulat*, dato quod solus Petrus ambulet.

De Descensu disiuncto.

CXXXV. Descensus disiunctus sive indeterminatus & confusus, est ab universali ad particulare indeterminatum, id est, quod determinatè designari non potest; ut *aliqua navis est necessaria ad navigandum*; *debeo tibi centum oves*; *oportet habere æquum ad equitandum*: undè falsa est propositio, *hæc navis est necessaria ad navigandum*, quia illa sufficit, & sic de aliis.

CXXXVI. Signa Descensûs disiuncti.

CXXXVII. Primum: à termino, qui sequitur verba *desidero*, *promitto*, *egeo*, *cupio*, *debeo*, & similia internas animi affectiones indicantia, descenditur disiunctim indeterminatè & confusè; ut *egeo pecuniâ*, scilicet, *hâc vel illâ*; non hâc determinatè.

CXXXVIII. Dicet aliquis in Monte Pietatis non recipitur nisi pecunia regia, ergò qui habet ibi chlamydem oppignoratam, eget pecuniâ regiâ, ut eam exoppignoret.

CXXXIX. Respondeo distinguendo consequens: eget pecuniâ regiâ, hac determinatè, ut nimirum sint partes trium assium (nisi ità conventum esset, quo casu per accidens à voce consequente verbum *debeo*, non descenderetur disiunctim, sed determinatè) nego consequentiam; hac vel illa, concedo consequentiam.

CXL. Secundum: à termino affecto uno horum verborum *oportet*, *requiritur*, *necessum est* &c, descenditur disiunctim, sive indeterminatè; ut in exemplo suprà Chyf. 137.

CXLV. Petes, cur non definiamus descensum disjunctivum & disiunctum, ut communiter definiri solent, scilicet,

CXLVI. Descensus disiunctivus est ab universali ad inferiora vel denominata disiunctivè enumeranda per particulam disiungentem integras propositiones: disiunctus est ab universali ad particularia disiunctim enumeranda per particulam disiungentem tantum partes propositionis.

CXLVII. Respondeo, quia per illas definitiones descensus disiunctus non satis distinguitur à disiunctivo: nam ab hoc termino universali, *navis est mihi necessaria ad navigandum*, possunt particularia enumerari disiunctivè hoc modo, *vel navis A est mihi necessaria*, *vel navis B est mihi necessaria*; nec inter hos descensus dabis differentiam, nisi ad nostras definitiones confugias.

Regulæ generales harum Suppositionum.

I.

CXLVIII. Non tam debent attendi signa, quam modus significandi signorum, qui ex usu, intentione loquentis & particulis, quibus subjecta limitantur, attendenti patebit.

CXLIX. Ratio 1. est; quia signa sæpè fallunt nos, ac decipiunt; ut 1. ly *aliquis*, quod non semper facit subjectum particularis affirmativæ (quod tamen communiter docetur) sumi disiunctivè; sed quandoque patitur sumi disiunctim; ut hic, *aliqua navis est necessaria ad navigandū*. 2. ly *omnis*; dicitur enim cōmuniter à prædicato universalis affirmativæ descendi disiunctim, sivè confusè, cum tamen sæpè possit descendi copulativè; ut hic, *omnis homo est rationalis*, *ergo Petrus est rationalis*, *ergò Paulus est rationalis.*

Dixi

CL. Dixi *sæpè*, quia, ubi in propositione universali prædicatum est genus, aut differentia generica &c, non rectè descenditur copulativè à prædicato ad ejus inferiora, ut patet ex hac propositione, *omnis homo est animal*; non enim rectè dicitur, *ergò omnis homo est omne animal*, cum tamen omni voci copulativè sumptæ liceat præferre signum *omne*, ut in allata propositione, *omnis homo est rationalis* fit; nam rectè dicitur, *omnis homo est omne rationale*. 3. denique, etiam communiter docetur particulas exclusivas *Solus, Tantum*, & Similes, facere ut subjectum propositionis exclusivæ sumatur disiunctim; fieri tamen potest, ut sumatur disiunctivè, ut hîc *solus homo est philosophus, ergo vel Aristoteles est philosophus, vel plato est philosophus.*

CLI. Ratio 2. est quod hæc attentio sit longè facilior, quam signa, quæ adferri solent; nam ut experientia docet, ista signa obruunt memoriam; & minus certa sunt, ut constat ex prima ratione.

CLII. Dices, ergo superflua sunt signa, & frustrà tradita.

CLIII. Respondeo negando consequentiam, quia non diximus ad ea nullo modo debere attendi, sed non tantum, quantum ad modum significandi terminorum. Deindè si benè expurgentur ab omni fallacia, multum prodesse possunt iis, qui sunt fœlicis memoriæ. II.

CLIV. A voce simpliciter sumpta quandoque descenditur ad particularia.

CLV. Ratio est: quia voces *homo* & *animal* in hac propositione, *homo est animal*, sumuntur simpliciter, & sub iis sic descenditur ad particularia, *ergo Petrus est hoc animal, ergò Paulus est hoc animal* &c. Vide definitionem suppositionis simplicis supra.

III.

CLVI. A voce materialiter sumpta non descenditur ad particularia, nisi suppositionem materialem latius sumas, puta ut est media inter materialem & formalem, vel prout est materialis & formalis simul. Vt ly *vox* hîc, *omnis vox est nomen* ergo hæc vox est nomen.

CLVII. Ratio Regulæ est, quia vox, à qua descenditur ad particularia, debet dicere directum ordinem ad particularia significata; vox autem materialiter strictè sumpta, ut patet ex ejus definitione, ad sua significata directum ordinem non dicit.

IV.

CLVIII. Non licet descendere à termino non distributo in antecedente ad distributum in consequente, ut *aliquis homo scribit, ergò omnis homo scribit:* Nam, præterquam quod consequens in bona argumentatione debeat contineri in antecedente (quod hic non fit) patet illationem esse falsam ob limitationem subjecti per prædicatum *scribit.*

V.

CLIX. Ab universali distributo ad particulare benè sequitur; ut *omnis homo est rationalis, ergo Petrus est rationalis.*

CLX. Petes, quotuplicia sint signa, sive voces, quæ terminis cathegorematicis superaddita, eorum suppositionem & significationem modificant?

CLXI. Respondeo esse multiplicia: alia enim sunt affirmativa, ut *omnis*, *aliquis*; alia negativa, ut *nullus, neuter*; alia universalia, ut *omnis, nullus*; alia particularia, ut *aliquis, aliquis non*: de horum signorum potestatibus seu virtutibus alii prolixius, nos verò quantum utilitas suasit, aliquid de illis inter Signa Descensuum attulimus.

DVBIVM VI.

Quid Status, Distractio, Ampliatio, Determinatio, & Appellatio.

Resolutio I.

CLXII. Dico 1. Status, qui à stando in tempore per copulam significato dicitur, est acceptio vocis pro re ut existente in ea temporis differentia, quæ per copulam ordinariam importatur; ut *paries est albus*, ubi status est præsentis temporis; potest tamen etiam esse præteriti, ut hîc *Petrus fuit occisus*, & futuri, ut *Antechristus nascetur.*

CLXIII. Dixi copulam ordinariam, quia extraordinariæ & accessoriæ non habetur ratio; ut hîc, *Petrus est videns hominem, qui est albus*; ultimum *est* est copula extraordinaria & accessoria, cujus proindè in ordine ad statum non habetur ratio.

CLXIV. Nota, propositiones accidentales contingentes posse habere statum, ut hæc, *paries est albus*, quia tantum verum est, *paries qui est, est albus*; haud verò *paries qui fuit, vel erit:* non tamen omnes, quia hæ, *Petrus est mortuus, domus est combusta*, non habent statum; nam falsum est, *Petrus qui est, est mortuus: domus quæ est, est combusta:* Sed habent distractionem, ut statim patebit, quia *Petrus qui fuit, est mortuus: domus quæ fuit, est combusta.*

CLXV. Nullæ essentiales possunt habere statum, quia veritas illarum à nullo tempore pendet, sed est æterna; undè dicuntur absolvi à tempore, & solam connexionem essentialem prædicati cum subjecto importare; veritas verò propositionum, habentium statum pendet à determinato tempore, ut patet ex definitione Statûs.

Resolutio II.

CLXVI. Dico 2. Distractio est acceptio vocis pro re ut existente in alia temporis differentia, quam importet copula ordinaria; ut *Petrus est mortuus: domus est combusta: Cæci vident.* Solum enim petrus, qui fuit est mortuus &c.

Resolutio III.

CLXVII. Dico 3. Ampliatio est acceptio vocis pro re ut existente in pluribus temporis differentiis, quam per copulam ordinariam importentur; ut *Petrus studuit*, scilicet, *qui est, vel fuit.*

CLXVIII. Hæ propositiones, *albū fuit nigrū: senex fuit puer: fructus erit flos:* In rigore quidè sunt falsæ, quia album ut album nullo tempore fuit nigrum, nec manens album potuit esse nigrum: Deindè senex ut senex numquam fuit puer, id est, senex numquam fuit senex simul & puer: denique fructus ut fructus, seu manens fructus, numquam erit flos; citrà ampliationem verò talis est istarum propositionum sensus: illæ tamen propositiones per ampliationem veræ sunt, cujus

CLXIX. Ratio 1. est: quia in propositione, cujus copula ordinaria est præteriti temporis, subjectum ampliatur ad præsens & præteritum, ac proindè duarum primarum propositionum hic est sensus, *album quod est, vel fuit, fuit nigrum; senex qui est, vel fuit, fuit puer.*

2. Quia

CLXX. 2. Quia subjectum propositionis, cujus copula ordinaria est futuri temporis, ampliatur ad præsens & futurum, ac proindè ultimæ propositionis hic est sensus, *fructus qui est vel erit*, scilicet in mense Iulio, *erit flos*, puta in mense Iunio, quod est apertè verum; simili sensu dic hanc propositionem esse veram *meretrix erit virgo*.

CLXXI. Adverte pro communi regula Statûs, distractionis & ampliationis, maximè attendendum ad modum loquendi & tempus, quo verum est, id quod affirmatur vel negatur: nam quod aliqui tradunt pro regula impliationis subjectum propositionis, cujus copula ordinaria est futuri temporis, ampliari ad tempus præsens & futurum, non semper verum est; ut hic, *Antichristus nascetur*; Antichristus enim *qui est*, non nascetur.

Resolutio IV.

CLXXII. Dico 4. Determinatio est restrictio termini à majori ad minorem significationem per adjunctionem vocis determinativæ voci determinabili; ut *animal homo est rationale*, ibi *animal* superius per *hominem* suum inferius determinatur; quo enim aliquid magis recedit ab hæcceitate, eò per plures differentias est determinabile; & è contrà, quo aliquid magis recedit à nudo, conceptu entis, eò magis determinatum est. Determinationes autem sunt variæ, ut hîc, *homo debilis labitur*, subsantivum per adjectivum determinatur; *æquus patris est tardus*, ibi per casum obliquum.

CLXXIII. Dixi, *ad minorem significationem*, quia determinatio principaliter stat pro restrictione, quæ est coarctatio termini à majori ad minorem significationem: sumitur tamen aliquando pro diminutione, quæ est coarctatio termini ab absoluta significatione ad significationem secundum quid, per additionem alicujus dictionis; ut, *ethiops est albus secundum dentes*: Item etiam pro alienatione, quæ propter vocem additam est termini à propria ad impropriam significationem translatio; ut, *Leo marmoreus, canis pictus*.

Resolutio V.

CLXXIV. Dico 5. Appellationem ferè confundi cum prædicatione, quia est quædam determinatio vocis substantivæ per adjectivam, ut *Ioannes est magnus Philosophus*: Multi multas tradunt regulas, ut dignoscant an ly *magnus* appellet *Ioannem*? ut sit sensus, *Ioannes, qui est magnus, est philosophus*; an verò *Philosophiã*? ut sit sensus, *Ioannes est magnus Philosophiá*: sed illæ sunt superfluæ, cum id ex tono, & modo, quo propositio profertur, & aliis præsentibus circumstantiis facillimè dignosci possit.

Nota tamen inter argumentandum non licere mutare appellationem, transeundo ab appellatione prædicati ad appellationem subjecti; nam, non sequitur, *Ioannes est magnus Philosophus*, supposito quod ly *magnus* appellet Philosophiam, *ergò est magnus*. Committitur etiam æquivocatio in voce *magnus*.

DISPVTATIO III.

De *Argumentatione & ejus Speciebus.*

CLXXVI. Quia propositiones sunt prima Argumentationis elementa; propositionum verò Signum, Nomen, Verbum & Oratio: circà hæc dubia nonnulla sunt antequàm de illis agamus, præmittenda. quarè sit

DVBIVM I.

Quid Signum & Quotuplex.

ANtè Resolutionem.

CLXXVII. Suppono signum hîc spectari prout commune est naturali & artificiali sive ex instituto: formali & instrumentali, in quæ passim dividitur; alioqui, si restringatur ad nonnulla rerum naturalium instrumentalia signa, rectè definitur ab Augustin. lib. 2. de Doctri. Christ. cap. 1. *Id quod præter speciem quam sensibus ingerit, in alterius rei cognitionem venire nos facit*: quia illa sola speciem sensibus ingerunt. Hoc supposito sit

Resolvtio I.

CLXXVIII. Dico 1. signum prout commune est &c, rectè definitur, *quod cognitum ducit nos in cognitionem alicujus*.

CLXXIX. Dixi, *quod cognitum*, puta ut *quo* vel ut *quod*; quia si formale, est semper ut *quò* cognitum, sivè cognitio alterius materialis aut spiritualis. Si instrumentale, quà tale semper cognoscitur ut *quod*, ut infrà monstrabitur.

CLXXX. Dices, ly *cognitum* est superfluum in definitione ista, sufficitq; signum in genere cum P. Arriaga Logicæ disp. 13. Sect. 1. hoc modo definire, *signum est id quod in alicujus rei cognitionem venire nos facit*. ergò &c.

CLXXXI. Respondeo 1. negando assumptum pro prima parte; quia, ut statim dixi, omne signum ut cognitum, saltem ut *quo*, ducit nos in cognitionem alicujus.

CLXXXII. Respondeo 2. etiam negando assumptum pro secunda parte: vel enim illud *id quod*, facit nos, id est, intellectum nostrum, venire in cognitionem alicujus rei ut cognitum, vel non ut cognitum? non secundum, quia cum intellectus non nisi cognoscendo moveatur & fiat veniens in cognitionem, sic ut ipsius moveri & in cognitionem venire sit cognoscere, nihil potest facere intellectum nostrum venire in alicujus rei cognitionem, nisi cognitum: Si primum, habemus intentum. Deindè da visionem labari rubri nos ducere in cognitionem vini rubri venalis; peto an visio labari non magis per se cognita, quam labarum per se sit cognitum, ducat nos in cognitionem vini rubri venalis? an per se cognita ut *quo*? si primum, non magis, ut patet, nos ducit in cognitionem vini rubri venalis, quam labarum per se cœcos in cognitionem illam ducat: si secundum, habemus intentum. An autem omnis cognitio, etiam materialis, sit suprà seipsam reflexa; parum

rum ad salvandam nostram definitionem interest ; nihil tamen absurdi (quidquid in contrariũ communis) si dicatur talis ex eo , quod quælibet forma sibi det essentialiter , quod aliis dat accidentaliter , de quo alibi : undè objectum visionis , extrinsecum quidem erit color , intrinsecum verò ipsa visionis intrinseca ; propter quod dixi in definitione *alicujus*,& non *alterius*,super quæ non reflectit objiciens , debet enim ipsius definitio in nostram incidere , vel loco *alicujus* debet ponere *alterius*,quia omne signum , quod per se facit venire in cognitionem sui ipsius,per se est cognitum,ut dicta consideranti patebit. Si verò ponat *alterius* cum P.Poncio Logicæ disput. 19. nu. 8. tunc excludit cognitionem,quæ est sui ipsius signum,uti cognitio sui ipsius.

CLXXXIII. Adde signum sonare actum , ut patet ex ipsius definitione : nihil tamen obstat agnoscere signa aptitudinalia,& in actu primo,dum nihil actu significant , & talia sunt voces , dum à non intelligente proferuntur,leguntur aut imprimuntur;undè latius quidem patet loqui, quam significare in actu secundo , non verò quam significare in actu primo, quæ non satis distinguit Pater Thomas Comptonus disput. 42. Logicæ Sect. 3.

Resolutio II.

CLXXXIV. Dico 2. Signum rectè dividitur in naturale & ad placitum , sive ex instituto,vel ut alii,artificiale.

CLXXXV. Signum Naturale est , quod ex natura sua & independenter ab humana institutione ducit nos in cognitionem alicujus ; ut fumus respectu calidi & humidi,non verò respectu ignis (ut communiter)quia ignis ut ignis fumum non facit,& fœnum non ignitum paulò antè quam per Antiperistasim ignem concipiat,suum fumum excitat ; item & cervisia recens cocta &c.

CLXXXVI. Signum ex instituto est, quod ex institutione humana ducit nos in cognitionem alicujus, ut scopæ antè fores appensæ respectu cervisiæ venalis ; poculum stanneum respectu vini.

CLXXXVII. Subdividitur autem signum ex instituto in Reale, Vocale,& Scriptum. Reale est,quod neque est vox , neque scriptura , ut dictæ scopæ: Vocale est, quod est vox ore hominis prolata , ut voces, quæ licèt omnes ex natura sua suum proferentem significent, non tamen omnes aliquid ab eo distinctum connaturaliter significant; sed aliquæ ex instituto, quod volens per experientiam probare quidam ex antiquissimis Philosophis Diodorus, nominibus conjunctionum suos famulos appellavit, ita ut unum *quare*, alium *quia*,unum *atqui*, alium *ergò* vocaret: aliquæ connaturaliter, ut tinnitus sonũ campanæ, taratantara tubæ;dictæ enim voces dictos sonos connaturalier significant, & è contrà; vix tamen plures similes invenies. Scriptum est, quod est vox scripta.

CLXXXVIII. Dices ex R.P.Telles Logicæ disput. 9. Sect. 1. canis herum sequens multos ducit in cognitionem heri præcedentis : Item mappæ appositæ , sunt signa prandii , & tamen nec sunt signa ex natura,nec ex instituto : ergò divisio illa non est adæquata.

CLXXXIX.Respondeo signa illa esse ex instituto, non quidem communi,sed privato certarum personarum & Provinciarum:si quis enim canem semper abegisset, non sequeretur , & si mensa semper strata teneretur,mappa prandium non significaret, potius quam merendam.

Resolutio III.

CLXXXX. Dico 3. Signum rectè etiam dividitur in formale & instrumentale.

CLXXXXI. Signum Formale est,quod immediatè per se ipsum , sivè nullâ mediante sui cognitione realiter à se distinctâ cognitum,ducit nos in cognitionem alicujus;ut prima intentio,sivè visus,sive intellectus , in objectum , ut manifestum est ex Responsione ad objectionem Resolutione 1. factam. Per quam hæc definitio signi formalis , *signum formale est, quod sine sui cognitione in alicujus rei cognitionem nos ducit*,confirmatur.

CLXXXXII. Dices ex R. P. Poncio disput.19.cit. num. 2. ludicrum est dicere , quod cognitio ducat in cognitionem,quod per illam definitionem asseritur,ergò &c.

CLXXXXIII.Respondeo negando assumptum,quia sicut ludicrum non est,quod forma essentialiter retineat , quod aliis dat accidentaliter , ita ludicrum non est , quod cognitio ducat cognoscentem essentialiter in cognitionem sui , cum sic sit alio um ut cognitorum cognitio accidentaliter , ut sit sui cognitio essentialiter. Vide dicta Chyf. 182,

CLXXXXIV.Signum instrumentale est,quod aliquâ mediante sui cognitione à se realiter distinctâ,ducit nos in cognitionem alicujus, ut scopæ respectu cervisiæ venalis ; Species impressa respectu sui objecti, nam illa non ducit nos in cognitionem objecti, nisi mediante sui cognitione ut quo.hinc

CLXXXXV. Colliges idem signum , respectu ejusdem cognoscentis, posse esse formale & instrumentale ejusdem ; omnis enim prima intentio formalis, suprà quam reflectit secunda formalis existens in eodem intellectu, est tale signum ; formale quidem quatenus præcisè intellectum ducit in cognitionem sui objecti per se ipsam,sivè nullâ mediante &c;instrumentale verò , quatenus ducit in cognitionem sui objecti mediante secunda formali à se realiter distinctâ.

CLXXXXVI. Dixi , mediante sui cognitione &c, quia alioqui P. Poncius loco citato per hanc suam signi instrumentalis definitionem, *signum instrumentale est id , quòd cognitum ducit in cognitionem alterius*, non excludit signum formale,ut v.g.primam intentionem respectu sui objecti,quia cognitum respectu illius ducit in cognitionem alterius; secundum omnes tamen,qui signa formalia agnoscunt , respectu illius est signum formale.

Resolutio IV.

CLXXXXVII. Dico 4. Signum non malè ultimò dividitur in signum à priori,ut causa respectu effectus necessarii ; à posteriori,ut effectus respectu causæ necessariæ;& à proportione , ut statua respectu Cæsaris , propter proportionem quantitatis & dispositionis colorum.

QVÆ.

QVÆSTIVNCVLA

Quid, & Quomodo Signa Realia, vocalia & scripta significent.

Resolutio I.

CLXXXVIII. Dico 1. Signa Realia significant primariò & immediatè res ipsas, ad quas significandas sunt instituta, conceptum verò instituentis secundariò & mediatè.

CLXXXIX. Probatur prima pars: quia ad eas primariò & immediatè significandas sunt instituta, ergò &c. Colligitur 1. veritas antecedentis, Ex eo, quod qui ad fores suas scopas appendit, primariò & immediatè intendat transeuntem ducere in cognitionem cervisiæ venalis, sicut primariò & immediatè intendit cervisiam vendere, & ex ea vendita lucrum reportare; non verò conceptum suum manifestare, quandoquidem ex ejus manifestatione, lucrum, quod prætendit, nequeat reportare.

Colligitur 2. quia, qui sitit, & videt scopas foribus appensas, vadit & petit cervisiam primariò & immediatè, sicuti primariò & immediatè prætendit suam sitim exstinguere; non verò conceptum illas appendentis, cum per illum suam sitim exstinguere non possit. sed

cc. Dices quid si is, qui scopas appendit, intenderet vapulare debere omnem illum, qui ad talem domũ accederet? numquid indè sequitur quod hic vapulando suam sitim exstinguere deberet; ac proindè imprudenter facere, si prius & primariò ad conceptum appendentis non attenderet? ergò signum reale significat primariò & immediatè conceptum.

cci. Respondeo, transeat antecedens, nego sequelam, videlicet quod talis imprudenter ageret, nam is ageret juxtà consensum & institutionem communem, secundum quam scopæ foribus appensæ in Flandria significant cervisiam venalem; ille verò authoritate privata, quæ communi institutioni prævalere non potest; undè duplum recipere deberet.

ccii. Secunda pars patet, quia signa realia omne illud significant in cujus cognitionem nos ducunt, sed etiam nos ducunt in cognitionem conceptus instituentis, ut experimur, & illum primariò ac immediatè non significant, ergò secundariò & mediatè.

Resolutio II.

cciii. Dico 2. Signa vocalia sive voces, etiam primariò & immediatè respectu audientis significant res ipsas, ad quas significandas sunt instituta, conceptum verò proferentis secundariò & mediatè.

Dixi *respectu audientis*, quia respectu proferentis possunt primariò & immediatè res vel conceptus significare, prout fuerit intentio proferentis.

cciv. Probatur Resolutio pro prima parte, quia ad eas primariò & immediatè significandas sunt instituta, ergò &c. Veritas autem antecedentis hujus probationis.

ccv. Colligitur primò ex eo quod, qui in sylva super quercum existens videt lupum famelicum & furibundum ire obviam peregrino, clamans *fuge amice, ecce lupus famelicus & furibundus tibi obviam venit*, intendat primariò & immediatè peregrinum ducere in cognitionem rerum significatarum per illas voces, ergò illas primariò & immediatè significant; alioqui adhiberet alia signa eas primariò & immediatè significantia, ut tantum nocumentum à proximo certius removeret.

ccvi. Colligitur 2. Ex eo, quod peregrinus audiens prædictas voces, parum attendens ad conceptum clamantis, verusne, an deluforius sit, sibi præcaveat, & quam citissimè fugiat, aut arborem conscendat, quod non faceret quin ad conceptum clamantis attenderet, si illum primariò significaret.

ccvii. Colligitur 3. quia qui Atheum docet Deũ esse, non intendit primariò & immediatè eum docere se habere conceptum de existentia Dei, sed existentiam Dei primariò & immediatè per illas voces significatam, sinè cujus notitia salvari non potest; ergò illas primariò & immediatè significant, alioqui alia signa adhiberet eam primariò & immediatè significantia, ut ipse de tam necessaria charitate præstita certior fieret.

ccviii. Colligitur 4. quia signa vocalia inventa sunt ad significanda primariò & immediatè sensibiliter, quod nostri conceptus primariò & immediatè insensibiliter & spiritualiter significant; nam substituuntur loco conceptuum juxtà Aristotelem primo de Interp. cap. prim. *ea quæ in voce versantur, signa sunt affectum, qui in anima sunt*: Sed conceptus primariò & immediatè significant res, ut Resol. 1. vidimus, ergò &c.

ccix. Colligitur 5. ex Aristotele, qui sæpè dicit voces poni loco rerum in argumentatione, & nominatim lib. cit. cap. ultimo de propositione vocali dicit, *ab eo quod res est vel non est, propositio est vera vel falsa*; ergò significant primariò & immediatè res, alioqui dicere debuisset; *ab eo quod conceptus est vel non est, propositio est &c.*

ccx. Nec dicas primò. Saltem hæ voces *conceptus, cognitio* &c. Non significant primariò & immediatè res: nam per rem hîc intelligimus aliquid realiter distinctum ab actu, quo repræsentatur, alioqui frustrà quæreretur, an voces primariò & immediatè res? an conceptus significent? significata verò istarum vocum *conceptus, cognitio* &c, cum seipsa repræsentent, ut summum esse possunt aliquid realiter distinctum ab actu reflexo, ad quem se habent, sicut aliæ res ad directum.

ccxi. Nec dicas 2. quod si voces non significent primariò & immediatè conceptus, nullum fore mendacium: nam mendacium non sumitur ab eo quod voces hoc vel illud primariò & immediatè significent, sed ab eo quod loquens intendat voces substituere loco conceptuum, quibus contrarios habet:

ccxii. Secunda pars probatur uti Resol. 1. & Aristotele statim citato.

Resolutio III.

Antè Resolutionem.

ccxiii. Suppono signum scriptum esse duplex, unum constans litteris tamquam materia, & significatione tamquam forma: alterum constans solis punctis, lineolis, picturis &c, & vocatur Hieroglyphicum; talia sunt scripturæ Iaponicæ & olim hebraicæ, idem dic de chyfra. 1. 2. 3. 4. hoc supposito.

Dico 3.

CCXIV. Dico 3. Signa scripta constantia litteris &c, primariò & immediatè significant voces.

CCXV. Probatur, quia signa scripta primariò & immediatè significant id, quod ipsa legenti primariò & immediatè occurrit; atqui legenti hæc signa scripta, *album, brutum*, &c, primariò & immediatè occurrunt voces *album, brutum*, &c: ergò &c, veritas minoris.

CCXVI. Colligitur ex eo, quod legendo pronuntiatur *album, brutum* &c, non autem significatum albi, scilicet habens albedinem, nec significatum bruti, scilicet habens brutalitatem, nec conceptus scribentis, quod alioqui fieri deberet.

CCXVII. Objicies 1. ex R. Patre Thoma Comptono disput. 4. Logicæ, sect. 5. oppositum certius videtur, quam ut in dubium vocari possit: surdi enim & muti scribere docentur, & verbis, *homo, equus*, &c, quæ in charta, vel ipsi formant, vel alii, non significant voces ore prolatas, quia sui percipiendi aut voces articulandi capaces non sunt: ergò &c.

CCXVIII. Respondeo præterquam quod meritò opponatur, voces sæpius proferri aut imprimi ab ignorantibus res per eas significatas, ac proindè illis res significare non posse; illis per accidens voces scriptas significare immediatè & primariò conceptus, sicut per accidens surdi & muti sunt: nostra autem Resolutio, utpote generalis, attendere debet ad id, quod per se communiter fit; undè nego consequentiam.

CCXIX. Objicies 2. Ex eodem. Præsumendum est, homines scripturam instituisse, ut res immediatè significarent; ut quid enim frustrà & sinè necessitate interposuissent significationem vocum per scripturam, si immediatè per scripturam res intelligi possit? ergò &c.

CCXX. Confirmatur: dum homines se mutuò litterarum officio salutant, non est his curæ, ut articulatum vocis sonum & artificiosam pronuntiationem, sed ut res sub ipsis signis contentas percipiat is, ad quem litteræ diriguntur: ergò &c.

CCXXI. Respondeo præsumendum, homines instituisse, quod experientia fieri docet; experientia autem docet, legentem, non res per scripturam significatas legere, sed voces, quas scribens loquendo profert: igitur præsumendum est, homines scripturam instituisse, ut voces immediatè & primariò significarent, neque frustrà interposuisse significationem vocum per scripturam, quia scripturæ sunt institutæ ad significanda ea, quæ continuò proferremus, si æquè verbo ac scripturâ possemus: deindè multæ scripturæ sunt institutæ ad discendum voces proferre, ut patet ex discentibus linguas: imò vel ipsa Ecclesia obligat ad horas voce, & prohibet, mente recitare: nec est cur in eo dicatur, secundarium scripturæ significatum petere, primarium negligere; & alioqui nulla esset distinctio inter institutionem scripturæ & vocum: undè negò consequentiam.

Ad confirmationem.

CCXXII. Respondeo illos, qui litteris sese mutuò salutant, ad res simpliciter non attendere, sed ad res, quatenus à tali vel tali persona, si præsens esset, sibi voce significarentur: quia si credatur præsens aliud dictura, despiciuntur. Ex quo liquet, priùs scripturam voces scribentis significare, quàm res. Vndè negò consequentiam.

R. P. Francisci Bonæ Spei Logica.

Resolutio IV.

CCXXIII. Dico 4. Signa scripta constantia solis punctis lineolis, picturis &c, primario & immediatè significant res, nullatenus voces. Probatur, quia ad eas significandas sunt primariò & immediatè instituta, ergò &c: veritas âtecedentis

CCXXIV. Colligitur 1. ex hoc signo ·†·, dato quod apud certæ nationis homines quinq; vulnera Christi significet, sic ea significat, ut voces nullatenus significet; quia voces articulantur, hoc signum articulari non potest, nisi per litteras, quo casu transiret ab hieroglyphico ad scriptum constans litteris tamquam materiâ, & de eo, ut antè, loquendum foret.

CCXXV. Colligitur 2. Quia signum allatum adhuc idem significaret, puta quinque vulnera Christi, licet omnes voces essent vel fuissent impossibiles: idem est de hac nota Chyfræ 3. quæ etiam dicto casu tria significaret.

CCXXVI. Confirmatur: eodem modo dicta signa se habent ad suum significatum, quo statua Cæsaris ad Cæsarem, sed hæc primariò & immediatè significat Cæsarem, ergò & illa suum significatum.

DVBIVM II.

Quid Nomen.

CCXXVII. Difficulter traditur bona Nominis definitio, quæ exactè distinguat ly *cœno* à cœna; *prandeo* à prandio; *prandens* quatenus gerundium, à *prandens* quatenus verbale & declinativum per casus; *prædefiniens, prævidens* &c, à prædefinivit, prævidit &c; *præsens* à præest; *præteritum* à præterivit; *futurum* ab erit: ut patet 1. ex definitione Nicolai Nebrissensis quem sequitur Arriaga, *Nomen est vox declinata per casus.* Contra quam prætereà est, quod casus obliquus non declinetur per casus, & tamen sit nomen haud minùs, quàm rectus ut rectus: Deindè etiam, quod sicut dantur voces ex instituto nihil significantes, ita dentur nomina ex instituto indeclinabilia, ut *gelu*: si dicat *gelu* declinari, sed secundum eamdem semper terminationem; idem dicam de *quia* & similibus adverbiis, quæ per illam definitionem non excludit: ut patet. 2. Ex communi definitione, quam adfert Pater Comptonus ex Aristotele Periherm. cap. 2. *Vox significativa ex instituto sinè tempore, cujus nulla pars significat separata, finita & recta, quæ cum verbo est, veram vel falsam efficit orationem.* ubi ly, *sine temporis differentia*, ita explicat, ut non significet actionem in certa ex primariis temporis differentia conjungi cum eo, à quo proficiscitur. Sed contrà etiam est, quod ista definitio non excludat gerundia quà gerundia; participia quà participia; & supina quà supina, quæ, ut talia, sunt verba, & tamen in se, in certa ex primariis temporis differentia actionem conjungi cum eo, à quo proficiscuntur, non significant. Deindè cæteræ particulæ frustrà adduntur: quia non homo, hominem &c, haud minùs sunt nomen, quàm homo. Quarè aliter sit.

Resolutio.

CCXXVIII. Dico, nomen est *vox cathegorematica, nec in se nec in toto in certa ex primariis temporis differentia agere seu actionem suo agenti conjungi significans.* Per ly *nec in se nec in toto* exclude gerundia & supina quà talia. Per cætera, exclude ea de quibus antè.

DVBIVM III.

Quid Verbum.

CCXXIX. DIfficulter etiam traditur bona verbi definitio, quæ exactè verbum distinguat à nomine : ut patet 1. ex definitione Nicolai Nebrissensis, quam etiam sequitur P. Arriaga: *Verbum est vox conjugata per tempora* ; non enim video cur potiùs *amaverint* sit vox conjugata per tempora quàm *gelu, quia* &c, & tamen est verbum : deinde non est cur non dentut, vel saltem dari non possint verba, secundum unum tempus tantùm conjugabilia ; & inconjugabilia secundum plura tempora, uti gelu est declinabile secundum unum casum, & indeclinabile secundum plures casus. Vt patet 2. ex communi definitione, quam adfert P. Comptonus ex Aristotele 1. Periherm. ca. 3. *Verbum est vox significativa ad placitum cum tempore, cujus nulla pars separata significat, finita & recta, & eorũ, quæ de altero dicuntur, nota.* Vbi ly *cum tempore* ita explicat, ut significet actionem in certa ex primariis temporis differentia conjungi cum eo, à quo proficiscitur. Sed contrà est quod ista definitio non includat gerundia quà gerundia, participia quà participia, supina quà supina, quæ, ut talia, sunt verba; & tamen in se, in certa ex primariis temporis differentia actionem conjungi cum eo, à quo proficiscitur, non significant. Deindè cæteræ particulæ frustrà adduntur : non enim minùs *amat* est verbum quam *amo*, nec ly *amo* in hac propositione *amo est verbum*, minùs est verbum, quàm copula *est*.

CCXXX. Dices ex R. P. Poncio, gerũdia, participia &c, ut v. g. amandum, amans, non significare actionem in certa temporis differentia conjungi cum eo à quo proficiscitur, nisi ratione verbi *est*, amandus est v. g. amans est &c, ergò non sunt verba.

CCXXXI. Respondeo concesso antecedente negando consequentiam : esse enim verba, constat; ac proindè, cum illis definitio ista non conveniat, alia, quæ illis conveniat, adferri debet. Pro qua sit

Resolvtio.

CCXXXII. DIco, verbum est *vox ex instituto in se vel in toto in certa ex primariis temporis differentia agere seu actionem suo agenti conjungi significans.* Per ly *vel in toto*, comprehende gerundia, participia & supina quà talia; & exclude nomen, adverbia &c.

Adde ly *vox*, prout est genus in allatis nominis & verbi definitionibus, non sumi formaliter ut nomen, sed prout est denominatum in definitione nominis, sivè pro eo, quod materialiter est nomen, alioqui malæ forent definitiones, ut patet.

DVBIVM IV.

Quid Oratio, & quomodò dividatur.

CCXXXIII. DIfficulter denique traditur bona orationis definitio, quæ exactè orationem distinguat à termino complexo; sic tamen ut communis sit Orationi perfectæ & imperfectæ. Vt patet primò ex definitione communi, *Oratio est vox significativa cujus partium aliqua separata significat.* Addunt aliqui cum Philosopho 4. de Interp. *Vt dictio; sed non ut affirmatio vel negatio.* Contrà enim est, quod hæc propositio *blictri est blictri*, vera sit oratio, & tamen nulla illius pars separata significet, saltem ex instituto, ut intelligi debet : deindè quantum ex oratione perfecta & imperfecta colligitur, debet esse aliqua distinctio inter orationem & terminum complexum, quia illæ sunt Oratio, & non terminus complexus. Vt patet secundò ex definitione Arriagæ, & ferè Hurtadi: *Oratio est vox composita ex nomine & verbo inter se congruentibus*, id est, in eadem persona cohærentibus : contrà est, quod huic perfectæ propositioni, *amo est agere*, non conveniat definitio ista: quia nullum nomen nec ulla cohærentia in persona. Quarè pro alia sit

Resolvtio I.

CCXXXIV. DIco 1. Oratio est *dictio completa sivè perfecta per verbum.*

Dixi, *completa per verbum*, ut excludas terminum Complexum.

Resolvtio II.

CCXXXV. DIco 2. Oratio sivè enuntiatio non rectè dividitur in enuntiativam & non enuntiativam ; sed immediatè dividi debet in enuntiativam perfectè, & enuntiativam imperfectè.

CCXXXVI. Dixi, *sivè enuntiatio*, quia reverà omnis oratio, prout à termino complexo distinguitur, est enuntiatio, ut statim patebit.

CCXXXVII. Probatur 1. pars Resolut. quia nulla adferri potest oratio, ut à termino complexo distincta, quæ non sit enuntiatio: ergò &c.

Probatur assumptum : quia si aliqua adferri posset, maximè hæ adferrentur, *si venissem, scinde panem* &c: atqui illæ æquivalent his, *si ego fuissem veniens, tu esto scindens panem* &c ; in quibus est subjectum, copula & prædicatum, ac proindè sunt veræ enuntiationes, ergò &c.

CCXXXVIII. Probatur 2. pars Resol. quia enuntiativa perfectè, cum sit illa, quæ ità enuntiat, ut perfectum sensum gignat in mente audientis ; ut *Deus est justus, paries est albus* &c, datur; & aliundè enuntiativa imperfectè, cum sit illa, quæ ità enuntiat, ut non nisi imperfectum sensum gignat in mente audentis, ut *si venissem, ambulabis* &c, similiter datur: nec aliæ excogitari possunt, ergò &c.

CCXXXIX. Confirmatur, quia gignere vel non gignere perfectum sensum est extrà essentiam enuntiationis in genere, haud secùs, quàm esse veram, vel falsam, affirmativam, vel negativam, ergò haud secùs quàm in has, in illas rectè dividitur.

DISPV-

DISPVTATIO IV.

De Propositione.

DVBIVM I.

Quid Propositio & Quotuplex.

CCXL. NOn minùs obscurè & difficulter de Propositione loquuntur Philosophi, quam de Nomine, Verbo, & Oratione, nec unam propositionis definitionem adferunt, quæ terminum complexum exactè excludat, & omnem propositionem, ac proindè orationem imperfectam, comprehendat, ut consideranti patebit: si enim definiatur cum communi, Propositio *est alicujus de aliquo affirmativa, negativave oratio*: definitum ingreditur suam definitionem, quia, ut vidimus Dub. Vltim. Disput. præcedentis, oratio, enuntiatio, propositio &c, confundi debent: deindè traditur per suas species, ac proindè per seipsam; ista autem sunt in definitione vitiosa.

Aliter R. P. Thomas Comptonus, Propositio *est oratio enuntiativa alicujus de aliquo*; sivè ut Oviedus, *Oratio in qua unum de alio dicitur*: Sed etiam in his definitum ingreditur suam definitionem, in prima quidem, quia Oratio enuntiativa est Propositio; secunda verò, cum oratio sit propositio, ut suprà vidimus, æquivalet huic, *propositio est propositio*, in qua unum de alio dicitur, quæ etiam suum definitum includit: Idem esto judicium de hac (præterquam quod apprehensivam malè excludat) R. Patris Poncii, propositio *est oratio qua significatur judicium intellectus de aliqua re*. Quare pro alia Propositionis definitione sit.

RESOLVTIO I.

CCXLI. DIco 1. propositio est dictio completa, sivè perfecta, per verbum. Ly *Dictio*, commune est termino complexo & orationi, ac proindè genus definiti: ly *perfecta per Verbum*, est differentia, per eamque excluduntur termini complexi, & includitur omnis propositio affirmativa, negativa; vera, falsa; perfectè enuntiativa, imperfectè enuntiativa &c, ut disput. præcedenti dub. ult. vidimus.

CCXLII. Dices 1. *Dictio* idem est quod affirmatio, ergò definitum ibi ingreditur suam definitionem.

CCXLIII. Respondeo distinguendo assumptum, *dictio* enuntiativa, idem est quod affirmatio, transeat assumptum; non enuntiativa, nego assumptum, quia ut sic, idem est quod terminus complexus.

CCXLIV. Dixi, *transeat*, quia *dictio* mihi indifferens est ad affirmationem & negationem; dico enim *esse*, ut *homo est animal*, & dico, *non esse*, ut *homo non est lapis*.

CCXLV. Dices 2. quis dicat hanc dictionem, *librum legere*, esse propositionem? illa tamen est dictio completa sivè perfecta per verbum. ergò &c.

CCXLVI. Respondeo, omnes id dicere debere, *quia librum legere*, æquivalet, *liber est lectus*, *Petrus est legens*; nec ibi aliud interest, quam quod termini sint confusè & implicitè tantùm positi, & idem est de similibus propositionibus.

CCXLVII. Dices 3. quandoquidem, juxta suprædicta, gerundia, participia & supina, quà talia, sint verbum; *Petrus amandus*, *Petrus amans*, *Petrus amatus* &c, erit dictio completa per verbum, atqui talis dictio non est propositio, sed terminus dumtaxat complexus. ergò &c.

CCXLVIII. Respondeo concessâ majore, negando minorem; quia si ly *amandus*, *amans*, *amatus* &c, sumantur quatenus verba, quomodo sumi debent, ut sint propositiones; & non nominaliter tantùm, sivè quatenus adjectiva, semper sumuntur quatenus in toto significant aliquam ex primariis temporis differentiam, *est*, *fuit* vel *erit*, ut sit sensus *Petrus amari debet*, *Petrus amat*, *Petrus amatur*, quæ in has resolvuntur, *amor est Petro debitus*, *Petrus est amans*, *Petrus est amatus*.

RESOLVTIO II.

CCXLIX. DIco 2. dividitur 1. propositio in Cathegoricam & Hypotheticam.

CCL. Cathegorica est, quæ constat prædicato, Subjecto & Copulâ, implicitè ut *Petrus scribit*; vel explicitè ut *Petrus est scribens*: si copula & prædicatum explicitè ponantur, propositio dicitur de tertio adjacente; si alterutrum implicitè tantum, de secundo adjacente: in propositione autem cathegorica copula semper resolvitur in verbum *sum*.

CCLI. Hypothetica est, quæ constat duabus propositionibus cathegoricis tamquam extremis, illiusquè proindè quatenus hypotheticæ copula semper exprimitur per conjunctiones, *et* v. g. *aut*, *si*, *quia* &c; ut *Petrus docet*, *& Paulus cantat*; *si dies est*, *sol ortus est* &c.

CCLII. Dividitur 2. secundum qualitatem in affirmativam & negativam; quare Boëtius dicit propositionem per definitionem suprà allatam non definiri absolutè, sed definiendo dividi; similia habet Albertus Magnus: hinc malè nonnulli putant eam divisionem esse secundum qualitatem essentialem; quia est tantum secundum accidentalem, uti est divisio animalis in rationale & irrationale.

CCLIII. Dividitur 3. secundum quantitatem in universalem, particularem & indefinitam.

CCLIV. Vniversalis sic definitur ab Aristotele, *quæ aut omni aut nulli inesse significat*, id est, est propositio in qua prædicatum, vel affirmatur, vel negatur de subjecto universaliter sumpto: hinc subjectum propositionis universalis per se loquendo affici debet signo *omnis*, ut *omnis homo est animal*; vel signo *nullus*, ut *nullus homo est animal*.

CCLV. Propositio particularis est, *quæ alicui aut non alicui* (id est alicui non, aut non omni) *inesse significat*, id est, est propositio cujus subjectum afficitur signo particulari *aliquis*, ut *aliquis homo est pius*.

CCLVI. Dixi, *id est*, *alicui non*, quia si ly *non* præponatur alicui, idem est quod *nullus*.

CCLVII. Propositio indefinita est, *quæ aut inesse*, *aut non inesse sinè signo universali vel particulari significat*, id est, est propositio, cujus subjectum nullo signo afficitur; ut *homo est animal*: *homo non est brutum*, pro quo

CCLVIII. Adverte, quod, quando propositio indefinita est in materia contingenti, æquivaleat particulari; ut *homo est doctus*, idem est, quod *aliquis homo est doctus*, si verò sit in materia necessaria vel essentia-

li; æquivalet universali; ut *homo est animal*, idem est, ac *omnis homo est animal*.

CCLIX. Petes, quarè una divisio vocetur secundum qualitatem, altera secundum quantitatem?

CCLX. Respondeo, quia prima divisio est secundum affectiones prædicati seu formæ, quæ perspè sunt qualitates: secunda verò est divisio penes affectiones subjecti sive materiæ, cujus proprietas est quantitas; vel juxta Arriagam, quia hæc divisio sumitur secundū coarctationē & extensionē subjecti.

CCLXI. Dividitur 4. in Apodicticam, & Dialecticam:

CCLXII. Apodictica *est sumptio alterius partis contradictionis*, id est, propositio necessaria sivè necessariò vera, undè ab aliis dicitur demonstrativa; ut *omne totum est majus sua parte*.

CCLXIII. Propositio Dialectica *est interrogatio contradictionis*, id est, propositio tantum probabilis: hæc autem dicitur interrogatio contradictionis, quia, cum tantum sit probabilis, debet interrogari Respondentis, an eam concedat, vel neget? id verò de Apodictica, utpote necessariò vera, interrogari non debet. Hic tamen notat Aristoteles ad formam syllogisticam nihil referre, sitnè Apodictica, vel Dialectica, modo sit ex propositione concessa ab adversario; undè tam benè concluditur ex propositione Dialectica concessa, quam ex Apodictica.

CCLXIV. Apodictica dividitur in Apodicticam secundum se tantum, & est, quæ in se est necessariò vera, non quoad nos; ut *Deus est trinus*: & in Apodicam quoad nos, & est, quæ quoad nos est necessariò vera; ut *omne totum est majus sua parte*.

CCLXV. Dialectica etiam subdividitur in Dialecticam secundum se, & est, quæ in se est tantum probabilis, ut *cœlum non constat materiâ sublunari*: & in Dialecticam quoad nos, & est, quæ quoad nos est probabilis; ut *omnis mater diligit suum filium*.

CCLXVI. Dividitur 5. in Vocalem, Mentalem, Scriptam & Objectivam, quarum definitiones facilè colliges ex dictis de terminis Tract. primo.

CCLXVII. Adverte autem pro complemento hujus materiæ propositionem sivè enuntiationem aliquando vocari propositionem, aliquando enuntiationem, aliquando problema, aliquando conclusionem, aliquando instantiam: quæ omnia non re, sed significatione tantum differunt, & sunt quasi diversa propositionis officia: nam propositio quatenus assumitur ad syllogismi constitutionem, dicitur propositio; quatenus in ea simpliciter prædicatum tribuitur subjecto, dicitur enuntiatio; quatenus verò per eam in utraque parte contradictionis interrogatur, v.g. *Logicus est doctus*, vel *indoctus*, quid ad hoc? est problema; quatenus infertur ex præmissis, est conclusio; quatenus denique affertur ad inferendam veritatem alicujus propositionis, dicitur instantia.

CCLXVIII. Dividitur 6. in immediatam & mediatam: Immediata est, cui assentimur ex sola evidentia terminorum, ut *pars minor est suo toto*: Mediata est, cui solum assentimur per aliquod medium sive argumentum.

CCLXIX. Immediata subdividi potest in demonstrativam, ut *omne totum est majus sua parte*: & in Dialecticam, ut *omnis mater diligit suum filium*.

CCLXX. Propositio mediata subdividitur in Scientiam, Opinionem, & Fidem. Scientia est assensus mediatus per medium demonstrativum. Opinio per medium probabile: Fides per testimonium.

CCLXXI. DIco 3. Propositio, prout ab aliis prædicatio dicitur: alterius.

CCLXXII. Dividitur primò in propriam & Impropriam.

CCLXXIII. Propria est, cujus omnes partes sumuntur in propria significatione; ut *homo est animal*.

CCLXXIV. Impropria est, cujus non omnes partes sumuntur in propria significatione; ut *prata sunt ridentia*, ubi ly *ridentia* sumitur impropriè.

CCLXXV. Dividitur secundò in Formalem, Causalem, & Concomitativam.

CCLXXVI. Formalis est, cujus veritas spectatur ex identitate extremorum, & hæc est propria prædicatio; ut *homo est animal*.

CCLXXVII. Causalis est, cujus copula designat unum esse causam alterius, ut *præsentia solis est dies*: vel cujus veritas spectatur non ex eo quod unum extremum sit idem cum alio, sed quod unum causetur ab alio, & hæc prædicatio est impropria, quia copula *est* sumitur impropriè pro ly *causat*, cum propriè significet identitatem, quomodò in rigore esset falsa prædicatio.

CCLXXVIII. Concomitativa est, in qua veritas spectatur ex eo, quòd unum sequatur ex alio; ut *generatio unius est corruptio alterius*: & hæc etiam est impropria, quia verbum *est* sumitur pro *concomitatur*.

CCLXXIX. Dividitur 3. in ordinatam, in qua prædicatur id, quod aptius est prædicari; & in Inordinatam, in qua prædicatur id, quod non est aptius prædicari.

CCLXXX. Quæres, quid sit aptius prædicari?

CCLXXXI. Respondeo, superius respectu inferioris; adjectivum respectu substantivi; ut *animal respectu hominis, album respectu parietis*. Ratio est, quia superius & adjectivum habent se per modum formæ, prædicatum autem est velut forma subjecti.

CCLXXXII. Dividitur 4. in Intrinsecam & Extrinsecam:

CCLXXXIII. Intrinseca in Essentialem & Accidentalem: Item in Necessariam, Contingentem, & Impossibilem: pro quibus vide Dialecticam.

CCLXXXIV. Dividitur denique in Identicam & non Identicam.

CCLXXXV. Identica est, cujus prædicatum & subjectum est omnino idem re & significatione; ut *ensis est gladius*.

CCLXXXVI. Non Identica est, cujus prædicatum & subjectum non est omninò idem, sed diversum re vel significatione; ut *homo est animal*.

CCLXXXVII. Nota prædicatum affirmativæ propositionis, ut *homo est albus, homo est animal*, debere esse idem cum subjecto; hoc enim significat copula, & alioqui esset falsa propositio: verū, ut non sit Identica prædicatio, debent prædicatum & subjectū aliquomodo esse diversa; quia diximus prædicationem identicam esse, cujus prædicatum est omninò idem cum subjecto; ut hæc, *homo est animal*, est vera; quia identitas est inter *animal & hominē*, & non est Idētica: quia est inter utrumq; diversitas; est nēpè identitas secundū materiale significatū; nā sic resolvitur, *res quæ habet humanitatem est res quæ habet animalitatem*: est autem diversitas secundum formale significatum subjecti & prædicati; nam formale significatum subjecti est *humanitas*, formale prædicati est *animalitas*, quæ ratione distinguuntur. Item hæc prædicatio, *homo est animal rationale*, non

est

est identica, quia etsi subjectum & prædicatum idem significent, non tamen eodem modo; nam subjectum repræsentat confusè, prædicatum verò, quæ subjecti est definitio, distinctè; & illa variatio sufficit.

DVBIVM II.

Quomodò Concreta & Abstracta de invicem prædicentur.

CCLXXXVIII. HVjus dubii Resolutio multùm ad Theologiam confert, & non parvas continet difficultates, ut statim patebit. Quare: antè illam,

CCLXXXIX. Suppono 1. duo esse genera Terminorum: Vnum eorum, qui in abstracto res exprimunt; ut *humanitas, albedo*: Alterum eorum, qui in concreto; *ut homo, album*.

CCLXXXX. Suppono 2. etiam esse duo genera Concretorum: unum Physicorum, alterum Metaphysicorum:

CCLXXXXI. Physica sunt, quæ in se, vel simili important formam à subjecto suo realiter distinctam; ut *persona, album*.

CCLXXXXII. Dixi, *vel in simili*, quia licèt in Divinis, personalitas à Divinitate, justitia à Deo, realiter separari non possit, quia tamen talis separatio in similibus concretis creatis contingit, persona in Divinis, justum &c. censentur concreta physica.

CCLXXXXIII. Metaphysica sunt, quæ important formam à suo subjecto ratione nostra tantum distinctam; ut *homo, animal, rationale*.

CCLXXXXIV. Concreta Physica subdividuntur in accidētalia seu adjectiva, & subsstātialia: Physica substantialia sunt, quorū forma est subsstantia à suo subjecto realiter distincta; ut *persona, aureum*; adjectiva physica, quorum forma est accidens physicum à suo subjecto realiter distinctum; ut *album, nigrum*.

CCLXXXXV. Concreta physica substantialia subdividuntur in essentialia Logicè, & accidentalia Logicè: Physica substantialia essentialia Logicè, sunt concreta physica substantialia, quæ de suis subjectis apta sunt essentialiter prædicari; ut *persona* respectu *hujus & hujus personæ, aureum* respectu *hujus & hujus aurei* &c: Physica substantialia accidentalia Logicè, sunt concreta physica substantialia, quæ de suis subjectis apta sunt accidentaliter contingenter prædicari; ut *persona* respectu *Petri & Pauli, aureum* respectu *hujus & hujus calicis*: eodem modo subdivide adjectiva physica; & concreta metaphysica.

CCLXXXXVI. Suppono 3. duo esse genera propositionum, unum essentialium, alterum accidentalium: Essentiales sunt, quarum prædicati forma est de essentia subjecti; ut *homo est animal*: Accidentales verò, quarum prædicati forma non est de essentia subjecti; ut *homo est risibilis, homo est persona*.

CCLXXXXVII. Suppono 4. in concretis purè creatis, concreta subsstantialia physica ex natura & personalitate, subsistentia vel suppositalitate, dicere naturam in recto, personalitatem &c. in obliquo; ita scilicet, ut persona humana sit humana natura habens personalitatem, quod manifestè colligitur ex his propositionibus; *homo discurrit; homo constat animâ & corpore*: sunt enim veræ propositiones ratione solius identitatis inter recta prædicati & subjecti utriusque, quo solo sensu *natura humana discurrit; natura humana constat animâ & corpore*; sunt verò falsæ, *personalitas hominis discurrit; personalitas hominis constat animâ & corpore*: ergò in istis concretis natura importatur in recto, personalitas verò, subsistentia &c, in obliquo.

CCLXXXXVIII. Dixi *in purè creatis*, quia in non purè creatis, Divinis &c, aliter philosophandum: suppositum enim Divinum dicit suppositalitatem, sivè personalitatem in recto, naturam in obliquo; ita scilicet, ut suppositum Divinum sit suppositalitas Divina in natura Divina, id est, quatenus conjūcta naturæ Divinæ, ut ostendemus in Theologia: quod etiam manifestum est ex his propositionibus, *sunt tres personæ Divinæ; Pater generat; Pater est incommunicabilis*; sunt enim veræ propositiones ratione solius identitatis &c, hoc sensu, *sunt tres Personalitates Divinæ; Paternitas generat; Paternitas est incommunicabilis*; hoc verò sensu falsæ, *sunt tres naturæ Divinæ; Natura Divina generat; Natura Divina est incommunicabilis*; ergò in istis concretis personalitas importatur in recto, natura divina in obliquo.

CCLXXXXIX. Adde tamen Nomen *Deus*, non secus ac nomina naturæ purè creatæ, dicere naturam in recto, personalitatem in obliquo; ut etiam patet ex his propositionibus, *Deus est unus in Natura & Trinus in Personis; Deus est communicabilis*: illæ enim propositiones sunt veræ ratione identitatis &c, hoc sensu, *Natura Divina est Vna in Natura quatenus Natura, & Trina in Personis quatenus tres Personalitates illi conjunguntur; Natura Divina est communicabilis*; & ita quidem ut dici non possit, *persona divina est Personalitas habens Naturam*; quia illi ut sic non convenit generare, spirare &c, benè sub illo *quatenus*; sunt verò falsæ, *Paternitas est Vna in Natura & Trina in personis, Paternitas est communicabilis*; ergò &c.

CCC. Nec refert, quod hæc propositio sit de fide, *Deus est homo*, & tamen falsa secundum præcedentem doctrinam; quia est tantum vera propter communicationem idiomatum, eò quòd natura Divina & humana sint naturæ ejusdem suppositi, non verò in rigore philosophico, eò quòd aliquid idem concernunt in recto: nam illud esse deberet ipsa subsistentia Verbi, quam si Deus diceret in recto, sequerentur hæreses allatæ. Ex his

CCCI. Colliges, quomodò loquendum sit de Christo, cui modò attribuuntur prædicata Deo purè propria, modò homini purè propria: si enim hæc attribuantur, dicet Naturam humanam in recto; si illa, Divinam; si verò propria secundæ Personæ Triados attribuantur, dicet Personalitatem Verbi in recto; undè de eo quod dicit in recto, judicandum secundum prædicatum quod ipsi attribuitur: sed de his latiùs in Theologia. His præmissis sit

RESOLVTIO.

CCCII. DIco, sola prædicatio concreti de concreto potest esse vera, si excipias concreta quædam extrinsecè denominantia, & abstracta metaphysica æqualia suis concretis, vel propter transcendentiam, ut est ens, entitas; vel quia nihil amplius significant, quam eorum abstracta, ut Deus & Deitas, existentia & existens, hæcceitas & individuum &c.

CCCIII. Probatur, quia sola illa prædicatio potest esse vera, quæ est identica secundum recta prædicati & subjecti, sivè cujus prædicati & subjecti recta sunt æqualia, eadem &c. quod est propositionem esse identicam, cum hoc addito, secundum re-

cta prædicati & subjecti (licet absolutè dici non debeat identica, sed formalis, si abstracta sint diversa, saltem ex modo significandi) sed illa sola potest esse identica secundum recta prædicati & subjecti, quæ est concreti de concreto, si excipias illa, quæ suprà, ergò &c.

CCCIV. Dixi primò: *Si excipias concreta extrinsecè denominantia*, nam illa verè prædicantur de abstractis, ut *animalitas est cognita, rationalitas est universalis:* cujus ratio est, quia in similibus propositionibus prædicatum, secundum quod dicit in recto, est transcendens; hujusque propositionis *animalitas est cognita*, est hic sensus, *animalitas est objectum cognitionis*, quæ propositio est vera; quia ly *objectum* est quidpiam transcendens, & ibi enti æquivalens, utpotè de ente prædicabile: sed quid de hâc propositione, *albedo est visa*? Respondeo illam esse veram; nã abstracta physica in primo ordine metaphysico; quomodò ibi consideratur albedo, concernunt aliquid idem; allatæ enim propositionis est hic sensus, *res habens albedeneitatem est objectum visionis.*

CCCV. Dixi secundò, *si excipias abstracta metaphysica, æqualia &c.* quia cum illa sint formaliter æqualia & eadem, nihil refert, an in prædicatione sumantur in concreto, an in abstracto.

CCCVI. Objicies tamen, veræ sunt hæ propositiones: 1. *Homo est humanitas*, nam cum homo ex præmissis Suppos. 4. in recto dicat Naturam humanam sive humanitatem, personalitatem in obliquo, illius propositionis est hic sensus, *humanitas est humanitas habens personalitatem*: 2. *Humanitas est unita Verbo*: 3. *Humanitas est animalitas*: 4. *Albedo est color, albedo est similis*, ergò non sola prædicatio concreti de concreto potest esse vera, etiamsi excipiamus, illa quæ supra. sed &c.

CCCVII. Respondeo 1. hanc propositionem, *homo est humanitas*, esse veram, si ly *homo* sumatur ut concretum metaphysicum, & ly *humanitas* ut abstractum physicum; nam cum reverâ humanitas ut sic sit concretum metaphysicum, istius propositionis est hic sensus, *homo est homo*, vel *humanitas est humanitas*, quæ æquivalet huic, *res habens humanitatem, est res habens humanitatem*; Catholica enim doctrina, secundum quam dicimus Verbum non assumpsisse hominem, loquitur de homine ut est concretum physicum, & prout importat personalitatem; non verò de homine ut concreto metaphysico, quomodò à Personalitate est realiter abstractus: Si verò ly *homo* sumatur ut concretum metaphysicum, & humanitas ut abstractum ejus metaphysicum, allata propositio est falsa, non minus quam hæc, *concretum metaphysicum magis dicens actu est abstractum metaphysicum minùs dicens actu:* Quid si ly *homo* sumatur ut concretum physicum ex natura & personalitate, & *humanitas* ut abstractum physicum? etiam est vera & identica, si prædicatum & subjectum præcisè considerentur secundum quod subsunt prædicationi, sivè secundum recta; nam homo ut concretum physicum in recto dicit humanitatem, quæ non est nisi concretum metaphysicum, *humanitas* verò *est humanitas*, undè consequenter dici potest, Verbum assumpsisse hominem concretum physicum præcisè sumptum, ut subsistat huic prædicationi veræ, *homo est humanitas:* Si vero ut subsistant suppositioni, est falsa, nam homo ut concretum physicum supponit pro persona, pro qua non supponit ut abstractum physicum, undè inter illa ut sic non potest esse æqualitas, identitas &c.

CCCVIII. Respondeo 2. propositionem *humanitas est unita Verbo*, esse verã non secus ac hæ sint, *materia est unita formæ, anima est beata:* Ratio est, quia licèt humanitas, materia, anima &c, sint abstracta physica, sunt tamen concreta metaphysica; concreta verò adjectiva, qualia sunt unitum, beatum *&c*, indifferenter dicunt pro subjecto concreta metaphysica, ut *corpus est album; humanitas est unita Verbo;* vel physica, ut *album est dulce; animatum est unitum animæ.*

CCCIX. Nec obstat quod hinc sequi videatur veras fore has prædicationes; *albedo est alba, unio est unita:* nã eas admittere potes dicendo, albedinem esse albam ut quo, unionem esse unitam ut quo; ut sic enim illarum est hic sensus, *albedo est forma quâ album est album, unio est forma* &c: vel rejicere dicendo, concreta adjectiva non transcendentia (de quibus hîc) significare quidem indifferenter subjectum physicum vel metaphysicum, sed distinctum realiter à sua forma; nam unitum simpliciter prolatum, sonat id quod habet unionem; album simpliciter prolatum, id quod habet albedinem; falsum autem est, albedo, sivè id quod immediatè habet albedeneitatem (quod tantum albedo esse potest) est id quod habet albedinem, non secus ac si dicerem, forma est subjectum sui ipsius, quod non satis intelligi potest.

CCCX. Respondeo 3. hanc propositionem, *humanitas est animalitas*, posse esse veram & falsam, juxtà hunc duplicem sensum, quo humanitas & animalitas sumi possunt: si enim sumantur ut duo concreta metaphysica, ità scilicet ut humanitas sit res habens humaneitatem, animalitas res habens animaleitatem, vera est, non secus ac hæ, *homo est animal; hæc humanitas est humanitas; hæc animalitas est animalitas*, quia concernunt aliquid idem in recto; si verò sumantur ut species & genus definiti speciei; ut definitum metaphysicum & pars metaphysica ejusdem; ut inferius & superius formaliter, falsa est; non secus ac hæ, *species definita est suum genus definiti; definitum metaphysicum est sua pars metaphysica; inferius est superius formaliter*, quæ non minus sunt falsæ, quam hæ, *homo est corpus; plura includens actu in recto est pauciora includens actu in recto*, quæ apud omnes sunt evidenter falsæ. hinc.

CCCXI. Colliges hanc propositionem, *humanitas est animalitas*, ut generis de specie esse falsam, utpotè partis metaphysicæ de definito suo metaphysico, superioris formaliter de inferiori &c; veram verò, ut concreti metaphysici absoluti de concreto metaphysico absoluto, utpotè æqualis de æquali, ejusdem de eodem, secundum quòd dicunt in recto.

CCCXII. Dices fortè 1. dantur propositiones in sensu formali veræ, & tales sunt, juxtà omnes, prædicationes superioris de inferiori, tam in abstracto, quam in concreto; ergò hæc prædicatio, *humanitas est animalitas* est vera; licèt aliter, quam ut duo concreta metaphysica, sivè ut definitum metaphysicum & pars materialis metaphysica ejusdem; ut inferius & superius formaliter, sumantur: Probatur consequentia; quia propositionem esse in sensu formali veram, nihil aliud est, quam copulam significare prædicatum esse inclusum in conceptu formali subjecti, quod optimè intelligitur modo dicto sumendo humanitatem & animalitatem, ergò &c.

CCCXIII. Pro solutione hujus argumenti.

Advertè juxtà communem consensum Philosophorum, in duplici sensu posse verificari propositiones: 1. In sensu identico & materiali, quod fit, cum per copulam tantum intendimus significare subjectum

ctum & prædicatum esse eamdem rem à parte rei, ut *albedeneitas est coloreitas; intellectus in Deo, est voluntas*: 2. in sensu formali, quando intendimus significare idem esse sub conceptu significatum rectorum prædicati & subjecti propositionis non identicæ, ut *album est dulce*, *homo est animal*: quod autem aliqui dicant propositionem verificari in sensu formali, ubi intendimus significare prædicatum includi in conceptu formali subjecti, falsum est: 1. quia etiam propositiones contingentes verificantur in sensu formali, illa autem explicatio solis essentialibus convenit: 2. quia alioqui hæc propositio, *homo est corpus*, in sensu formali esset vera, quod nullus dixerit: 3. Quia superfluum est eò recurrere, cum nostra explicatio sit magis latè patens, & sufficienter sensum formalem propositionum ab identico distinguat; sic patet ad probationem consequentiæ argumenti: hoc itaque præmisso ad argumentum.

CCCXIV. Respondeo dari quidem propositiones in sensu formali veras, sed tales tantum esse propositiones superioris de inferiori in concreto physico vel metaphysico, & nullâ ratione in abstracto metaphysico: nam hæc propositio, *albedeneitas est coloreitas*, nullo modo potest esse vera in sensu formali, siquidem albedeneitas, utpotè abstractum ultimæ abstractionis, nihil dicit in recto idem cum coloreitate; sed est id, quo concipitur ultimò constitui albedo; coloreitas id, quo concipitur ultimò constitui color; falsa autem est hæc prædicatio in sensu formali, *id quo concipitur ultimò constitui albedo est id quo concipitur ultimò constitui color*.

CCCXV. Dices 2. Quandò humanitas & animalitas sumuntur ut species & genus, ut definitum metaphysicum & pars metaphysica; vel animalitas sumitur in concreto metaphysico, vel in abstracto metaphysico? Si 1. sicut vera est hæc propositio, *humanitas est animalitas in concreto metaphysico*; ità vera erit hæc, *species est suum genus definiti*; *definitum metaphysicum est sua pars metaphysica*, quod suprà negatum est: Si 2. non potest esse genus definiti in definitione animalis; nam animaleitas utpotè ultimæ abstractionis, ità sumitur, ut sit id, quo præcisè constituitur animalitas, quod cum sola rationalitate ultimæ etiam abstractionis, & id quod præcisè humanitas habet suprà animalitatem, non potest explicare totum, quod humanitas dicit actu, videlicet vitam, corporeitatem, substantiam &c, ergò &c.

CCCXVI. Respondeo: quandò humanitas & animalitas sumuntur ut species & genus, ut definitum &c, humanitatem sumi ut concretum metaphysicum, in recto concernens quidquid habet humanitatem; animalitatem verò sumi in abstracto metaphysico; non quidem eo, quod communiter dicitur ultimæ abstractionis, & exprimitur per vocem animaleitas; quia ut sic (ut benè probatum est) non includit actu totum, quod præter rationalitatem includere debet genus definiti humanitatis: sed in abstracto metaphysico metaphysicè abstracto tantum à differentiis immediatè contrahentibus, rationalitate scilicet & irrationalitate; quomodo etiam dici potest, humanitas sumi in abstracto metaphysico, si præcisè sumatur ut abstracta ab hæceitatibus; & isto sensu sumendo humanitatem, falsa est hæc prædicatio, *hic homo est humanitas*; vera, si ly *humanitas* sumatur ut concretum metaphysicum, quia in concreto, utpotè à nullo abstracta in concreto, eadem dicit in recto, quæ *hic homo*: nec apparet quomodo dictū genus definiti aliter sumi possit; qui enim dicunt animal esse genus definiti in definitione hominis, vel volūt illud esse genus definiti sumptū in cōcreto? & hoc non; quia sic definitum ingreditur suam definitionem &c. Vt disp. 3. dub. 2. diximus: vel secundum quod dicit in obliquo? & hoc dato, vel per obliquum intelligunt animaleitatem abstractum metaphysicum ultimæ abstractionis, vel animalitatem abstractum metaphysicum à rationalitate & irrationalitate, & non ultimæ abstractionis? Si prius, incidunt in difficultates suprà allatas; si posterius, nobiscum loquuntur, nec aliter loqui posse videntur: hinc

CCCXVII. Colliges abstractum metaphysicum non malè dividi in latè sumptum, quod dicitur non ultimæ abstractionis, & à certis tantum differentiis contrahentibus; & strictè sumptum, quod dicitur ultimæ abstractionis, quia ab eo nihil ulterius abstrahi potest.

CCCXVIII. Respondeo 4. ad Object. 11. hanc propositionem, *albedo est color*, esse veram; quia est concreti metaphysici generici de concreto metaphysico specifico; nam abstracta physica, qualia sunt albedo & color, sunt concreta metaphysica: eodem modo loquere de hac, *albedo est similis*.

CCCXIX. Colliges, Signi distinctionis Realis infra Tract. 3. explicandæ, quod communiter adfertur, scilicet, *ea, quorum unum non possit verè de altero affirmari in abstracto, distinguuntur realiter*, hunc debere esse sensum, si unū non possit &c, in abstracto physico, vel concreto metaphysico, distinguuntur realiter; nam abstracta metaphysica non possunt, saltem in sensu formali, de invicem verè affirmari, licet sint idem realiter. pro horum complemento

CCCXX. Adverte, pro subjecto mediato concreti metaphysici semper adferendum aliquid realiter indistinctum à forma, sed remotius & remotius, quo plures & plures differentias contrahentes formam, includit: Ratio est, quia alioqui esset concretum physicum ut patet, nam diceret obliquum realiter distinctum à recto, sivè formam realiter distinctam à subjecto.

DVBIVM III.

Quomodò Concreta & abstracta multiplicentur.

RESOLUTIO I.

CCCXXI. DIco 1. omnia Concreta physica, tam accidentalia, quàm substantialia, etiam adjunctis nominibus numeralibus, multiplicantur multiplicatis solis rectis; illis verò immultiplicatis, licèt obliquis sivè formis infinities multiplicatis, non multiplicantur.

CCCXXII. Probatur, quia propositiones verificantur ratione solius identitatis inter propositionis prędicati & subjecti recta, ergò multiplicatis solis rectis, multiplicantur concreta physica, ergò &c.

CCCXXIII. Probatur consequentia: sicut enim est unum album, ubi est una res habens albedinem; & una persona humana, ubi una natura humana habens personalitatem; item una persona Divina, ubi est una Personalitas in Natura Divina: ita tria. v. g. sunt alba, ubi tres res habentes albedinem; tres personæ humanæ, ubi tres naturæ humanæ habentes personalitatem; tres Personæ Divinæ, ubi tres Personalitates in Natura Divina, pro quibus lege Suppositum 4. antè Resol. dubii primi.

CCCXXIV. Confirmatur, ad multiplicationem concretorum Personæ, non potest multiplicari forma sivè id quod importatur in obliquo; ergo neque ad multiplicationem aliorum concretorum: Probatur consequentia, quia uniformiter loquendum, nisi aliquid in contrarium obstet, quod hic non obstat: Antecedens patet, quia alioqui multiplicatis personis Divinis, deberet multiplicari Natura Divina, cum importetur in obliquo, ut constat ex præmissis; quod est hæreticum, ergo &c.

RESOLUTIO II.

CCCXXV. DIco 2. clarum esse, abstracta non multiplicari, nisi secundum propriam substantiam multiplicentur.

CCCXXVI. Probatur, quia illa ut summum sunt concreta metaphysica, quæ rectum realiter distinctũ ab obliquo non involvunt, ergò &c.

DISPVTATIO V.

De proprietatibus Propositionum.

DUBIUM PRIMUM.

Quid Propositiones oppositæ, Quotuplices, & quæ earum Leges.

CCCXXVII. ANTE Resolutionem. Suppono, Propositiones posse variis modis inter se opponi, 1. secundum qualitatem, si una v. g. sit affirmativa, altera negativa; una vera, altera falsa: 2. secundum quantitatem, si una sit universalis, altera particularis. Hoc suppositio, sit

RESOLUTIO I.

CCCXXVIII. DIco 1. *Oppositæ sunt affirmatio & negatio ejusdem* (scilicet prædicati) *de eodẽ* (scilicet subjecto) *non æquivocè sumpto:* hinc *canis latrat, canis non latrat*, sunt oppositæ, si de cane & cane terrestribus sit sermo; secus si de uno terrestri, altero cœlesti: ut autem liberemur à Sophistarum molestiis, voluit Aristoteles, sequentes conditiones subaudiri.

CCCXXIX. *Secundum idem*, id est, secundum eamdem partem; nam secundum diversas partes, *paries est albus, paries non est albus*, non sunt oppositæ:

CCCXXX. *Ad eumdem Terminum:* nam *albedo est similis* (puta albedini) *albedo non est similis* (puta nigredini) non sunt oppositæ:

CCCXXXI. *Similiter:* id est, eadem ratione & modo; hinc non sunt oppositæ, *Paulus orat* (puta fervenˢ ter,) *Paulus non orat* (puta tepidè:)

CCCXXXII. *Eodem tempore:* hinc, *Ioannes dormit* (puta de nocte:) *Ioannes non dormit* (puta de die) non sunt oppositæ.

RESOLUTIO II.

CCCXXXIII. DIco 2. Tres sunt oppositarum species, contrariæ, subcontrariæ, & contradictoriæ; quia verò subalternæ juvant ad explicandam oppositionem, illis adjici solent:

CCCXXXIV. Contrariæ sunt oppositæ universales, ut *omnis homo est bonus, nullus homo est bonus:*

CCCXXXV. Subcontrariæ sunt oppositæ particulares, vel indefinitæ, ut *aliquis homo est bonus, aliquis homo non est bonus;* vel *homo est bonus, homo non est bonus:*

CCCXXXVI. Contradictoriæ sunt oppositæ, quarum una est universalis, altera particularis, vel indefinita; ut *omnis homo est bonus, aliquis homo non est bonus,* vel *homo non est bonus:*

CCCXXXVII. Subalternæ sunt duæ propositiones constantes eodem prædicato & subjecto ejusdem qualitatis (& hinc patet quomodò non sint veræ oppositæ) sed non quantitatis, ut universalis affirmativa, & particularis affirmativa, *omnis homo est rationalis, aliquis homo est rationalis:* Vel universalis negativa, & particularis negativa, *nullus homo est brutum, aliquis homo non est brutum.* Hic

CCCXXXVIII. Adde, Vniversalem dici subalternantem, particularem verò subalternatam: hæc omnia habes in subjecta Tabula.

TABVLA OPPOSITORVM



Resolutio III.

cccxxxix. Dico 3. Propositionum oppositarum leges sequentes rectè assignantur. I.

Contrariarum.

cccxxxx. Contrariæ non possunt esse simul veræ, possunt tamen esse simul falsæ: Ratio est, quia aliàs cum ex universali inferatur particularis, duæ contradictoriæ essent simul veræ: II.

Subcontrariarum.

cccxli. Subcontrariæ possunt esse simul veræ (puta in materia contingenti) non verò simul falsæ: Ratio est, quia aliàs cum ex falsitate Subalternatæ rectè inferatur falsitas Subalternantis, duæ contradictoriæ essent simul veræ. III.

Contradictoriarum.

cccxlii. Contradictoriæ non possunt esse simul veræ, nec simul falsæ: veritas hujus legis satis constat per lumen naturale cuique ingenitum; quia una negat, quidquid altera affirmat, defectu cujus non sunt contradictoriæ, *aliquis oculus est necessarius ad videndum, nullus oculus est necessarius ad videndum*, quia prima affirmat disjunctivè aliquem oculum esse necessarium, alia negat copulativè tantùm. IV.

Subalternarum.

cccxliii. Ex veritate subalternantis sequitur veritas subalternatæ; non verò ex falsitate illius, falsitas hujus: quia scilicet subalternata sivè particularis & indefinita pauciora requirit ad sui verificationem, quam requirat universalis.

cccxliv. Adde tamen ex falsitate subalternatæ sequi falsitatem subalternantis; non verò ex veritate illius, veritatem hujus: Prior pars patet, posterior probatur ut ante.

cccxlv. Petes 1. an hæ sint oppositæ, *omnis homo est sanus, omnis homo est ager*: Respondeo non esse secundum formam, quia non sunt affirmatio & negatio &c, esse tamen secundum materiam, quia includunt prædicata contraria.

cccxlvi. Petes 2. an hæ sint oppositæ, *Paulus est bonus, Paulus non est bonus?* Respondeo, non esse secundum materiam, quia Aristoteles hîc ad materiã oppositorum requirit subjectum universale, ut in subcontrariis: esse verò secundum formam, quia præterquam quòd illis conveniat lex contradictoriarum, sunt affirmatio & negatio &c.

Dvbivm II.

Quid Æquipollentes, & quæ earum Leges.

Resolvtio I.

cccxlvii. Dico 1. Propositiones Æquipollentes sunt diversę propositiones constantes eodem prædicato & subjecto, sed diversis signis idem significantibus: dignoscetur hæc æquipollentia ex tribus legibus hoc versu contentis.

Præ, contràdic, post contrà, præ postque subalter.

Resolutio II.

cccxlviii. Dico 2. propositiouum æquipollentium leges sequentes rectè assignantur.

Prima Lex.

cccxlix. Lex 1. cõtinetur his verbis *præ contradic*, id est, si negatio præponatur signo & subjecto alicujus propositionis, reddetur æquipollens suæ contradictoriæ, ut hæc propositio, *omnis homo est bonus*, fit æquipollens suæ contradictoriæ, quæ est, *aliquis homo non est bonus*; si subjecto & signo illius præponatur negatio, & dicatur, *non omnis homo est bonus*, id est, *aliquis homo non est bonus*: deindè si dicatur, *non aliquis homo non est bonus*, hæc propositio *aliquis homo non est bonus*, fit æquipollens suę contradictoriæ, *omnis homo est bonus*.

Secunda.

ccci. Secunda continetur his verbis, *post contrà*, id est, si negatio postponatur subjecto propositionis universalis, reddetur æquipollens suæ contrariæ; sic hæc, *omnis homo est animal*, reddetur æquipollens suæ contrarię, *nullus homo est animal*, si subjecto postponatur negatio, & dicatur, *omnis homo non est animal*, id est, *nullus homo est animal*: Deindè si dicatur pro altera parte *nullus homo non est animal*, hęc propositio *nullus homo est animal*, fit æquipollens suę contrarię, *omnis homo est animal*.

Tertia.

ccci. Tertia denique continetur his verbis, *præ postque subalter*, id est, si negatio pręponatur & postponatur subjecto propositionis, reddetur æquipollens suę subalternę; sic hęc propositio subalternans *omnis homo est vivus*, redditur æquipollens suę subalternę, scilicet, *aliquis homo est vivus*, si ejus subjecto pręponatur & postponatur negatio, & dicatur, *non omnis homo non est vivus*, id est, *aliquis homo est vivus*: Deindè si pro altera parte dicatur, *non aliquis homo non est vivus*, hęc subalterna, *aliquis homo est vivus*, fit æquipollens suę subalternanti, *omnis homo est vivus*; nam *non aliquis homo non est vivus*, idem est ac *aliquis homo non est vivus*.

Dvbivm III.

Quid Propositio Modalis.

Resolutio.

ccclii. Dico, propositio Modalis est, quę uno ex his 4. modis *Necesse*, *Impossibile*, *Contingens*, *Possibile* afficitur; ut *hominem esse rationalem est necesse*; *hominem esse brutum est impossibile* &c: quia verò propositionum modalium rarus est usus, & difficilis, earumque cognita oppositio & æquipollentia ad quindenam memoriam confundit, nec ul-

trà

trà prodeſt, de illis plura taceo, & otioſum alioqui ad Dialecticam communem remitto.

DVBIVM IV.

Quid & quotupliciter propoſitio Reduplicativa ſumatur.

Resolutio I.

cccliii. Dico 1. Repertæ ſunt à Philoſophis quædam particulæ, ut indicarent ſenſum formalem; quas appellarunt Reduplicativas; quià nempè terminum aliquem geminant, ſivè reduplicant: ut *Petrus in quantũ homo eſt rationalis*; hujuſmodi autẽ ſunt hæ & ſimiles, *in quantum, quatenus, ſecundum quid, qua ratione, quà tale* &c. Porrò aliquandò reduplicatur idem terminus, *ut homo quà homo eſt riſibilis*: aliquandò reduplicatur alius priori ſuperadditus, ut *homo quà rationalis eſt riſibilis*.

Resolutio II.

ccclIV. Dico 2. particula reduplicativa rectè à philoſophis dupliciter ſumitur; reduplicativè videlicet, & ſpecificativè: reduplicativè ſumitur, quandò illa particula denotat cauſam adæquatam, ob quam prædicatum conveniat ſubjecto. v.g. *Homo quatenus rationalis eſt riſibilis*; ubi ly *quatenus* denotat *rationale*, quod eſt cauſa adæquata riſibilitatis, quæ convenit homini; æquivalet enim iſti propoſitioni cauſali, *homo quia rationalis eſt riſibilis*. Specificativè ſumitur, quandò particula reduplicativa non reduplicat cauſam adæquatam, ſed vel cauſam inadęquatam, vel ſpecialem conditionem, propter quam prædicatũ conveniat ſubjecto, ut *ignis quatenus approximatus eſt urens*. Vbi ly *approximatus* eſt conditio, propter quam ly *urens* conveniat igni: Vel denique, quandò denotat rationem quamdam ſivè qualitatem, ob quam prædicatum conveniat ſubjecto. v. g. *æger quatenus æger ſanatur; aër quatenus tenebroſus illuminatur*.

ccclv. Petes, quænam ſit cauſa inadæquata?

ccclvi. Reſpondeo, cauſa inadæquata eſt, quæ minùs latè patet quàm prædicatum, id eſt, ſine qua prædicatum eſſe poteſt. v. g. *homo quatenus homo eſt ſenſibilis*, ly *homo*, qui reduplicatur, minùs latè patet quàm ly *ſenſibilis*, nam ſenſibile dicitur, & de omni homine, & de omni bruto.

ccclvii. Reſpondeo 2. cauſa inadæquata, eſt illa, quæ magis latè patet quàm prædicatum, ideoque eſſe poteſt ſine prædicato, v.g. *homo quatenus rationalis eſt Philoſophus*; nam ly *rationalis* eſſe poteſt abſque eo, quod ſit philoſophus.

DVBIVM V.

Quid Propoſitiones Reflexivæ, & falſificantes, & an veræ aut falſæ.

Resolutio I.

ccclviii. Dico 1. Propoſitio Reflexiva eſt, quæ ſuprà ſe reflectit, aliquid de ſeipſa affirmando vel negando; ut ſi hæc propoſitio *homo eſt animal*, dicat *verum enuntio*; vel hæc, *homo eſt lapis*, dicat *falſum enuntio*: Si verò propoſitio vera de ſe affirmet, quòd ſit falſa; ut ſi hæc propoſitio, *homo eſt animal*, de ſe affirmet *ego falſum enuntio, ego ſum falſa* &c; & econtrà, ſi de ſe neget, quod ſit vera; ut ſi hæc propoſitio, *homo eſt animal*, de ſe neget, quod ſit vera, *ego non enuntio verum, ego non ſum vera* &c, dicitur falſificans: quod autem ſit falſificans, patet, quia cum prima propoſitio cathegorica v. g. *homo eſt animal*, ſit intrinſecè propoſitio vera, & intrinſecè dicat *ego ſum vera*, ſi addatur, *ego ſum falſa*, falſificatur, quia hæc ultima revera eſt falſa: eo quod æquivalenter dicat: *Ego propoſitio vera ſum propoſitio falſa*. Et idem eſt de ſe negante quod ſit vera, quia cùm prima propoſitio cathegorica, ut *homo eſt animal*, ſit intrinſecè propoſitio vera, & intrinſecè dicat, *ego ſum vera*, ſi addatur, *ego non ſum vera*, falſificatur; quia hæc ultima revera eſt falſa, eò quod æquivalenter dicat: *Ego propoſitio vera non ſum propoſitio vera*.

cccLIX. Loquere proportionaliter de propoſitionibus falſis; illæ enim ſunt falſificantes, ſi de ſe affirment quod ſint veræ, vel negent quod ſint falſæ: undè cùm omnes propoſitiones de futuro contingenti, ex dicendis infrà, ſint determinatè veræ vel falſæ, ad hoc ut de falſificante judices, attende ſemper ad qualitatem primæ propoſitionis cathegoricę, & dic reflexivam propoſitionem eſſe falſificantem, ſi affirmet quod propoſitio vera ſit falſa, vel neget non eſſe veram; & affirmet quod propoſitio falſa ſit vera, vel neget non eſſe falſam. Vndè non pauci hac propoſitione turbantur, *Petre ſi facias primam propoſitionem veram, Deus dabit tibi gratiam*: Et prima propoſitio ſit hæc, *Deus non dabit mihi gratiam*, & putant hîc concedendum duo contradictoria eſſe ſimul falſa; ſed hoc non facilè conceſſero; ſed cùm veritas propoſitionis conditionatæ pendeat à veritate conditionantis, quæro an hæc propoſitio conditionans, *Deus non dabit mihi gratiam*, æquivalenter dicit *ego ſum vera*, ut ſit ſenſus, *ego propoſitio vera non ſum vera, ſum falſa* &c. Vbi eſt evidens falſificatio & in terminis contradictio: ſi falſa, loquere proportionaliter. Reſolve ſimiliter hanc propoſitionem, *Petre primum quod dices, verum erit*, & primum quod dicat Petrus, ſit, *Paule tu mentiris*: Vel enim primum quod dicit Petrus, eſt determinatè verum vel determinatè falſum; ſi verum, æquivalenter dicit, *ego prima propoſitio, quam dicit Petrus, ſum vera*, & hæc *Paule tu mentiris*, æquivalenter dicit, *ego prima propoſitio, quam dicit Petrus, non ſum vera, ſum falſa* &c, ut ſit ſenſus *ego propoſitio vera, non ſum vera, ſum falſa* &c. Vbi eſt evidens falſificatio & in terminis contradictio.

Resolutio II.

cccLX. Dico 2. propoſitiones falſificantes, ſi ſpectentur ut aggregatum ex utràque propoſitione, primâ cathegoricâ & aliâ falſificante, nec ſunt veræ nec falſæ; quia non habent determinatum objectum, ſed concipiuntur per modum termini complexi, de quo nihil affirmatur aut negatur, ſed hoc vel ſimile prædicatum expectant, *ſunt contradictoria, ſunt impoſſibilia* &c, ut fiat hæc propoſitio hypothetica, *ego propoſitio vera non ſum vera, ſunt contradictoria, ſunt impoſſibilia* &c: ſi verò ſingulæ ſeorſim ſpectentur, una eſt vera, altera falſa, prout de contradictoriis omnes fatentur.

cccLXI. Dices ex R.P. Comptono hîc, illæ propoſitiones & ſimiles ſunt falſæ, quia non ſolùm de ſe affirmant falſitatem, ſed etiam veritatem; ergò ſunt falſæ, quia verum ex integra cauſa, falſum ex quolibet defectu.

Reſpon-

CCCLXII. Respondeo negando assumptum, quia ut aggregatum nihil affirmant magis, quàm propositio cathegorica ut propositio, sivè ut aggregatum ex subiecto, copula & prædicato, affirmet aut neget prædicatum de subjecto; sed est terminus complexus: in se tamen aliquid, affirmat aut negat, sed ut sic non spectatur ut aggregatum &c, ut patet.

DISPVTATIO VI.

De Definitionibus & Divisionibus.

DVBIVM I.

Quid sit Definitio & quotuplex.

Resolutio I.

CCCLXIII. Dico 1. Definitio est *dictio naturam rei explicans*; ut animal rationale respectu hominis: quod enim homo confusè, animal rationale distinctè significat. Pro clariori tamen definitionis intelligentia

CCCLXIV. Adverte 1. definitionem non debere omnimodè ac tam perfectè ac potest, naturam rei explicare; quia sic definitio deberet omnia genera superiora explicitè continere, quod esset nimis prolixum; sed, si naturam rei, valdè clarè, & clariùs, quàm vox, cujus significatum definiri dicitur, explicet, sufficit.

CCCLXV. Adverte 2. in definitione tria reperiri; definitum, genus definiti, & differentiâ definiti. Definitum est id, cujus natura per definitionem explicata est, ut homo in definitione supra. Genus definiti est id, quod est commune definito & alteri distincto à definito, ut animal ibidem; nam est commune homini & bruto. Differentia definiti, est id quo definitum ab omni alio differt, ut rationale ibidem: nam est id, quo homo ab omni alio à se differt.

CCCLXVI. Adverte 3. tres esse bonæ definitionis leges.

CCCLXVII. 1. Vt sit clarior definito, quia alioqui naturam definiti non explicaret; undè sequitur definitum non posse ingredi definitionem suam, quia idem non potest esse seipso clarius, aut seipsum explicare.

CCCLXVIII. 2. Vt definitum & definitio materialis sivè objectiva converti possint, & ab uno ad aliud consequentia valeat; quia definitio & definitum, unum sunt magis & minùs explicatum; hinc sequitur, *est homo, ergò est animal rationale*, & è contrà.

CCCLXIX. Dixi, definitio materialis sivè objectiva, quia nimis clarum est definitionem formalem non converti cum definito, ut *dictio naturam rei explicans* cum homine; licèt enim rectè dicatur, *homo est animal rationale*; non rectè tamen dicitur, *homo est dictio naturam rei explicans.*

CCCLXX. 3. Nè habeat aliquid otiosum, aut nè desit illi aliquid necessarium, ad explicandum rei naturam: unde hæ hominis definitiones sunt vitiosæ: *Homo est animal rationale implume, homo est animal sensitivũ, homo est vivens*, quia 1. & 2. superabundãt, nã *implume* est accidens, non pars essentialis hominis, *sensitivum* continetur implicitè in animali. 3. Deficit, quia homo est sensitivum rationale.

Resolutio II.

CCCLXXI. Dico 2. Definitio est duplex: una rei, & est definitio supra tradita; alia nominis, & est dictio explicans significationem nominis, ut *vox homo est dictio significativa animalis rationalis.* Definitio rei subdividitur in essentialem & descriptivam. Essentialis est dictio explicans naturam rei per prædicata essentialia; ut *homo est animal rationale*: prędicata autem essentialia sunt illa, sine quibus res nec esse, nec concipi potest.

CCCLXXII. Descriptiva seu descriptio est dictio naturam rei explicans per accidentia illi propria; ut *homo est animal risibile, bipes, rectum*, &c: accidentia autem sunt, quæ adveniunt rei in sua essentia completè constitutæ.

CCCLXXIII. Definitio essentialis subdividitur in physicam & metaphysicam. Physica est dictio naturam rei explicans per partes essentiales physicas, id est, materiam & formam; ut *homo est compositum ex corpore & anima rationali:* Metaphysica est dictio naturam rei explicans per partes essentiales metaphysicas, id est, genus & differentiam; ut *homo est animal rationale.*

CCCLXXIV. Petes an omnis definitio metaphysica constet genere & differentia?

CCCLXXV. Respondeo affirmativè, intelligendo per *genus* prædicatum aliquod commune, sivè univocum, sivè purè æquivocum; nam si deberet constare genere univoco, jam definitio entis non foret definitio, cũ pro genere habeat *id*, commune ad existens, & chymæram; entis autem definitio hæc est, *Ens est id quod potest existere.* Ly *id* verò definiri non potest, cum ad vitandum processum in infinitum, tandem aliquandò deveniendum sit ad unum conceptum per se clarum, qui ampliùs non possit per duos alios, scilicet generis & differentiæ, explicari.

DVBIVM II.

Quid Divisio, & quotuplex.

Resolutio I.

CCCLXXVI. Dico 1. Divisio est dictio totum in partes suas distribuens; ut *hominis alia pars est anima rationalis, alia corpus:* ibi *homo* est divisum, *anima rationalis & corpus* membra dividentia. Pro clariori tamen divisionis intelligentia

CCCLXXVII. Adverte, tres esse bonæ divisionis leges.

CCCLXXVIII. 1. Vt sint pauca membra dividentia, nè oriatur confusio; undè vitiosa est hæc animalis divisio, *animaliũ aliud equus, aliud leo, aliud homo* &c; sed hæc valet, *animalium aliud homo, aliud brutum.*

CCCLXXIX. 2. Vnum membrum dividens non debet

bet includi in alio; undè hæc est vitiosa animalis divisio, *animalium aliud homo, aliud rationale*, quia *rationale* includitur in homine.

CCCLXXXI. 3. Vt membra dividentia adæquent divisum; hinc non est bona hominis divisio, *hominis alia pars corpus, alia unio*: nam deest una, scilicet anima rationalis.

Resolutio II.

CCCLXXXII. Dico 2. Divisio est duplex: una rei, & est quâ res distribuitur in suas partes; ut *homo* suprà *in animam rationalem & corpus.*

CCCLXXXIII. Altera nominis, & est quâ nomen in multiplex significatum distinguitur; ut hîc *gallus in gallum Francum & gallum gallinaceum*: ne tamen diutiùs in divisionum speciebus assignandis, quàm par sit, hæreamus.

CCCLXXXIV. Adverte, pro multiplicitate partium, multiplices assignari posse divisiones: Divisio enim est actualis, si partes actuales; potentialis, si potentiales; physica, si physicæ; metaphysica, si metaphysicæ; subjecti in accidentia, si partes subjectum & accidentia.

CCCLXXXV. Petes an Definitio & Divisio distinguantur?

CCCLXXXVI. Respondeo, Divisionem totius potentialis, sivè superioris in sua inferiora, non esse definitionem illius superioris: quia animal non rectè definitur, *aliud homo, aliud brutum*, in quæ tamen dividitur; totius autem actualis in partes actuales, esse idē cū definitione totius actualis; quia animal rectè definitur, id, *cujus alia pars est vivens, alia sensitivum.*

DISPVTATIO VII.

De Discursu, & ejus Speciebus.

CCCLXXXVII. Discursus communis est ad syllogismum & alios argumentandi modos; ideoque de discursu, priusquam de syllogismo, nobis disputandum est. Quare sit

DUBIUM PRIMUM.

Quid Discursus & quotuplex.

Resolutio I.

CCCLXXXVIII. Dico, discursus propriè est motus ab una propositione ad aliam, idque per analogiam ad cursum localem, qui est motus ab uno loco ad alium, desumptam. Discursus autem necessitas provenit ex limitatione nostri intellectus, eaque majori, quam Angelici; quia multa in causis aut seipsis, prout illi, non penetramus; undè fit, quod ad alia ex aliis, per motum propositionis in propositionem procedere debeamus.

Resolutio II.

CCCLXXXIX. Dico 2. Dividitur 1. Discursus in formalem & virtualem.

CCCXC. Virtualis est unicus actus indivisibilis cognoscens unam propositionem objectivam ex alia, & hic dicitur communiter convenire Deo & Angelis, qui unico actu causam & effectū cognoscunt.

CCCXCI. Formalis est cognitio unius propositionis ex alia per cognitionem realiter distinctam cognita, sic ut constet saltem duabus realiter distinctis.

CCCXCII. Dividitur 2. in Successivum & Causalem.

CCCXCIII. Successivus est, cùm una cognitio ita sequitur aliam, ut prior non causet secundam, sed tantùm merè per accidens & casu sequatur; ut *Deus est in Cœlo*, ergò *baculus in angulo.*

CCCXCIV. Causalis est cùm posterior, cum dependentia à priori infertur; ut *Petrus est homo, ergo est animal*: hæc autem dependentia in eo consistit, quod prior cognitio contineat rationem propter quam conclusioni assentiri debeamus.

CCCXCV. Alias divisiones, in discursum formalem & objectivum; vocalem & scriptum, omitto: quia satis deduci possunt ex divisionibus similium propositionum & terminorum. Quarè aliter

CCCXCVI. Dividitur 3. in syllogismum, Inductionem, Exemplum, Entimema, Dilemma, Instantiam, Apogogen, Syllogismum Physionomicum & Soritem.

CCCXCVII. De Syllogismo, dubio sequenti.

CCCXCVIII. Inductio est à singularibus ad universalia progressio; ut *Petrus est risibilis, & sic de cæteris*, ergò *omnes homines sunt risibiles.* Vt sic inductio est Entimema; si verò addas hoc subsumptum, atqui *Petrus, Paulus, & sic de cæteris sunt homines*, quod addi debet, ut vim habeat, est Syllogismus.

CCCXCIX. Exemplum est duplex, aliud propriè, aliud impropriè dictum: Impropriè dictum est in quo ex uno Singulari infertur propositio universalis, v.g. *S. Petrus pœnitens obtinuit veniam peccatorum*, ergò *omnes pœnitentes obtinebunt veniam peccatorum.*

CCCC. Exemplum propriè dictum est cum ab uno singulari ad alterum singulare fit progressio propter paritatem rationis, aut aliquam similitudinem; ut *S. Petrus pœnitens obtinuit veniam peccatorum*, ergò *& Ioannes pœnitens obtinebit veniam peccatorum.*

CCCCI. Entimema est discursus, in quo duæ tantùm sunt propositiones, quarum una infertur ex alia; ut *Petrus est homo*, ergò *Petrus est animal*: quia autem in syllogismo tres esse debent, Entimema dicitur ordinariè syllogismus mancus, truncatus &c.

CCCCII. Dilemma est argumentatio bimembris sub distinctione proposita, cujus neutram partem sine captione concedas; sic Iudæi volentes Christum Dominum in verbis capere Matth. 22. proponebant hoc dilemma, *licet dare censum Cæsari, an non?* putabant enim Christum hoc dilemmate necessariò circumvenire, & accusare, quidquid respondisset; si enim dixisset, *licet dare censum Cæsari*, intulissent ipsum non amare populum Dei, utpotè qui contradiceret ejus libertati, quâ se putabant non debere servire Cæsari gentili: si dixisset, *non licet dare censum Cæsari*, eum tradidissent Herodi, tamquam inimicum Cæsaris, & reum læsæ Majestatis. Dilemma solvitur assignando medium inter duo extrema, ut fecit in proposito Salvator noster dicendo, *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari: & quæ sunt Dei, Deo*: Quod si medium

medium dari nequeat, eò quòd ex contrariis immediatis constet, constantissima & inexpugnabilis est argumentatio: undè ordinariè dicitur pro alterutra parte respondentem urgere.

CCCCIII. Instantia est illata propositio contrariè vel contradictoriè oppositæ negatæ.

CCCCIV. De Apagoge, Syllogismo Physionomico, & Sorite, vix ullus usus, quarè pro illis vide Dialecticam.

DVBIVM II.

Quid Syllogismus, & quæ Principia illius Directiva.

Resolutio I.

CCCCV. Dico 1° Syllogismus *est oratio, in qua quibusdam positis, aliud quiddam, ab eis quæ posita sunt necessariò accidit, eò quòd hæc sunt.*

Genus definiti, sed remotius, est oratio, proximum verò discursus, sivè oratio discursiva: cætera sunt loco differentiæ.

CCCCVI. *Quibusdam positis*, id est, duabus præmissis in modo & figura rectè dispositis. Quarè exclude Enthymema.

CCCCVII. *Aliud quiddam*, &c. id est, diversum ab illis præmissis, scilicet conclusio; quare exclude syllogismos fatuos, in quibus idem per idem probatur, id est, in quibus conclusio non est notior præmissis.

CCCCVIII. *Necessariò accidit*, id est concluditur necessitate consequentiæ, non consequentis; inter quas necessitates hæc est distinctio, quòd necessitas consequentis sit, ubi conclusio est in se necessaria ob necessariam prædicati cum subjecto connexionem, ac proinde independenter à præmissis: necessitas verò consequentiæ est, quando conclusio necessariò sequitur ex præmissis, ob necessariam connexionem præmissarum cum conclusione, quia scilicet in illis continetur.

CCCCIX. *Eò quòd hæc sunt*; id est, quia præmissæ sunt legitimè dispositæ in modo & figura.

CCCCX. Hìc Aristoteles Syllogismum in perfectum & imperfectum partitur.

CCCCXI. Perfectus est, qui conclusionem ità clarè infert, ut solo lumine naturali, & absque alio principio conclusio appareat legitima, tales sunt quatuor syllogismi primæ figuræ.

CCCCXII. Imperfectus est, qui non ità clarè conclusionem infert, sed indiget alio vel aliis principiis, putà conversione vel transpositione præmissarum, ut appareat conclusio legitima.

Resolutio II.

CCCCXIII. Dico 2° pro principiis Syllogismorum directivis, duo sequentia rectè assignantur, ad eaque cætera reducuntur.

CCCCXIV. Primum, illudque Syllogismorum affirmativorum, tale est, *Quidquid removetur à subjecto universaliter sumpto, removetur ab omni quod subsumitur sub illo.*

CCCCXV. Secundum, illudque Syllogismorum negativorum, tale est: *Quidquid removetur à subjecto universaliter sumpto, removetur ab omni, quod subsumitur sub illo.*

Adde tamen ea, in his principiis communiter receptis fundari; pro affirmativis, *Quæcumque sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se:* & pro negativis, *Quæcumque non sunt eadem uni tertio, non sunt eadem inter se*; si tamen hoc modo intelligantur, *Quæcumque sunt eadem uni tertio universaliter sumpto*, si sit terminus universalis: *Aut uni tertio incommunicabili*, si sit terminus singularis, ut Deus respectu Patris, Filii, & Spiritus Sancti, *sunt eadem inter se:* & *Quæcumque non sunt eadem*, &c. *Non sunt*, &c.

Hìc ordinariè à Summulistis tractatur de Syllogismorum Conversione, & Figuris. Item & de Topicis, sed quia hæc apud omnes communia, & eorum pleraque per se attendenti nota, ad communem Dialecticam Lectorem remitto. Pro eo tamen, quod valdè utile est, sit ad præsentem Tractatum.

APPENDIX

De Brevi Philosophiam hanc docendi, eique Studendi Methodo.

CCCCXVI. Quoniam Commentarius noster Philosophicus brevis est, nec subtilioribus dumtaxat Professoribus, aut Theologis accommodatus, verùm etiam Philosophiæ Candidatis, qui ex libro impresso Philosophiam discere maluerint, quàm libros scribendo, sibi pectus frangere & tempus perdere; nonnullas hìc subdo omnibus communes, ac utiles, tum docendi, tum studendi Methodos.

Consulta Philosophiam hanc docendi Methodus.

CCCCXVII. Hvjusce Philosophiæ Professores, propter occurrentes difficultates, & sententias nostras post debitum examen sibi visas minùs probabiles, Additamentarium breve suis Dis-

R. P. Francisci Bonæ Spei Logica.

cipulis dictare poterunt, in hunc modum; *num. tali Logicæ*, v. g. *post tale verbum addes hoc, sive hanc probationem; hanc confirmationem; hanc objectionem; hanc solutionem; hanc quæstiunculam. Hoc nota; hanc resolutionem, solutionem*, &c. *loco illius.* Quod Professoribus est factu facillimum, Studiosis commodissimum, & infrà annum & medium expediendo Cursui Philosophico aptissimum.

Brevis Philosophiæ Studendi Methodus.

CCCCXVIII. Oratio semper studium præcedat, quâ lumen & adjutorium in penetrandis emergentibus difficultatibus, impetrari possit.

Solis dictatis penetrandis incumbatur: omnes eorum Resolutiones, Probationes, Objectiones, Responsiones, &c. diligenter examinentur; & si quid difficultatis in oppositam partem occurrat,

currat, illius solutio studiosè perquiratur; si verò inveniri non possit, in charta, à R. P. Professore quærenda, annotetur.

CCCCXIX. Quisque libellum habeat, in quo Resolutionum compendiosas explicationes, Objectionum subtiliores ac breviores solutiones, & Argumenta nova difficilia conscribat; eoque utatur instar promptuarii ad objiciendum & respondendum.

In Schola sit Studentium quilibet, quàm fieri potest, attentissimus; hâcque finitâ statim in cellam suam cum silentio sese recipiat, scripta explicata breviter percurrat, & dicta maturè perpendat; quia explicatio recens facilius percipitur, & prodest, ubi alioqui, ex infirmitate memoriæ, sine fructu evanescit.

Brevis Oratio antè Studium.

CCCCXX. STudium nostrum, quæsumus, Domine, aspirando præveni, & adjuvando prosequere, ut totum à te semper incipiat, & per te cæptum in gloriam tuam finiatur. Per Christum Dominum nostrum, Amen.

Brevis Argumentandi Methodus.

CCCCXXI. QVi argumentaturus est (præsertim publicè) statim ac fuerit ad argumentandum rogatus, à viro eminentioris notæ (si talis præsens sit) postea à R. P. vel Domino Præside, & tandem à toto Auditorum conventu argumentandi facultatem, assurgendo, vel alio Reverentiæ signo, juxta morem Patriæ, petat: his vel similibus verbis,

CCCCXXII. Cum venia Reverendissimi Domini Episcopi, vel Nobilissimi D. Comitis, Reverendi Patris, vel Domini Præsidis (pro Personarum dignitate & qualitate) & totius Auditorii pace, dicam aliquid contrà 1am, 2am vel tertiam conclusionem, in qua dicitis, &c. lecto autem puncto, quod impugnare decreverit, suum clarâ & altâ voce incipiat argumentum, dicendo, *sic argumentor.* Sit brevis & clarus, potiùsque utatur syllogismo, quàm enthymemate; semper solutionem patienter audiat; & datam, quantùm fieri potest, urgeat; hoc modo: *probo majorem, vel minorem, vel consequentiam* (prout nominabitur propositio negata) quam semper sub iisdem terminis, sub quibus negata fuerit, inferet pro conclusione: vel etiam sic, *contrà solutionem, contrà distinctionem, &c. datam sic argumentor.*

Brevis Respondendi Methodus.

CCCCXXIII. QVi respondurus est (præsertim publicè) ad præambulum argumentantis assurgat, & audito primo argumento, statim illud clarâ & altâ voce repetat, hoc modo; *contra conclusionem nostram, quæ sic se habet,* &c. (usque ad punctum, quod impugnatur) *sic argumentatur* eximius Dominus, aut eximius Pater, & Doctor Theologiæ: si Iuris, Clarissimus: si Medicinæ, Expertissimus: si Theologiæ Licentiatus, Eruditissimus Dominus, aut Eruditissimus Pater: si Bachalaureus, Doctissimus Dominus, aut Doctissimus Pater: alii autem Sacerdotes, sivè Sæculares, sivè Regulares, non Monachi consultò intitulantur Reverendi Domini, alii Patres, addito titulo Officii, *Provincialis, Prior, Professor,* &c. & tunc modestè & reverenter sedeat; argumentoque bis iisdem, quantùm fieri potest, verbis repetito, primam propositionem (quæ in syllogismo est major, in enthymemate antecedens) negabit, si falsa; concedet, si vera; distinguet, si diversos sensus ambiguos patiatur, quorum unus sit falsus, alter verus; & ad falsum dicet, nego majorem, vel antecedens, (prout erit) ad verum dicet, concedo majorem; & sic consequenter de aliis propositionibus: non perget tamen ultrà propositionem negatam; nec umquam distinguet consequentiam, sed consequens; nec umquam negabit aut concedet consequens, sed consequentiam: deindè cavere debet nè statim in principio argumenti distinguat; quia id confusionem parit, & argumenti filum sine gratia interrumpit: quid si propositio assumpta, sit ad probationem interdum impertinens? sivè vera sit, sivè falsa, dicet, *transeat.* Quid si sit una tantùm propositio assumpta? si dicatur, *infero*, concedet aut negabit illatum: si subsumatur, subsumptum: si dicatur, *indè sequitur*, sequelam: si nihil horum, sed quasi ex abrupto assumatur, assumptum. Quid si proponatur authoritas aliqua? si deferre oporteat, dicat, *explico Authoritatem*, & id ipsum faciat, sic ut suæ conclusioni convenientem sensum adferat, & concedat; disconvenientem autem neget. Quid denique si Præses aut Argumentans aliquid petat? incipiat prout argumentum primò incæpit, *sic petit Eximius*, &c. & tum respondeat.

FINIS.

LOGI-

LOGICÆ TRACTATVS I. DE ANTE-VNIVERSALIBVS.

1. MIRABERIS fortè, Eruditiſsime Lector, quod multa hîc præmittam, de quibus alii ferè omnes in Metaphyſica diſputant; ſed ſcias velim, me in iis, quæ purè ad rationem ſpectant, rationem ſequi, non Authorum morem, aut eorum ſine ratione præferenda Authoritatem. Ratio autem docet præmittenda ea omnia, quæ ad Vniverſalium, & Prædicamentalium naturam penetrandam ſunt neceſſaria; ne aliòqui ſic de illis contendamus, ut an Realia, an rationis; an poſsibilia, an impoſsibilia; an unum, an plura entia ſint, ignoremus, & neſciamus quid diſputemus.

DISPVTATIO PRIMA

De varijs Cognitionibus & intentionibus.

DVBIVM I.

Quid cognitio in genere, & quotuplex ejus Diviſio.

RESOLVTIO I.

11. DIco 1. Cognitio eſt actus, quo potentia cognoſcitiva objectū ſibi repræſentat, ut intellectio, viſio &c: ſi verò cognitionem cum intellectione (ut communiùs) confundas, eſt actus quo intellectus objectum ſuum ſibi repræſentat. Vbi

111. Adverte cognitionem quandoque dici operationem intellectus; quia intellectus intelligendo operatur: quandoque conceptum ſeu fœtum mentis; quia in mente producitur & recipitur inſtar fœtus in utero animalis: quandoque etiam imaginem vitalem, ſimilitudinem, & ſpeciem expreſſam objecti; quia per cognitionem manet objectum imaginatum, aſſimilatum, depictum & expreſſum in intellectu: intentionem denique, non quod per eam voluntas finem appetendo intendat, ſed quod per eam intellectus in objectum, ipſum repræſentando, tendat: Cognitio autem ſub variis illis nominibus variè dividi, & ſubdividi ſolet. Pro qua ſit

Resolutio II.

iv. Dico 2. Cognitio dividitur 1. sub nomine operationis in 1. 2. & 3.

v. 1. Dicitur apprehensio, & est termini, sivè simplicis, sivè complexi, aut orationis, sine assertione repræsentatio.

vi. 2. Dicitur judicium, & est orationis cum assertione repræsentatio: porrò repræsentationem orationis hujus *Deus est mendax*, v.g. sine assertione, à repræsentatione ejusdem cum assertione in eo distinguimus, quod illa præcisè speculetur, examinet, & nihil resolvat; hæc verò post debitam speculationem & examen, resolvat & asserat, *ità est*, Deus est mendax; aut *ità non est*, Deus non est mendax.

vii. 3. Dicitur discursus, & est actus illativè enuntians, sivè affirmans assertivè, inferendo unum ex alio; ut *homo est animal, ergò & sensitivus; homo non est brutum, ergò non est irrationalis:* Illatio enim semper designatur per particulam *ergò, igitur*, vel æquivalentem.

viii. Dividitur 2. sub nomine conceptus in Formalem & Objectivum: Formalis est actus, quem intellectus de suo objecto format: Objectivus est objectum illius, sivè id, circà quod versatur talis actus; undè actus quo Petrum cognosco, est formalis; Petrus, objectivus.

ix. Dividitur 3. sub nomine cognitionis.

x. 1. In Explicitam & Implicitam: Explicita (quæ & Formalis dicitur) est quâ quidpiam in seipso cognoscitur, ut cognitio caloris in seipso: Implicita (quæ & virtualis dicitur) est quâ quidpiam in alio cognoscitur, ut cognitio effectus in causâ, v.g. caloris in igne; vel significati in signo; v. g. vini venalis in hædera appensa. Undè

xi. Colliges eamdem cognitionem respectu diversorum esse posse explicitam & implicitam, quia eadem cognitio explicita causæ, est implicita effectus in ea contenti; cognitio etenim explicita ignis, est implicita caloris.

xii. 2. In Distinctam & Confusam: Distincta est, qua quidpiam ità cognoscitur, ut vi istius cognitionis possit ab alio distingui; ut cognitio Petri, vi cujus possit distingui à Paulo: Confusa est, qua quidpiam sic cognoscitur; ut vi istius cognitionis non possit ab alio distingui, ut cognitio progressivi eminùs visi, vi cujus distingui non possit, an homo sit, an brutum? hinc

xiii. Colliges 1. eamdem cognitionem posse esse respectu diversorum Explicitam, Distinctam & Confusam, quia cognitio Petri v. g. in seipso vi cujus distinguo Petrum ab arbore, & vi cujus illum non distinguo à Paulo, est explicita, quia Petri in seipso; distincta, quia vi illius Petrum distinguo ab arbore; & denique confusa, quia vi illius Petrum à Paulo non distinguo.

xiv. Colliges 2. contrà nonnullos non omnem cognitionem Confusam esse Implicitam, aut è contrà, quià illa, qua Petrum eminus in seipso confusè cognosco, non potest esse implicita, eò quod Petrus per eam non cognoscatur in alio, sed in seipso; & illa, qua in Petro eminus viso cognosco animal, vi cujus Petrum ab arbore distinguo, non potest esse confusa, quia per eam animal non ità cognoscitur in Petro, ut vi illius cognitionis ab arbore non distinguatur, sed è contrà, ità per eam cognoscitur, ut ab arbore distinguatur.

xv. 3. In Directam & Reflexam, & in Directam ac Indirectam: Cognitio Directa ut opponitur Reflexæ, est illa qua res primò cognoscitur, sivè non ut anteà cognita: Reflexa verò est illa, qua res secundò cognoscitur, sivè ut anteà cognita; undè Directa est objectum Reflexæ.

xvi. Cognitio Directa ut opponitur Indirectæ, est illa, qua objectum per se & propter se cognoscitur: Indirecta verò, qua aliquid non per se & propter se, sed per accidens, & propter connexionem, quam habet cum objecto Directæ cognitionis, cognoscitur; sic Directa cognitio Patris est, Indirecta cognitio filii, quia filius dicit cognitionem necessariam correlationis ad Patrem, & propter illam cognito Patre cognoscitur.

xvii. 4. In Comparativam & Absolutam. Comparativa est, qua objectum cognoscitur cum ordine ad aliud, ut cognitio Patris; nam pater, cum sit relativus ad filium, non potest cognosci sine ordine, seu relatione ad filium: Absoluta verò est illa, qua unum cognoscitur sine ordine ad aliud, ut cognitio Petri secundum se sine ordine ad aliud. Hinc

xviii. Colliges omnem cognitionem comparativam esse simul directam & indirectam respectu diversorum; Comparativam quidem & Directam respectu ejus, quod in se, & propter se cognoscitur, licet cum ordine ad aliud: Indirectam verò respectu ejus ad quod objectum, in quod fertur, dicit ordinem, & cum quo habet necessariam connexionem.

5. In Adæquatam & Inadæquatam: Adæquata illa est, qua res tantum cognoscitur, quantum ex parte sua cognoscibilis est; ut cognitio Petri ut est hoc animal rationale: Inadæquata autem est illa, qua res non tantum cognoscitur &c; ut cognitio Petri ut est animal, rationalis præcisè &c.

xix. Attende contrà nonnullos ibi definiri cognitionem Adæquatam & Inadæquatam, non verò illius objectum adæquatum & inadæquatum; ac proindè cognitionem ibi non debere attendi ex parte objecti, sed ex parte sua, quod omnes fateri debent; quia cum eminùs video confusè Petrum, ità ut appareat esse tantùm animal, adæquatè illum cognosco ex parte objecti, dicor tamen Petrum inadæquatâ cognitione cognoscere, quià illa cognitio ex parte sua non exprimit totum quod est in Petro; undè omnes cognitiones confusæ semper sunt inadæquatæ ex parte cognitionum, adæquatæ verò ex parte objectorum.

xx. Cognitio sub nomine Intentionis dividitur.

xxi. 1. In Formalem & Objectivam: Formalis est actus quo intellectus in objectum suum tendit, & ut sic ly *intentio* sumitur activè: Objectiva autem est objectum illius, & ut sic Intentio sumitur passivè.

xxii. Subdividitur utraque Intentio in 1. & 2.

xxiii. 1. Intentio formalis confunditur cum intentione directa ut opponitur Reflexæ, & est primus egressus potentiæ intellectivæ versus suum objectum; sivè est repræsentatio objecti secundum esse non cognitum, secundum ea, quæ habet antè intellectum &c; ut repræsentatio Petri quatenus est hoc animatum hâc animâ rationali.

xxiv. 1. Autem Intentio objectiva est objectum illius.

xxv. 2. Intentio Formalis confunditur cum cognitione reflexa, & est secundus egressus potentiæ &c, sivè est repræsentatio objecti secundum esse cognitum, secundum ea, quæ habet post intellectum,

ctum,& intentionaliter tantùm &c ; ut repræsentatio Petri quatenus est species, animal, ens &c.

XXVI. 2. autem objectiva est objectum illius.

XXVII. Subdividitur 2. objectiva in secundam objectivam secundum se , & secundam objectivam secundùm modum significandi tantùm.

XXVIII. 2. objectiva secundum se(quam ordinariè Philosophi intelligunt per 2. objectivam) est concretum ex natura tamquam subjecto , & 1. intentione formali tamquam formâ , ut genus , species &c.

XXIX. 2. objectiva secundum modum significandi tantùm , est quæ quidem secundum se non est concretum ex natura tamquam subjecto , & 1. intentione formali tamquam formâ , sed tamen tale concretum significat , ut homo , animal , ens &c; homo enim pro forma dicit humanitatem, quæ non est 1. intentio formalis,ut patet , pro subjecto rem habentem &c; significat tamen concretum ex natura & 1. intentione formali;quia homo significat Petrum,Paulum , & cætera hominis individua per 1. intentionem formalem tam confusè concepta, ut in ratione hominis inter se non distinguantur.Pro majori horum intelligentia, & communi ferè omnium Philosophorum;dum volunt ly *animal, homo* &c,esse primas intentiones objectivas , non secundas; inadvertentiâ detegendâ.

XXX. Adverte ex communi Grammaticorum, Philosophorum & Theologorum sensu, dari voces communes ab individuis abstrahentes;ac proindè ex instituto aliud significantes , quia ipsa individua; alioqui Grammatici voces communes frustrà restringerent per signa demonstrativa *hic , hæc, hoc*; & Philosophi frustrà de Vniversalibus disputarent ; Theologi autem id ubique ex philosophia supponunt : favet insuper ratio , quia ly *homo* v. g. extrà propositionem habet suum significatum ex instituto , non quidem humanitatem conjunctam hęcceitati, quia (præterquàm quod homini primò vocem *homo* audienti nulla hæcceitas occurrat) attendendo ad significatum ex instituto , hæ propositiones essent falsæ; *homo est prædicabilis de multis; homo non potius est Petrus , quam Paulus &c , sed omnibus individuis humanis communis* &c , quod nullus dixerit : undè fit quod vox *homo* v. g. duo dicat ex instituto, humanitatem, & rem habentem humanitatem formaliter præcisam ab omni hæcceitate; quia verò humanitatem & rem , tamquam sibi intrinseca , realiter & in actu signato significat , & illam ut præcisam ab omni hæcceitate nonnisi tamquam sibi extrinseca, formaliter & in actu exercito præcisionis formalis ipsius ab omni hæcceitate, *homo* secundum se , id est, secundum sibi intrinseca,realiter & in actu signato , rectè dicitur 1. intentio objectiva, ab eo, quod sit ut sic, objectum 1. intentionis formalis ; secundum verò modum significandi, id est, secundũ sibi extrinseca, formaliter & in actu exercito præcisionis formalis ipsius ab omni hæcceitate, 2. intentio objectiva: si autẽ petas, an vox *homo* simpliciter dici debeat 1. intentio objectiva , an 2. objectiva? mihi melius simpliciter dicitur 2. intẽtio objectiva,quia *homo* nõ dicitur nisi in actu exercito præcisionis formalis ab omni hæcceitate(quidquid in actu signato ipsa individua significet) alioqui dicendo *homo* , diceretur *hic homo* , quod statim impugnabimus; quia tamen in verificatione propositionum attenditur identitas prædicati cum subjecto , vox *homo* in propositione censebitur 1. objectiva , sivè hic homo , aut 2. objectiva sivè homo conceptus, pro diversitate extremi , cui conjungetur: hîc tamen advertere debes vocem *homo* in propositione vera non retinere rigorosam significationem , quam habet ex instituto , sicut universalitatem non retinet, de quo infrà; ac proindè hanc propositionem, *Christus est homo*, non esse veram, sumptâ voce *homo* secundum rigorosam significationem, quam habet ex instituto , alioqui hæ propositiones veræ esse deberent , *Christus est homo prædicabilis de multis; Christus est homo non hic homo; Christus est homo qui est non potius Christus, quam Iudas*, quæ sunt hæreticæ ; vera tamen est,& fidei,sumptâ voce *homo* secundum rigorosum sensum , quo juxtà Philosophos , & Theologos universalia verificantur de individuis ; at ille non est rigorosum significatum, quod habet ex instituto : quia , præterquàm quod termini sint significativi extrà propositionem , terminus *homo* est universalis ut patet , falsa autem est propositio, *individuum est universale* , licèt sit significatum intrinsecum , reale & in actu signato vocis *homo*, restrictum per particulam *hic* , sivè personaliter acceptum, sic ut propositio illa fidei , *Christus est homo* æquipolleat huic , *Christus est hic homo*. Hinc autem

XXXI. Colliges 1. cognitionem *hominis* esse cognitionem distinctam à cognitione hujus hominis, idque quia *homo* dicit præcisionem universalem ab hæcceitate , & profertur voce significante multa confusè ; si enim dixerim , *Petrus veniat* , veniet : si verò *veniat homo* , non veniet, si plures sint ; *hic homo* verò unum hominem determinatè significat.

XXXII. Colliges 2. non ideò à nobis tolli omnes voces communes,sive multis communicabiles, quia dicimus illas esse secundas intentiones objectivas; nam licet 2. objectivæ secundum se, id est, concreta ex prima intentione formali, & prima objectiva, ut genus & species &c , non possint communicari multis univocè ut quod , secundæ tamen objectivæ secundum modum significandi , de quibus hîc agimus, ut *homo, animal* &c, sic sunt communes secundum extrinseca formaliter & in actu exercito , ut de facto sint secundum intrinseca realiter & in actu signato communicata multis univocè ut quod , ut patet in homine , qui ut sic , nihil aliud est , quàm omnia individua humana , sivè res omnes habentes humanitatem ; qui verò putant voces *homo* , *animal* &c, esse objectum 1. intentionis , velint nolint , videntur omnes voces communes tollere , quia objectum 1. intentionis est illud , quod existit antè intellectum, quidquid verò est tale , est singulare , ut omnes fateri tenentur.

QVÆSTIVNCVLA I.

Quid sit sumi 1. *intentionaliter.*

RESOLVTIO.

XXXIII. DIco sumi 1. intentionaliter est sumi pro prædicatis , quæ rei conveniunt à parte rei , sivè antè intellectum ; ut *Petrus est hoc album, individuum constans hoc corpore* &c: prædicata verò quæ rei conveniunt antè intellectum , dicuntur 1. intentionalia.

XXXIV. Adde plerumque in Porphyrio, sumi 1. intentionaliter idem esse,ac 2. intentionem objecti-

vam secundum se sumi pro suo materiali significato, id est, pro eo quod afficit & denominat; ut genus pro animali, species pro homine, &c.

QVÆSTIVNCVLA II.

Quid sit sumi 2. intentionaliter.

RESOLUTIO.

XXXV. DIco sumi 2. intentionaliter est sumi pro prædicatis, quæ rei conveniunt post intellectum, non antè; ut *homo est species, Petrus est animal:* prædicata verò, quæ rei conveniunt post intellectum, dicuntur 2. intentionalia; quæ sunt duplicis generis, scilicet 2. intentionalia secundum se, ut species, genus, &c. & 2. intentionalia secundum modum significandi tantùm, ut *homo, animal, ens*, &c. & cæteri gradus metaphysici concepti sine hæcceitatibus. Ex his

XXXVI. Colliges 1. 2. intentiones objectivas secundum se esse concreta quædam accidentalia conflata ex prima objectiva tamquam subjecto, & 1. intentione formali tamquam forma denominante; nam esse *genus* v. g. nihil aliud est, quàm esse naturam realiter existentem, quæ est 1. intentio objectiva, conceptam conceptu generico, seu generificante, qui est 1. formalis, & forma denominans genus in concreto: ex his ulteriùs

XXXVII. Colliges 2.2. intentiones objectivas non esse entia rationis strictè, prout scilicet ens rationis opponitur omni enti reali, & est quid fictum; quia si illæ sunt 2. objectivæ secundum se, nihil aliud sunt, quàm concreta conflata ex 1. objectiva & 1. formali, quorum nihil est fictum, sed totum reale, prout ens reale opponitur ficto: si verò illæ sint 2. objectivæ ex modo significandi tantùm, realiter identificantur, & formalissimè sunt objectivè unum cum 1. objectiva, licet significent 2. objectivam secundum se, & ab illa, denominatione quadam extrinsecâ, dicantur 2. intentiones objectivæ, genus, species, &c. denominatio autem illa extrinseca dici non potest ficta, quia præcisè est id, quo intellectus dicitur cognoscens (quod est reale) 1. objectivas per modum objecti respiciens: ens autem rationis strictè debet saltem aliquid fictum includere: quòd verò Thomistæ post Durandum doceant omnes denominationes extrinsecas esse entia rationis strictè, omninò falsum est, quia sivè sint à forma physica, sivè ab intentionali, non minùs sunt reales, quàm ipsæ formæ à quibus sunt, nec ab eis distinguuntur, posito aliunde subjecto denominationis à parte rei.

XXXVIII. Nec obstat quod non possint esse, nemine cogitante; nam ens fictum seu rationis strictè non est, quod non potest esse nemine cogitante ibi sistendo; aliàs omnis cogitatio, cognitio, intentio, formalis, &c. esset ficta, & ens rationis strictè; quia, ut patet, cognitiones illæ non possunt esse nemine cogitante, cùm sint cogitationes; sed ens fictum seu rationis strictè est, quod non potest esse nemine de ipso cogitante. 2. verò intentiones sunt nemine de ipsis (puta in actu signato, & per actum reflexum) cogitante, eo modo quo ipsa cognitio est nemine de illa reflexè & in actu signato, per actum ab ea distinctum, cogitante.

XXXIX. Dixi 2. intentiones objectivas non esse entia rationis strictè, prout scilicet ens rationis opponitur omni enti reali: quia certum est illas esse entia rationis latè, id est, actus rationis sivè intellectus; entia verò intellectus, puta cognitiones & intentiones formales omnes, non minùs sunt reales & realiter existentes, quàm Petrus.

XL. Addo tamen 2. intentiones objectivas secundum se, sumptas pro relationibus in objecto intrinsecè existentibus (quomodò eas sumunt plerique Thomistæ) esse fictas, & entia rationis strictè; quia sic sumptæ non possunt esse nemine de ipsis in actu signato sivè reflexo, per actum ab eis realiter distinctum, cogitante, & illas per fictionem naturis intrinsecè affingente: deindè tales relationes sunt planè superfluæ, cum sine illis sufficienter habeatur, quòd animal v. g. sit genus à conceptu generico, homo species à conceptu specifico.

XLI. Nec obstat, quòd universalia dicant relationes identificabilitatis, communicabilitatis, superioritatis, &c. ad sua inferiora; quia illæ non sunt intrinsecæ, sed merè extrinsecæ, non secus ac conceptus universalificans, à quò naturæ reales habent quòd sint universales, multis inferioribus identificabiles, superiores, &c. de quibus amplior recurret sermo infra; pro clariori tamen dictorum de ente rationis intelligentia, sit

DVBIVM II.

Quid sit ens rationis strictè, quotuplex, & an detur.

XLII. ANtè Resolutionem Suppono 1. dubium non procedere de ente rationis latè sumpto, prout confunditur cum ente, quod est ab intellectu subjectivè, ut omnes actus intellectus, aut directivè, ut arte-facta; sed strictè, prout est ens, quod propriè fingitur.

XLIII. Suppono 2. per ens rationis strictè sumptum non rectè intelligi ens intellectus cum exclusione aliarum potentiarum: quia alioqui, frustrà quærerent Philosophi an per voluntatem, phantasiam, & similes potentias ab intellectu distinctas, possit fieri ens rationis strictè; sed intelligi ens intellectus, sumendo intellectum pro potentia, cui familiarius sit ens rationis strictè facere. His suppositis sit

RESOLUTIO I.

XLIV. DIco 1. ens rationis strictè malè definitur, quod habet esse objectivè tantùm in intellectu.

XLV. Probatur, quia alioqui negatio cognita ut negatio, identitas inter hircum & cervum cognita ut impossibilis, &c. esset ens rationis strictè, & ejus cognitio fingens, quæ tamen rem omninò apprehendit, prout reverà est ex parte objecti, & Deo omninò convenit; sed hoc est absurdum, ergò, &c. Probatur sequela majoris, quia talis negatio, talis identitas, &c. habet esse objectivè tantùm in intellectu; remotè quidem & aptitudinaliter antequam cognoscatur; proximè verò & formaliter quandò actu cognoscitur, ergò, &c.

XLVI. Dices ex R. P. Comptono disp. 13. Logicæ, negatio suo modo habet esse ab æterno, ergò cognita ut negatio, suo modo habet esse aliud, quàm esse tantùm objectivè in intellectu.

Respondeo

XLVII. Respondeo negando consequentiam, quia esse, quod habet negatio ab æterno, non est intrinsecè reale, magis quàm esse, quod ens rationis strictè suo modo habet ab æterno; extrinsecè verò est posse concipi, non quidem potentiâ sibi intrinsecâ, sed potentiâ extrinsecâ intellectus, quod esse omninò convenit ab æterno enti rationis strictè, quod habet esse objectivè tantùm in intellectu.

XLVIII. Instabis ex R. P. Poncio disp. 1ª Logicæ: negationes & privationes insunt entibus realibus independenter à consideratione; cæcus enim nullo considerante habet privationem visus; ergò, &c.

XLIX. Respondeo 1º melius dici, formæ, quas negant, non sunt in entibus realibus independenter, &c. quàm negationes insunt, &c. quia inesse sonat esse quod negant: ut sequitur ex Divo Thoma 1ª p.q.15. art. 3. ad 1ᵘᵐ ubi docet, *negationem* sive privationem *non habere in Deo idæam propriam, sed cognosci per bonum oppositum.*

L. Respondeo 2º non aliter inesse, quàm prout sunt entia media inter ens à parte rei actuabile, & ens rationis strictè actuatum, ut consideranti patebit; illud autem nihil aliud est, quàm esse conceptibile, quod ab æterno sit conveniens enti rationis strictè, ut patet, tum ex dictis ad Comptonum, tum ex hac ratione; quià antequam ens rationis strictè sumptum actuetur, est illius actuati negatio, quæ aliud esse non potest, quàm tale medium. Ad quod non satis attendit objiciens, uti nec Pater Comptonus & alii.

Resolutio II.

LI. Dico 2º ens rationis strictè malè definitur ens impossibile judicatum existens, vel potens existere realiter.

LII. Probatur, quia rei definitio non dicit actum, sed potentiam; nec tam respicit actuale, quàm possibile: qui enim hominem definit, non debet hominem existentem definire; atqui illa definitio est entis rationis actualis ut patet: deinde ens rationis possibile est indifferens ut sit apprehensum vel judicatum, ergò, &c.

LIII. Dices cum Suarez & multis aliis, ens rationis strictè non habet aliud esse, quàm esse cognitum, ergò, &c.

Respondeo distinguendo assumptum, non habet aliud esse existentiæ, quàm esse cognitum, concedo assumptum; essentiæ, nego assumptum: sicut enim ens reale secundum genus suum modò est possibile tantùm & secundum esse essentiæ, modò actuale & secundum esse existentiæ; ità ens rationis strictè modò est possibile tantùm & secundum esse essentiæ, modò actuale & secundum esse existentiæ; sivè modò cognoscibile tantùm, modò cognitum.

LIV. Instabis ex R. P. Poncio Logicæ disp. 1ª relationes similitudinis aut dissimilitudinis inter duas chimæras existentes, existunt, etiamsi non cognoscantur existere, ergò vel etiam habent aliud esse existentiæ, quàm esse cognitum, quod negas; vel non habent aliud esse essentiæ, quàm esse cognitum, quod militat contrà conclusionem.

LV. Respondeo distinguendo assumptum, relationes, &c. existunt fundamentaliter, sivè existentiâ sui fundamenti, etiamsi non cognoscantur existere, concedo assumptum; formaliter sivè existentiâ propriâ, nego assumptum. De his autem infrà, dum de relatione disputabimus.

Resolutio III.

LVI. Dico 3º ens rationis strictè est vel ens impossibile realiter, quatenus in anima objectivè secundum esse reale possibilitabile, id est, conceptibile ut possibile; vel ens possibile realiter, quatenus in anima objectivè secundum esse reale impossibilitabile, id est, conceptibile ut impossibile; ac proinde facere ens rationis strictè est illud ut tale apprehendere.

LVII. Probatur, quia per ens rationis omnes intelligunt illud, quod est impossibile existere aliter, quàm per intellectum actu de ipso cogitantem, atqui hoc soli enti impossibili vel possibili, &c. convenit, ergò, &c.

LVIII. Dices, hæc definitio est disjunctiva & multiplex, ergò non valet. Probatur consequentia, quia omnis definitio entis, quæ non est una, non valet: ergò, &c.

LIX. Respondeo negando consequentiam, ad ejus probationem distinguo, omnis definitio entis, quæ sit altera pars contradictionis, quæ non est una, non valet, concedo consequentiam; quæ sit contradictio, nego consequentiam: cum enim illud sit ens & non ens simul, debet explicari ejus essentia sub ratione entis, & non entis; tale autem est ens rationis strictè, quia nec illud quod est ens reale tantùm, est ens rationis strictè, nec illud etiam quod est negatio tantùm.

LX. Confirmatur Resolutio refutatione aliarum definitionum, & Resolutione sequenti.

Resolutio IV.

LXI. Dico 4º chimæræ, negationes, privationes, &c. sunt entia rationis strictè, si accipiantur quatenus ab anima objectivè secundum esse reale possibilitabiles; secus, si accipiantur quatenus ab anima objectivè secundùm esse reale impossibilitabiles. Idem extende ad relationes formales, & denominationes formales, acceptas ut intrinsecas denominatis extrinsecis.

LXII. Probatur, quia ens rationis strictè est fictum; sed qui primum facit, fingit; & qui secundum facit, non fingit; nam omne figmentum secundum communem sensum (si judicium) est mendax & falsum, qui verò primum judicat fallitur, non item qui secundum, ergò, &c.

LXIII. Confirmatur, qui judicat unionem inter hircum & cervum esse impossibilem secundum esse reale, nihil fingit; sed illa unio est chimæra saltem ut quo, ergò chimæræ (& sic de cæteris) non sunt entia rationis strictè, si accipiantur quatenus ab anima objectivè secundum esse reale impossibilitabiles; sed sunt præcisè entia secundum esse reale impossibilia, abstrahendo an sint vel non sint entia rationis strictè; chimæra tamen absolutè sonat idem quod unio impossibilis inter hircum & cervum, sivè idem quod hirco-cervus quatenus ab anima objectivè secundùm esse reale possibilitabilis.

LXIV. Dices ex Eximio D. Caramuële: disp. 1ª Logicæ de ente rationis, impossibile est apprehendere idem simul esse impossibile & possibile; sed hoc fieri deberet, si chimæra, ad hoc ut foret ens rationis strictè, accipi deberet quatenus

ab anima objectivè secundum esse reale possibilitabilis, ergò &c. Probatur minor, quia chimæra est essentialiter impossibilis, &, ut foret ens rationis strictè, deberet posse ab anima concipi secundum esse reale possibilis, ac proindè simul esse possibilis & impossibilis, ergò &c.

LXV. Respondeo 1. retorquendo majorem: impossibile est idem simul esse singulare & universale, sed hoc fieri deberet, si Petrus & Paulus, ad hoc ut forent universale, accipi deberent quatenus ab anima secundum esse intentionale, unum: ergò &c.

LXVI. Respondeo 2. distinguendo majorem. Impossibile est apprehendere idem simul esse impossibile in actu signato sivè ex parte sua, & possibile in actu signato sivè ex parte sua, concedo majorem; idem simul esse impossibile in actu signato sivè ex parte sua, & possibile in actu exercito sivè ex parte actus, abstrahendo ab eo quod sit impossibile in actu signato & ex parte sua nego majorem: nihil autem aliud in proposito fieri debet.

LXVII. Adde ens rationis communiter assignari duplex, unum simplex, alterum compositum: simplex est quidpiam simplex impossibile, vel possibile, quatenus ab anima &c, ut suprà: compositum est enuntiabile aliquod impossibile, vel possibile, quatenus ab anima &c, etiam ut suprà.

Resolutio V.

LXVIII. Dico 5. contrà Iamdunum, Vallesium, Mayronium, Erice 1. p. disp. 18. Caramuëlem &c, datur ens rationis strictè tam compositum, quam simplex.

LXIX. Probatur, quia in eo nulla implicantia, & experientia docet nos propositiones impossibiles sæpiùs apprehendere ut possibiles; item & res simplices impossibiles ut possibiles, & è contrà, ergò &c.

LXX. Dices 1. intelligibilitas est proprietas entis realis, ergò ens rationis strictè non est intelligibile, ac per consequens non datur.

LXXI. Confirmatur. Ens rationis non est in sensu, ergò nec in intellectu: quia nihil est in intellectu, quod prius non fuerit in sensu, ergò non datur.

LXXII. Respondeo distinguendo antecedens: intelligibilitas entis realis est proprietas entis realis, concedo antecedens; entis tam rationis strictè, quàm realis, nego antecedens.

LXXIII. Ad Confirmationem.

Respondeo distinguendo antecedens, ens rationis non est in sensu formaliter & secundum se, concedo antecedens; occasionaliter sivè occasione ab aliis acceptâ, uti sunt substantiæ, nego antecedens.

LXXIV. Dices 2. si detur ens rationis, sequitur dari duo contradictoria simul vera, esse scilicet ens rationis, & non esse, ergò &c.

LXXV. Probabis Sequelam, quia cum negatio entis rationis sit ens impossibile per intellectum possibilitabile, hoc ipso quod concipitur possibile, est ens rationis, ac proindè negatio entis rationis est ens rationis, in quo duo contradictoria sunt simul vera.

LXXVI. Respondet Pater Comptonus loco suprà citato, negationem illam habere aliud esse, quàm objectivè in intellectu, ac proindè, hoc ipso quòd concipitur, non esse ens rationis: sed primum esse falsum patet ex Resol. 1. secundum similiter esse falsum patet ex Resolut. 2. Quarè aliter

LXXVII. Respondeo negando sequelam; ad ejus probationem respondeo negationem entis rationis actualis esse ens rationis possibile, & illam non esse dum est ens rationis actuale, vel, dum illa est, non esse ens rationis actuale; negatio enim entis rationis actualis est ens impossibile per intellectum possibilitabile; ens verò rationis actuale est ens impossibile per intellectum de facto possibilitatum, ac proindè dic contradictoria numquam esse simul vera: undè isto quidem argumento valdè premuntur omnes, qui ens rationis per esse actu cognitum essentialiter definiunt; sed non est cur propter illud Sotus & alii dicant, dari non posse entia rationis strictè, ut patet.

DVBIVM III.

An Deus? & quanam potentiæ, fingere possint entia rationis strictè.

LXXVIII. Dixi, fingere, & non efficere per actionem realem & physicam, quia ità effici proprium est entis realis; fingi verò, entium rationis strictè; Dubium autem procedere potest de intellectu, voluntate, phantasiâ & sensibus externis. Pro quo sit

Resolutio I.

LXXIX. Dico 1. Sensus externi fingere non possunt entia rationis strictè.

LXXX. Probatur, quia ens rationis strictè semper fit per actum quasi reduplicativum, ut constat ex ipsius definitione: si enim sit ens reale, accipi debet ut in anima objectivè impossibilitabile secundum esse realè; si verò ens impossibile realiter, accipi debet ut in anima objectivè possibilitabile secundum esse reale, ad quæ requiritur reduplicatio super ens impossibilitabile, & super ens possibilitabile; sed sensus externi, nec sunt super ista objecta reduplicativi, nec attingere possunt tamquam objectum impossibilitabilitatem aut possibilitabilitatem entis; quia, ut experientia docet, sensus externi sunt ad unum objectum limitati, ut visus ad colorem, auditus ad sonum &c. ergò &c.

LXXXI. Dices, potest dari per Deum color affixus essentialiter loco A, qui tamen videatur in speculo in loco D existere, sed color ille ut in loco D existens est impossibilis, ergò potest visus ens reale objectivè secundum esse reale impossibilitare, ac per consequens facere ens rationis strictè.

LXXXII. Respondeo, transeant major & minor, nego consequentiam; quia licet visus colorem videat in speculo in loco D existere, non videt tamen ut possibilem ibi existere, sed tantùm ut colorem ibi existentem, hæc enim non minùs sunt diversa, quàm videre colorem, & videre possibilitatem coloris sivè colorem ut possibilem.

LXXXIII. Adde quod ne quidem visus attingat ubi speculi aut coloris, ut dicetur in lib. de anima.

ma. Huic autem argumento non satisfacit Pater Oviedus Metaph. Controv. 12. dum solùm respondet vel talem colorem non esse possibilem, vel non futurum objectum nostri visus, quæ gratis dicit.

Resolutio II.

LXXXIV. Dico 2. Phantasia, sivè potentia imaginativa fingere potest entia rationis strictè: est contrà Murciam, Oviedum, Poncium &c.

LXXXV. Probatur, quià phantasia ex dicendis in libris de anima, est discursiva secundum quid, undè non secùs ac intellectus potest ab objectis sensuum accipere occasionem impossibilia fingendi possibilia, & possibilia impossibilia; sic enim sæpius canis imaginatur umbram esse hominem, à quo fustibus exceptus est; Petrus arbores, quas eminùs videt, esse milites &c. Sed ibi phantasia canis umbram possibilem quà umbram, & Petrus arbores possibiles quà arbores, phantasiando esse hominem, milites &c, impossibilitant, ergo &c.

LXXXVI. Nec dicas ad 1. cũ R. P. Poncio Logicæ disp. 1. de ente rationis, canem non imaginari umbram esse hominem, sed hominem esse in loco umbræ, quod est possibile: quia, præterquàm quod cur hoc potius, quam illud imaginetur, probari non posse videatur, cum illo casu inter umbram & hominem non distinguat, & distinguere debeat, si solùm imaginetur hominẽ esse in loco umbræ; mihi verosimilius est, quod dicimus: eodem modo solvendum quod dicit canem non imaginari nisi umbram sub illa proportione, sub qua convenit cum homine, à quo exceptus est fustibus, quomodò umbra est possibilis esse homo, secundùm quod in illa cum umbra convenit; nam præterquàm quod nec id videatur probari posse; licet sub illa tantùm proportione umbram videat, saltem ex illa proportione infert per phantasiam, umbram, quæ talem proportionem habet, esse hominem: quis enim credat aves cum rostro impetunt uvas pictas, solùm ex visu inferre, illas uvas veras esse in loco pictarum, aut pictas habere proportionem cum veris, & non inferre pictas esse veras uvas?

Resolutio III.

LXXXVII. Dico 3. Voluntas & appetitus sensitivus fingere possunt entia rationis strictè: est contrà Murciam, Oviedum, Poncium, Comptonum &c.

LXXXVIII. Probatur, quia potest intellectus aut phantasia hircocervum à se cognitum ut possibilem repræsentare voluntati, aut appetitui sensitivo ut bonum & amabilem; item privationem doloris à se cognitam ut formam positivam, repræsentare ut bonam & amabilem &c: sed illo casu voluntas & appetitus sensitivus fingeret ens rationis strictè, ergò &c.

LXXXIX. Nec dicas cum R. Patre Comptono Logicæ disp. 1. quod isto casu voluntas non fingeret entia rationis, sed ficta amaret: nam, non fingeret quidem ficta, quæ dicuntur intellectualia; ficta tamen, quæ dicantur volita fingeret, quià illis daret fictionem specie distinctam ab ea, quam antè habuerunt, sicut actus Pauli fingens hircocervum, dat illi fictionem numero distinctam ab actu Petri hircocervum fingente.

XC. Nec instes, nulla potentia potest fingere ens rationis strictè, quæ non potest dare esse intentionale suo objecto, quod dare non potest voluntas: nam licet dare non possit esse intentionale intellectum, dare tamen potest esse intentionale volitum, sicut phantasia dare potest esse intentionale phantasticum: undè totum esse existentiæ entis rationis strictè non est solum cognosci, sed etiam appeti.

XCI. Colliges ex præmissis conclusionibus à fortiori intellectum fingere posse entia rationis strictè.

Resolutio IV.

XCII. Dico 4. Cognitione Divinâ inadæquatè conceptâ, & inadæquatione sumptâ quatenus se tenet ex parte actus nostri formaliter præscindentis potest Deus primariò & immediatè per se fingere entia rationis strictè, sumendo ly *fingere* (non ut idem est, quod judicio mendaci *impossibile* dicere objectivè possibile) ad sensum definitionis entis rationis strictè suprà à nobis allatæ, quamquam favorabilius sumi posset, prout idem est, quod intellectualiter depingere, figurare, formare &c. Ità Henricus, Fonseca, Gillius, Ægidius Lusitanus & Scotistæ communiter.

XCIII. Probatur conclusio; potest Deus formare has apprehensiones enuntiativas, *Deus est impossibilis realiter; negatio est ens possibile realiter;* sed illis casibus fingit entia rationis strictè juxtà definitionem à nobis allatam suprà, ergò &c. Probatur major, quia potest has, *Deus est impossibilis realiter est propositio falsa, negatio est ens possibile realiter est propositio falsa*; sed subjecta harum sunt dictæ apprehensiones enuntiativæ, ergò &c: Probatur minor primi syllogismi, quia non potest Deus habere hanc apprehensionem enuntiativam, *Deus est impossibilis realiter*, quin apprehendat Deum ut impossibilem realiter, quomodò facit ens rationis strictè, ut patet, ergò &c.

XCIV. Confirmatur 1. possunt in eodem intellectu simul stare assensus & dissensus circà idem objectum per diversa media; item scientia, opinio, error &c; quid ni & cum cognitione experimentali omninò certa, item & clarissima, de possibilitate entis, apprehensio impossibilitatis illius ob motivum aliquod particulare, v. g. ad exercitium intellectus circà tale objectum? potest enim simul cum cognitione clarissima totius Sanctissimæ Trinitatis, in Deo Patre esse cognitio confusa sui & Spiritus Sancti, ut cum Pater dicit *Filius est Deus, Deus est incarnatus* &c, quia ly *Deus* ibi præscindit à Patre & Spiritu Sancto; quidni & cùm clarissima judicativa possibilitatis ipsius Dei realiter, posset simul stare apprehensiva impossibilitatis ejusdem ob motivum aliquod particulare? in uno enim non videtur esse major imperfectio, quam in alio; & sicut nulla est imperfectio in Deo, entitatem ipsius Dei per præcisionem formalem extrinsecè & ex parte actus partiri in genus & differentiam, essentiam & attributa, in cognitionem omninò claram & confusam, ita non est imperfectio illam eamdem ita partiri in cognitionẽ omninò claram possibilitatis entis realis, & apprehensivam impossibilitatis ejusdem ob aliud omninò motivum, pro quo attende ad dicenda

da infrà Disp. 1. & de eo specialiùs in Theologia, quidquid alii dixerint, ergò &c.

LXXXXV. Confirmatur 2. Sicut possum actum intellectionis Dei perfectissimum ità formaliter præscindere à cæteris objectis, ut sit hujus tantùm enuntiabilis, *Deus est realiter impossibilis est blasphemum;* sic illum eumdem actum possum ità præscindere à prædicato istius propositionis, ut sit tantùm sub mea formali præcisione apprehensio hujus, *Deus est realiter impossibilis*, quod non magis repugnat, quàm quod sub mea formali præcisione sit tantùm ens : sed isto casu fingit ens rationis strictè, ergò &c.

LXXXXVI. Objicies 1. Omnis cognitio falsa in Deo repugnat : sed apprehensio per quam faceret Deus ens rationis strictè, falsa esset, ergò &c. Minor & consequentia patent: probatur major, quia de fide est, Deum falli non posse, quo casu falleretur.

LXXXXVII. Respondeo 1. retorquendo argumentum in cognitionem inadæquatam & confusam, quæ similiter in Deo repugnat, & tamen communiter admittitur, sensu paulò antè dato.

LXXXXVIII. Respondeo 2. distinguendo majorem; cognitio falsa prout subest præcisioni objectivæ, in Deo repugnat, concedo majorem; & ratio est, quia illa ut sic esset intrinsecè falsa, quod repugnat summæ Dei veracitati & perspicacitati; prout subest præcisioni formali in Deo repugnat, nego; quia ut sic non est intrinsecè falsa, cùm intrinsecè sit, & entitativè ipsa summa scientia & perfectissima rerum intuitio; sed ut subest meæ imperfectæ præcisioni formali, quod potiùs est hanc esse falsam, sivè falsò præscindentem cognitionis Dei perfectissimum actum in plures partes, cùm sit simplicissima Dei entitas.

LXXXXIX. Instabis, non minùs in Deo repugnat apprehensio falsa ut sub nostra præcisione formali, quàm judicium falsum ut sub nostra præcisione formali; sed judicium ut sub nostra præcisione formali in Deo repugnat, non secus ac mentiri, ergò & apprehensio &c.

C. Respondeo negando sequelam majoris; quia judicium scienter falsum, quale illud esset in Deo, est mendax & malitiosum; quia in objectum tendit asserendo, sivè resolutivè sententiam ferendo; secus apprehensio falsa, quæ ut talis numquam tribuitur vitio, nec malitiosa dicitur; quia solùm in objectum tendit cognoscendo & examinando ad sententiam ferendam de falsitate objecti; quæ apprehensio & examen propositionum hæreticarum, cùm sit laudabile & perfectionis in Doctore Theologo, non potest esse in Deo ut extrinsecè tantum tale & sub nostra præcisione formali, ac intrinsecè summa, & summè clara ac infinitè certa scientia, vituperabile & imperfectionis, magis quàm sit vituperabilis & imperfectionis in Deo cognitio præcisiva præsente adæquatâ, confusa præsente distinctâ ejusdem objecti, modo ante explicato.

CI. Objicies 2. Non potest Deus cognoscere objectum aliter ac est, ergò non potest facere ens rationis strictè.

CII. Respondeo distinguendo assumptum; non potest Deus cognoscere cognitione adæquatâ formaliter, & prout est in Deo, objectum aliter quàm est, concedo assumptum; cognitione inadæquatâ formaliter, & prout subest nostræ præcisioni formali, nego assumptum: certissimum enim est cognitionem prout in Deo est & adæquatè formaliter sumptam, non posse esse falsam, aut tendere in objectum aliter ac est, sicut ità sumpta non potest esse confusa, examinativa & præcisiva; prout tamen sub nostra præcisione formali, & inadæquata formaliter & ex parte nostræ præcisionis formalis sumpta, videtur necessariò esse posse falsa, & objecti aliter ac est: nam potest Deus hoc totum apprehendere, *Deus conceptus ut impossibilis, est conceptus conceptu fingente: Deus est impossibilis, est propositio falsa* &c; quo dato possum ipsius apprehensionem ut tendit in subjectum, à seipsa præscindere ut tendit in prædicatum; ut verò tendit in subjectum dumtaxat, facit ens rationis, ut patet, est falsa &c; quia tamen cognitio Divina simpliciter accepta sonat cognitionem prout est in Deo realiter & ex parte ipsius, simpliciter admitti, nec debet, nec potest, dari aliquam cognitionem Divinam fingentem, falsam, confusam, examinativam &c; sed cum hoc addito cognitio Divina, prout subest præcisioni nostræ formali, potest esse ex parte actus præscindentis fingens, falsa &c, uti & inadæquata: in quo nullum absurdum, quia totum in imperfectionem actus nostri præscindentis refunditur.

CIII. Confirmatur 3. Ex S. Thom. 1. p. q. 14. art. 9. *Quæcumque igitur possunt per creaturam fieri, vel cogitari, vel dici, & etiam quæcumque facere potest, omnia cognoscit Deus: etiamsi actu non sint:* Atqui per hominem fieri, cogitari & dici potest *ens reale in anima objectivè impossibile, & ens impossibile in anima objectivè possibile*, ergò Deus per apprehensionem cognoscit ens reale in anima objectivè impossibile, & ens impossibile in anima objectivè possibile : Probatur consequentia; quia alioqui nesciret immediatè quid cogitaret homo, sed mediatè tantùm, sivè mediante homine; quod imperfectionem & dependentiam ab homine perfectioni Divinæ cognitionis repugnantem dicit, ergò &c.

CIV. Nec dicas, Deum scire quidem immediatè quid cogitet homo; sed per dissensum tantùm, & non per assensum, in quo solo est imperfectio; quia volumus tantùm scire per apprehensionem, nisi per dissensum intelligas apprehensivum & non judicativum: si verò sciat per dissensum hunc, & dissensus, v.g. *Deus est impossibilis, non est vera propositio*, ut tendens in subjectum à seipso ut tendente in prædicatum, ratione formali præscindatur, æquivalet apprehensioni huic, *Deus non est possibilis*, quæ est ens rationis strictè.

DISPV-

DISPVTATIO II.

De Distinctionibus.

DUBIUM PRIMUM.

Quid Distinctio, sivè an formaliter consistat in negativo, an in positivo.

CV. ANtè Resolutionem Suppono 1° omnes formas habere essentialiter, quod aliis dant, etiam accidentaliter; ac proindè distinctionem (in quocumque consistat) sibi dare essentialiter esse distinctum à quocumque, à quo dat suo subjecto, etiam accidentaliter, distingui; & consequenter, si in negatione consistat, seipsâ essentialiter distingui à quocumque subjectum distinguit: sic enim unio seipsam unit cuicumque, cui dat suo subjecto uniri, & sicuti dat suo subjecto sibi uniri, ne procedatur in infinitum in modis; ità seipsam suo subjecto unit: hæc enim sunt omnibus communia, sed inde corruit præcipuum fundamentum PP. Oviedi, Comptoni, &c. contra nostram Resol. infrà.

CVI. Suppono 2° differentiam rectè dividi in constitutivam & Distinctivam; quià sicut eadem ut eadem, & convenientia in ratione aliqua communi, sunt entia in esse constituta, & non distinguuntur; ità habent differentiam constitutivam, & non distinctivam. Vndè R. Pater Comptonus disp. 19. Logic. sect. 3. non rectè docet, conceptum differentiæ esse, facere rem diversam ab alia formaliter, quandoquidem id soli differentiæ ut differentiæ distinctivæ conveniat, & non differentiæ ut differentiæ constitutivæ, quæ rectè confunditur cum constitutivo rei, sicut illa cum distinctivo: & proinde sicut alius est conceptus constitutivi; quia rem respicit, & daretur, licet per impossibile omnia essent eadem: alius distinctivi; quia alia à re respicit, & non daretur, si per impossibile omnia essent eadem: ità alius est conceptus differentiæ constitutivæ, alius distinctivæ.

CVII. Suppono 3° negationem identitatis, sivè negare identitatem inter Petrum & Paulum; v. g. non esse idem ac negare chimæram; quia licet identitas inter Petrum & Paulum in anima objectivè possibilitabilis, sivè conceptibilis, ut à parte rei possibilis, sit chimæra; aliud tamen est negatio identitatis inter Petrum & Paulum, aliud negatio identitatis inter Petrum & Paulum in anima objectivè possibilitabilis: tum quia hæc propositio est vera, *inter Petrum & Paulum est negatio identitatis*; hæc falsa, *inter Petrum & Paulum est negatio identitatis in anima objectivè possibilitabilis:* tum quia, cùm dicitur inter Petrum & Paulum est negatio identitatis (quam locutionem omnes admittunt) subauditur *similis illi, quæ est inter ensem & gladium*; sicuti autem identitas, quæ est inter ensem & gladium, non est chimæra; ita nec negatio identitatis inter Petrum & Paulum est negatio chimæræ: quòd autem identitas inter Petrum & Paulum similis illi, quæ est inter ensem & gladium, sit impossibilis, non facit distinctionem, quæ est inter Petrum & Paulum, esse negationem identitatis chimæricæ; sed identitatis, quæ alioqui esset, si negatio illa non esset; & ideò præcisè non est, quia ipsa præcisè est, & impossibilis est, quamdiu ipsa est: undè non est negatio identitatis chimæricæ; quia identitas chimærica independenter à negatione identitatis chimæricæ est impossibilis, & adhuc hâc ablatâ manet impossibilis, imò hâc positâ fit possibilis, ut consideranti patebit. Vndè minùs etiam rectè in his R. Pater Comptonus loco citato. His autem suppositis, sit

RESOLUTIO.

CVIII. DIco, distinctio in genere est negatio identitatis inter duo extrema, sivè realia sint, sivè rationis; quia ubicumque est negatio identitatis, ibi est distinctio. Ratio definitionis est, quia præter negationem identitatis inter duo extrema, ad distinctionem nihil positivum requiritur, & distinctio nec esse, nec concipi potest sine dicta negatione.

CIX. Confirmatur: esse distinctum est unum non esse aliud, ergò distinctio est negatio identitatis inter unum & aliud. Consequentia patet: probatur antecedens 1° quia præcisè ablato *non* sive negatione, habetur unum esse aliud, sivè identitas. 2° Quia licet in priori quàm sit negatio, nec sit non identitas, nec identitas; non potest tamen esse formalis distinctio; quia, cum in priori, nec sit identitas, nec nõ identitas, rectè sic discurritur: quod est in priori, nec pugnat cum identitate, nec cum non identitate; sed distinctio pugnat cum identitate, ergò non est in priori, sed demùm in posteriori, quandò ponitur negatio, ut ostendimus: undè meritò Divus Thomas in 1^um^ dist. 5ª q. 1ª art. 1. ad 1^um^ ait, *Vbicumque est distinctio, ibi oppositionem esse contradictorii.*

CX. Objicies 1° constitutivum rei est quid positivum, non negatio, & tamen est etiam rei distinctivum, ergò, &c.

CXI. Respondeo constitutivum rei formaliter, non esse rei formaliter distinctivum, sed fundamentaliter tantùm, quatenus scilicet fundat dictam negationem identitatis inter se & aliud. Ratio est, quia si per impossibile tolleretur negatio identitatis inter Petrum & Bucephalum, adhuc maneret omne constitutivum eorum, cum absolutè sint entia purè positiva; non essent tamen distincti, ut patet; sed Petrus esset Bucephalus: quia ubicumque non est negatio identitatis, est identitas, ut clarè patet ex hâc propositione, *homo non est albus*, si tollas negationem, erit, *homo est albus*, quæ propositio significat identitatem inter prædicatum & subjectum. Deindè quotiescumque definit aliquid esse præcisè ablatâ tali vel tali formalitate, id in eâ formaliter consistit; præcisè verò ablatâ negatione identitatis, tollitur distinctio objectiva, ergò hæc in negatione formaliter consistit. Quòd autem Pater Comptonus loco supra citato dicat, multa nos per negationes explicare, quæ reipsa nihil minùs sunt, quàm negationes, ut indistinctum, punctum, irrationale, &c. nihil refert; quià non sunt præcisè positâ negatione, & illâ præcisè ablatâ non tolluntur, uti distinctio in proposito.

CXII. Objicies 2° quando dico, *Petrus est non Pau-*

lus

lus, significo, Petrum esse distinctum à Paulo; sed illa propositio æquivalet huic, *Petrus est Petrus*, quod totum est positivum: ergò distinctio non consistit formaliter in negatione, sed in positivo.

CXIII. Respondeo negando majorem; quia nulla est ibi negatio identitatis Petri cum Paulo; sed è contrà affirmatio identitatis Petri secum; & sensus est, Petrus est non divisus sivè indivisus à seipso; quia, cùm Paulus sit quidpiam unum, Paulus idem est ac divisus à Petro, & non Paulus idem est, ac non divisus à Petro; esse verò non divisum sivè indivisum à Petro est quidpiam positivum, nec aliud, quàm ipse Petrus absolutè sumptus: ergò cum dicitur, *Petrus est non Paulus*, æquivalenter dicitur, *Petrus est Petrus*, ac proindè per allatam propositionem non significo, Petrum esse distinctum à Paulo, sed Petrum esse Petrum.

CIV. Adde, Petrum esse indivisum in se, idem esse, ac Petrum esse non divisum in se, sivè non non Petrum; duæ verò negationes se mutuò afficientes immediatè, se mutuò tollunt; ac proindè Petrum esse indivisum in se, idem est, ac Petrum esse Petrum.

CXV. Instabis 1° Petrum esse distinctum à Paulo est Petrum non esse Paulum: sed Petrum non esse Paulum, idem est, ac Petrum non esse non Petrum, & Petrum non esse non Petrum est Petrum esse Petrum, ergò Petrum esse distinctum à Paulo, idem est ac Petrum esse Petrum, & consequenter totum est positivum.

CXVI. Respondeo concessâ majore, negando minorem pro secunda parte; Petrum enim non esse non Petrum, non est idem ac Petrum esse Petrum: quia prima istarum propositionum solùm dicit id, quod Petrus non est; ac proindè æquivalet huic, Petrus non est Paulus, non est lapis, &c. ubi solùm dico id quod Petrus non est, abstrahendo ab eo quod Petrus est. Secunda verò dicit id quod est, abstrahendo ab eo, quod non est; quia licèt in prædicato *Petrus* involvatur *non Paulus, non lapis*, &c. illa tamen negatio, quia infinitans & non præfixa copulæ, nihil negat, nec dicit id quod non est Petrus, sed relinquit totam affirmationem in suo statu; ac proindè eà non obstante, propositio hæc *Petrus est non Paulus* æquivalet huic, *Petrus est Petrus*, & solùm dicit id quod Petrus est, abstrahendo ab eo quod Petrus non est: alioqui nulla esset distinctio inter negationem negantem, & negationem infinitantem.

CXVII. Instabis 2° esse distinctum, idem est, ac esse divisum ab alio, sed esse divisum ab alio, & esse indivisum in se, sunt idem; & ly *indivisum in se* nullam dicit negationem: ergò neque esse distinctum.

CXVIII. Respondeo concessâ majore, distinguendo minorem; sed esse divisum ab alio, & esse indivisum in se sunt idem fundamentaliter & positivè, concedo minorem: formaliter & secundum negationem, nego minorem: nam ly divisum ab alio formaliter dicit negationem essendi aliud, à qua indivisum in se præscindit; quia quandò concipio *indivisum in se*, non concipio esse *divisum ab alio*, siquidem esse indivisum in se, est non esse distinctum à se, sivè rem esse id quod est: esse verò divisum ab alio, est esse distinctum ab alio, sivè rem non esse aliud: rectè autem concipio, rem non esse distinctam à se, sivè esse id quod est, non concipiendo formaliter, rem esse distinctam ab alio, sivè rem non esse aliud, sicut rem possum concipere, non concepto alio à re distincto. Vndè etiam ex parte objecti, longè aliud est, rem esse indivisam in se, sivè rem esse id quod est, quàm rem esse divisam ab alio, sivè rem non esse aliud; quia in uno formaliter est negatio, non autem in alio, sed fundamentaliter tantùm. Quare dic consequenter unum se habere ad aliud, sicut se habet omne distinctum ab alio, ad esse indistinctum à se; quæ sunt valdè diversa.

CXIX. Vrgebis 1° Petrum v. g. esse distinctum à Paulo, reipsà est duplex negatio: ergò idem est, ac Petrum esse indistinctum à Petro, quod totum est sinè negatione positivum: ergò, &c. Probatur antecedens; quia est negatio negationis Petri inclusæ in Paulo relativè sumpto: nam Paulus, utpotè ens unum, dicit non esse Petrum: ergò Petrum non esse Paulum, sivè esse distinctum à Paulo, idem est, ac Petrum non esse non Petrum, sivè Petrum esse indistinctum à Petro, quod totum est sinè negatione positivum.

CXX. Respondeo negando antecedens, quia Petrum esse distinctum à Paulo, tantùm est Petrum non esse idem, cum eo quod est divisum sivè distinctum à Petro; quia Paulus dicit esse divisum sivè distinctum à Petro: ubi vides esse unicam negationem; ut verò foret duplex negatio, Petrum esse distinctum à Paulo, deberet esse idem, ac Petrum esse non distinctum à Petro, quod totum est positivum & æquivalenter idem ac Petrum esse indistinctum à Petro. Cur verò Petrum esse distinctum à Paulo idem sit, quod prius, & non idem, quod hoc posterius, ratio est; quia *esse distinctum ab alio, non esse aliud*, &c. aliud est, quàm rem esse idem secum, rem esse id quod est, &c. nam illud primum importat negationem essendi alterum, à quâ hoc secundum præscindit, etiam objectivè: & reverà, si per impossibile poneretur à parte rei præcisè objectum conceptus, quo dico, res est idem secum, præcisè poneretur sinè ulla negatione, diversitate aut distinctione ab alio, & proindè omnia essent idem, quod absurdum videri non debet; quia ex illo impossibili posito quidpiam sequi impossibile, absurdum non est.

CXXI. Vrgebis 2° priusquam intelligatur in Petro negatio Pauli, debent intelligi Petrus & Paulus, utpotè istius negationis fundamenta; sed in illo priori intelligitur Petrus, ut non Paulus absolutè sumptus; & è contrà Paulus ut non Petrus absolutè sumptus: ergò Petrus independenter ab omni negatione habet, quòd non sit Paulus, & è contrà.

CXXII. Respondeo, concessâ majore & minore, negando consequentiam; quia licet in illo priori intelligatur Petrus ut non Paulus, & è contrà; non tamen intelligitur Petrus non esse Paulus, & è contrà; quia hæc secunda intellectio habet pro objecto unam negationem, quam alia non habet: intelligere enim Petrum non Paulum absolutè sumptum, est intelligere, Petrum esse Petrum; quia non Paulus simul cum cæteris, quæ non sunt Petrus, idem est ac non divisum, sivè indivisum ab alio, quod sit Petrus absolutè sumptus, quod est, esse Petrum ipsum; intelligere verò Petrum non esse Paulum, est intelligere Petrum cum negatione essendi Paulum: quæ negatio, cùm Paulum immediatè non afficiat; sed identitatem inter Petrum & Paulum, non est negatio negationis Petri inclusæ in Paulo relativè sumpto ad distinctam personam: & consequenter Petrum non esse Paulum,

lum, non est idem ac Petrum esse non Paulum, vel Petrum esse Petrum; sed illa est negatio, quæ est formaliter distinctio; & consequenter Petrumn on esse Paulum, est, Petrum esse distinctum à Paulo.

CXXII. Superurgebis, Petrum esse Petrum, est negationem Petri non esse: quia opponuntur contradictoriè tanquàm negatio & habitus; sed negationem Petri non esse, est, Petrum non esse Paulū & cætera quæ non sunt Petrus: ergo Petrum non esse Paulum est Petrum esse Petrum; ac per consequens, totum positivum, licèt negativè expressum, nulla negatio. Probatur minor: quia negatio Petri involvitur in Paulo relativè sumpto ad distinctam personam & cæteras, quæ non sunt Petrus: ergo negationem Petri non esse, est Petrum non esse Paulum & cætera, quæ non sunt Petrus; ac per consequens, est, Petrum non esse Petrum.

CXXIII. Respondeo, concessâ majore, negando minorem; quia negationem Petri non esse, non est, Petrū non esse Paulū, & cætera: quia ibi est duplex negatio, hîc verò una dumtaxat, ut patet ex præmissis: sed est, Petrum esse indivisum à se, esse id, quod est, &c. quod abstrahit ex parte intellectus & objecti sive Petri, ab eo, quòd Petrus sit vel non sit Paulus. Ad probationem minoris, concedo antecedens: nam ideò dicimus, Petrum esse non Paulum, &c. esse idem ac negationem Petri non esse, Petrum esse Petrum, &c. quia negatio Petri involvitur in Paulo relativè sumpto ad personam distinctam, &c. ita ut, Petrus est non Paulus, sit idem ac, Petrus est non divisus, est indistinctus, &c. à Petro. Nego tamen consequentiam; quia, Petrum non esse Paulum, dicit negationem identitatis inter Petrum & Paulum, à qua, negationem Petri non esse, sive Petrum esse (quod idem est) abstrahit ex parte actus & objecti, ut diximus. Ex his

CXXIV. Colliges 1°, contrà PP. Vasquez, Hurtadū, Oviedum, Comptonum recenter & alios, distinctionem formalem objectivam esse quidpiam purè negativum, sive puram negationem; non verò ipsa positiva extrema (in quibus fundatur) negativè expressa; nam ens quodlibet, ut unum dicit esse, & non esse aliud, ita tamen ut possit concipi esse ex parte actus, quin concipiatur non esse aliud; ut vel ipsa experientia docet: & ratio est; quia sunt duæ rationes diversæ inclusæ in uno; 1ª enim est positiva, & dicit esse indivisum à se; 2ª negativa, & dicit esse divisum ab alio. Vnde aliud est Petrum esse, aut Petrum esse non Paulum, ac Petrum non esse Paulum: ac per consequens prius est Petrum esse unum secundum rationem positivam unius, quàm secundum negativam ejusdem unius, quod utramque illam rationem involvit.

CXXV. Colliges 2°, distinctionem hîc non sumi pro actu intellectus vel alterius potentiæ unum ab alio formaliter extrinsecè distinguentis; sed pro negatione identitatis inter duo extrema, quæ ab extremis seipsâ distinguatur, & è contrà extrema ab ea seipsis; quod etiam contingit in unione, quæ (utpotè causa formalis uniti, uti dicta negatio distincti) seipsâ extremis unitur, & extrema seipsis illi uniuntur; potest tamen dici, extrema ab illa negatione per illam negationem distingui, quia est formalis ratio se ab aliis, & alia à se distinguendi: sic enim subjectum dicitur esse in eodem loco cum suo *ubi* per suum *ubi*; quia *ubi* est formalis ratio se, & alia à se constituendi in loco.

CXXVI. Colliges 3°, distinctionem opponi identitati, sicut unitas opponitur pluralitati, scilicet contradictoriè; nam sicut unitas dicit essentialiter negationem pluralitatis; ita distinctio dicit essentialiter negationem identitatis: ac proindè sicut Petrus est idem secum, quia indivisus in se, & vera est hæc propositio, *Petrus est formaliter Petrus*; ita Petrus non est idem cum Paulo, quia est divisus à Paulo, & vera est hæc propositio, *Petrus non est formaliter Paulus.*

DVBIVM II.

Quomodò Distinctio in genere dividatur.

CXXVII. ANtè Resolutionem Suppono distinctionem realem in rigore variè sumi: 1°, prout media est inter rem & rei negationem: 2°, prout media est inter rem & rem antè intellectum & in actu signato: 3°, prout media est inter rem & rem post intellectum & in actu exercito rationis-ratiocinatæ aut rationis-ratiocinantis unum ab alio distinguentis: hæc enim, licèt communiter dicatur rationis, realis tamen est, prout reale opponitur ficto. Hoc suppositio sit

Resolutio.

CXXVIII. DIco distinctio in genere rectè dividitur 1° in realem (sumendo ly *realem* secundo modo) & rationis: Realis verò subdividitur in modalem & Physicam: Rationis autem in Rationis-ratiocinatæ & Rationis-ratiocinantis.

CXXIX. Dividitur 2° in adæquatam & inadæquatam: 3° in intrinsecam & extrinsecam: 4° in positivam & negativam.

DVBIVM III.

Quid Distinctio Realis, Physica, & Modalis.

Resolutio I.

CXXX. DIco, Distinctio Realis in genere opponitur Distinctioni rationis; & est, quæ mediat inter rem & rem antè operationem intellectus: ut inter Petrum & Paulum, modum & modum, & modum ac ejus modificatum. Dixi *inter rem*, ubi per rem intellige rem latè sumptam, prout tamen dicit esse quidpiam existens antè operationem intellectus, sive existat tanquàm ens solidæ entitatis, ut Petrus, & res quælibet strictè sumpta; sive tanquàm ens tenuis, & debilis entitatis, ut unio, & quilibet modus.

Signa Distinctionis Realis.

Primum.

CXXXI. PRimum signum infallibile distinctionis Realis pro creatis, sit *capacitas prædicatorum contradictoriorum*, ut album non album, stans non stans, &c. unde rectè sequitur, Petrus stat, Paulus non stat, ergo Petrus & Paulus distinguuntur realiter: ad hoc autem signum rectè reducitur aliud, videlicet, *Quorum unum perire potest, altero remanente*, quod videtur Augustini 6. de Trinit. cap. 6. & Aristotelis 7. Topic. cap. 1. *si potest alterum sinè*

altero esse, non erit idem. Ratio signi sumitur ex Aristotele lib. 4°. metaph. cap. 3°. *Impossibile est idem simul esse, & non esse.* Cætera signa, quæ ab aliis passim adferuntur, in hoc radicantur, vel fallunt; quarè illa tamquam superflua omitto.

Resolutio II.

CXXXII. Dico 2°, distinctio realis Physica (quæ sola simpliciter & absolutè realis dicitur) est, quæ mediat inter rem & rem solidæ entitatis, id est, inter res, quæ tales sunt, ut ex vi entitatis suæ possint existere separatim sinè alterius adminiculo; sic forma à materia, albedo à pariete distinguitur.

CXXXIII. Dixi, *Quæ tales sunt, ut ex vi entitatis suæ possint existere separatim*, &c. quia, si ad distinctionem Physicam separatio actualis (saltem possibilis) ut v. g. non existentia unius, existente altero; unum non esse, ubi est alterum, &c. requireretur; Personæ Divinæ inter se non distinguerentur realiter Physicè (quod est hæreticum) quia ob necessariam inter se connexionem, & in se summam in perfectione infinitatem, numquam actu ab invicem separari possunt, aut una existere, non existente aliâ; non esse, ubi est altera, &c.

CXXXIV. Per has particulas autem, *Vt ex vi entitatis suæ*, &c. excludes distinctionem modalem, illam, v. g. quæ intercedit inter duos modos; quia duo modi, non vi suæ entitatis, sed vi suorum subjectorum, nec sinè adminiculo alterius, sed subjectorum suorum tantùm, ab invicem separatim existere possunt.

Signum Distinctionis Realis Physicæ.

CXXXV. Signum infallibile hujus distinctionis sit, vel mutua quoad existentiam entium solidæ entitatis actualis vel saltem possibilis, vi entitatis extremorum separatio; ut comprehendam distinctionem mediam inter relationes Divinas, Paternitatem scilicet, Filiationem & Spirationem, quæ infinitè solidioris sunt entitatis, quàm entia creata (dato, quòd illæ in positivo consistant, de quo nos aliquid 1ª parte Theolog.) quæ actu ab invicem separantur.

Resolutio III.

CXXXVI. Dico 3ò. distinctio realis modalis est quæ intercedit, vel inter modum & ejus modificatum, ut inter unionem & unitum; vel inter duos modos, ut inter duas uniones. Sed pro majori intelligentia

CXXXVII. Adverte, nos per modos intelligere tenues & debiles quasdam entitates, in eo à rebus sive solidis entitatibus distinctas, 1ò, quòd hæ non sint duorum realiter distinctorum unio, in quo essentia modi consistit, ut ostendemus in Physica. 2ò, quòd modi ex suæ entitatis debilitate desinant desinentibus subjectis; nec possint, illis desinentibus, à Deo, vel sine subjecto conservari, vel in alio collocari; secus res, quarum aliquæ, ut formæ materiales, vi suæ entitatis desinunt desinentibus subjectis; tales tamen sunt, ut à Deo, vel sinè subjecto conservari possint, vel in alio collocari: quæ autem entitates in particulari sint modi, & quæ res, dicetur in Physica.

Signum Distinctionis Realis Modalis.

CXXXVIII. Signum infallibile distinctionis modalis sit inseparabilitas mutua unionis ab extremis, & unionum inter se, ratione sui præcisè: nam modos ut v. g. uniones ratione suorum subjectorum à se mutuò separari posse, sic ut una existat, aliâ desinente, negari non potest: cur autem pro signo illo non adferamus, non mutuam extremorum separabilitatem, ob alterutrius saltem, debilem nimis entitatem; commodiùs dicetur in Physica, dum modos definiemus.

CXXXIX. Quærit hìc R. Pater Comptonus, an distinctio modi à re sit major, quàm unius rei ab alia absoluta: respondet autem communiter esse formaliter majorem, sic nempè, ut distinctio modi à re, extrema sua magis distinguat, quàm distinctio unius rei absolutę ab alia absoluta: quod sic probat: illa magis distinguuntur & differunt, quæ minùs conveniunt; sed res & modus sæpè minùs conveniunt, quàm duæ res absolutæ; res enim sæpè est substantia, modus accidens, ergò, &c.

CXL. Contrà verò est, quòd distinctio sit negatio identitatis; non est autem major identitas inter duas res absolutas, quàm inter modum & rem; quia illæ se totis, saltem vi entitatis suæ, separantur; non ità modus & res: unde plures sunt, qui identificant (saltem minùs rigorosè) modum rei: deinde majores illas formales convenientias (quidquid sit de fundamentalibus, quas solum vulgus attendit) independentes ab intellectu, prout est distinctio (de qua in proposito) numquam potui capere; quia per hæceitatem & hæceitatem, semper intellexi id, quo præcisissime & summe, quam fieri potest, unum distingueretur ab alio; Physicè, si hæceitas Physicè sumatur; Metaphysicè, si hæceitas Metaphysicè sumatur: in præcisissima autem & summa distinctione unius ab alio, nullam umquam reperi convenientiam; & alioqui non est, cur negaretur universale rigorosè antè intellectum. Sed de hoc adhuc aliquid infrà contrà Arriagam & alios, præsertim Tractatu 2°. Disp. 5ª de Individuo.

DVBIVM IV.

Quid Distinctio rationis in genere, Rationis-ratiocinantis, & Rationis-ratiocinatæ.

Resolutio I.

CXLI. Dico 1°. distinctio Rationis, ut opponitur distinctioni reali, est, quæ mediat inter rem & rem post operationem intellectus; ut inter animal & rationale, Petrum ut prædicatum & Petrum ut subjectum: nam ista, ut ex decursu patebit, sunt eadem res simplex antè intellectum, & nonnisi intellectus, vel similis potentiæ distinctivæ beneficio distincta.

CXLII. Dices tamen: intellectus, vel alia potentia distinguens, nihil mutat in re; ergò, si animal & rationale in re sint res simplex, etiam beneficio intellectus, vel similis potentiæ distinctivæ, non erunt distincta.

CXLIII. Respondeo distinguendo antecedens, intellectus, &c. nihil mutat in re intrinsecè & ex parte rei sivè objecti, concedo antecedens; & ratio est: quia omnis mutatio nova intrinseca fit per additionem novæ formæ intrinsecæ; intellectus

lectus verò, & omnis actus ipsius est rei, seu objecto v. g. Petro extrinseeus, utpote in cognoscente sive intelligente existens: nihil mutat in re extrinsecè & ex parte sua sivè actus, nego antecedens; quia extrinsecè & ex parte sua sive actus modò rem, v.g. Petrum, confusè, modò distinctè repræsentat: ex quo fit, ut res sive Petrus dicatur extrinsecè & ex parte actus mutari; nam sicuti conceptus distinctus est alius à confuso; ità Petrus distinctè conceptus, extrinsecè alius est à seipso confusè concepto.

Resolutio II.

CXLIV. Dico 2° distinctioRationis-ratiocinantis est, quæ mediat inter rem & rem eamdem objectivè, substantem conceptibus solo numero distinctis. Talis est inter ens concretum & entitatem abstractum; ensem tertiæ & gladium secundæ declinationis; Petrum subjectum & Petrum prædicatum, *Petrus est Petrus.* Quamdiu enim *Petrus* non repræsentatur ut subjectum, ut prædicatum, &c. reduplicativè; sed specificativè, tamquam id, quod est subjectum, prædicatum, &c. semper substat conceptibus solo numero distinctis, ut patet.

Resolutio III.

CXLV. Dico 3° distinctio rationis-ratiocinatæ est, quæ mediat inter rem & rem eamdem objectivè, substantem conceptibus plusquam numero distinctis, ratione diversorum terminorum, in ordine ad quos, illam repræsentat: talis est inter animalitatem & rationalitatem in Petro; bonitatem & sapientiam in Deo. Vndè meritò D. Thom. in 1^am^ sentent. distinct. 2. q. 1. art. 2. dicit, *Sapientiam & bonitatem esse omninò unum re in Deo, sed differre ratione, & hanc differentiam, non tantùm esse rationis-ratiocinantis, sed ex proprietate ipsius Dei*, id est, sed ex eo, quod Deus ex se dicat ordinem ad terminos plusquam solo numero distinctos. Pro majori tamen horum intelligentia, sit

QVÆSTIVNCVLA I.

CXLVI. QVæres 1°, cur, cum communi ferè omnium non dicamus distinctionem Rationis-ratiocinantis esse mediam inter rem & rem eamdem sine fundamento in re; Rationis-ratiocinatæ verò è contrà, cum fundamento in re.

CXLVII. Respondeo 1° imprimis non videri tanti hac in parte faciendam authoritatem communem; quia ut notat R. Pater Ruysius, Tract. de scientia Dei Disp. 6. Sect. 6. divisio ista distinctionis fuit inter antiquos Scholasticos inaudita, & consequenter à fortiori illæ distinctionum definitiones. Deindè definitiones illæ procedunt ex principio nobis post Nominales & plerosque Recentiores falso (ut Dub. 5° sequenti videbitur) distinguibilitatis scilicet ejusdem rei realiter simplicis in diversos conceptus objectivos inadæquatos.

CXLVIII. Respondeo 2° cur à communi recedamus, rationem esse, quòd vel neutra istarum distinctionum habeat fundamentum in re; vel utraque illud habere debeat; quod sic probo: vel enim res sivè objectum realiter simplex consideratur absolutè & secundum se, vel comparativè & cum relatione ad diversos terminos?

CXLIX. Si prius, peto quâ ratione objectum realiter simplex, absolutè & secundum se consideratum, sit fundamentum distinctionis rationis-ratiocinatæ, & non distinctionis rationis-ratiocinantis: non enim 1° quia conceptibile ratione-ratiocinatâ distinguente, & non ratione-ratiocinante; quia, ut omnes fatentur, de facto utraque concipitur: non etiam 2° quia ratio-ratiocinans bis idem repræsentat, & ratio-ratiocinata aliud & aliud, saltem ex parte termini, quem objectum respicit; nam à tali respectu præscinditur, & supponitur objectum considerari absolutè & secundum se.

CL. Si posterius; similiter peto, quâ ratione objectum realiter simplex, comparativè ad diversos terminos consideratum, sit fundamentum distinctionis rationis-ratiocinatæ, & non distinctionis rationis-ratiocinantis: non enim 1ò, quia dicit ordinem tantùm ad diversos terminos, sive reales, sive intentionales, specie distinctos; & non ad diversos, sive reales, sive intentionales, solo numero distinctos; quia uterque ordo eidem objecto convenit, ut omnes fateri tenentur: non etiam 2ò, quia ratio-ratiocinans bis idem repræsentat; ratio verò ratiocinata aliud & aliud ex parte terminorum: nam (præterquam quòd illud ipsum, quod est fundamentum rationis-ratiocinatæ propter repræsentabilitates in ordine ad diversos terminos reales, quos producere potest, sit fundamentum rationis-ratiocinantis propter repræsentabilitates in ordine ad diversos terminos intentionales, sivè conceptus, quibus repræsentari potest) sicut ratio-ratiocinans bis idem absolutè & secundum se sumptum repræsentat, ita & ratio-ratiocinata; & sicut ratio-ratiocinata aliud & aliud ex parte terminorum repræsentat; ità & ratio-ratiocinans; quia, ut dixi, in re haud minùs sunt diversæ repræsentabilitates per conceptus solo numero distinctos, quàm per specie distinctos, aut quàm diversorum effectuum producibilitates; quæ, si simul cum terminis ratione attingantur, res, juxta communem, à seipsa distinguitur cum fundamento in re; igitur similiter distinguitur à seipsa cum fundamento in re, si illæ ejus repræsentabilitates simul cum terminis ratione attingantur, quod fit, toties, quoties res per conceptus solo numero distinctos repræsentatur; quandoquidem conceptus illi repræsentabilitates rei attingant cum ordine ad seipsos, utpote istarum repræsentabilitatum & suipsius repræsentationes.

CLI. Confirmatur: quandò dico, *Petrus est Petrus*, in actu exercito distinguo ratione-ratiocinante Petrum à seipso, & Petrus distinctionem illam fundat; & quando dico, *Petrus est animal*, in actu exercito distinguo ratione-ratiocinatâ Petrum à seipso, & solus idem *Petrus* distinctionem illam fundat; non verò *Petrus* & sensationes, ad quas ut animal dicit ordinem, quia illæ, utpote inter se realiter distinctæ, fundant distinctionem realem Physicam; ergò neutra habet fundamentum in re, vel utraque illud habere debet, quod mihi omninò verius.

CLII. Dices ex R. Patre Comptono Logic. disputat. 23. Sect. 1ª. Sicut res eadem sinè fundamento in re diversis nominibus synonimis appellatur, *vestis & vestimentum, ensis & gladius, &c.* sic, ut tota distinctionis ratio in vocem refundatur; ita res eadem sinè fundamento in re diversis conceptibus synonimis concipitur, sic, ut tota distinctio in intellectum refundatur; ergo distinctio rationis-ratiocinantis est distinctio, quæ non habet fundamentum in re.

CLIII. Respondeo distinguendo assumptum; res eadem absolutè & secundum se sumpta, sinè fundamento in re diversis nominibus, & conceptibus synonimis appellatur, concipitur, &c. concedo assumptum: & ratio est; quia, cùm ut sic sit indivisibilissima unitas sub præcisione formali ab omni respectu transcendentali ad terminos extrinsecos, ex parte objecti non potest esse fundamentum talis vocum & conceptuum, &c. diversitatis: res eadem comparativè & cum ordine ad diversos terminos, sive reales, sive intentionales, considerata, sinè fundamento in re diversis nominibus & conceptibus synonimis appellatur, concipitur, &c. nego assumptum; numquid enim res eadem, quà productiva diversorum effectuum, potest concipi aut nominari diversis conceptibus aut nominibus cum fundamento in re comparativè, &c. sumptâ? id omnes fatentur; ergo & quà ex parte suâ conceptibilis diversis conceptibus, nominabilis diversis nominibus, potest concipi & nominari diversis conceptibus & nominibus cum fundamento in re comparativè, &c. sumptâ; & sicuti illa tota distinctio non refunditur in effectus, sed in rem & effectus, quos respicit; ita & hîc totum in conceptus & voces refundi non debet, sed in rem & conceptus ac voces, quos respicit.

QVÆSTIVNCVLA II.

CLIV. QVæres 2º, an alterutra, aut utraque distinctio rationis-ratiocinantis & rationis-ratiocinatæ sit ficta.

CLV. Respondeo contrà Thomistas, neutram esse fictam; sed è contrà utramque realem; quia utraque habet fundamentum in re comparativè sumptâ, & cum relatione ad diversos terminos; nulla autem distinctio habens tale fundamentum in re potest esse ficta; quia scilicet non est tam rei distinctio, quàm terminorum, qui sæpissimè realiter sine ullâ prorsùs fictione sunt distincti: quòd verò non sit tam rei distinctio, quàm terminorum, ratio est; quia semper supponit respectus ad distinctos terminos, ut patet ex sequentibus exemplis: Petrus confusè conceptus in ordine ad sensationem, à seipso distinctè concepto in ordine ad ratiocinationem, ratione-ratiocinatâ distinguitur: Petrus conceptus cum ordine ad conceptum prædicantem, à seipso concepto cum ordine ad conceptum in eâdem propositione subjicientem, ratione-ratiocinante distinguitur.

CLVI. Confirmatur, quia fingere, est rem possibilem in mente objectivè impossibilitare, & rem impossibilem in eâdem objectivè possibilitare; ibi autem nihil tale fit; sed res realiter sumpta eo modo concipitur, quo est conceptibilis, ergo, &c. minor patet, consequentia est legitima; major probata est Disp. 1ª Dub. 2.

QVÆSTIVNCVLA III.

CLVII. QVæres 3º, undè habeat intellectus, quòd rem unam & realiter eamdem, modò à paucioribus, modò à pluribus, distinguat, quod fit in fabricatione universalium, de quibus infrà.

CLVIII. Respondeo, id habere à sensu, juxtà hoc commune axioma, *Nihil est in intellectu, quod priùs non fuerit in sensu:* per hoc enim quòd sensus notet in objecto operationes ex communi sensu notabiliter diversas, illud perceptum per ordinem ad illas, vel potiùs earum aliquas, modò à pluribus, modò à paucioribus distinguit, prout notarit, similis speciei operationes pluribus vel paucioribus convenire: cùm enim visus noster in Petro eminùs viso notat solam sensationem, movetur intellectus ad illum concipiendum ut animal, & ad illum non distinguendum, nisi à non sentientibus, sive non animalibus: cùm verò in eodem notat ratiocinationem, movetur intellectus ad illum concipiendum ut hominem, & ad illum distinguendum à non hominibus, qui sunt pauciores, quàm non animalia.

CLIX. Dixi *operationes ex communi sensu notabiliter diversas:* 1º, quia cùm ante intellectum non detur universale specificum, operationes, in quas tendit sensus, ut summum specie formali possibili possunt esse specie diversæ; nisi dixeris fieri specie formali actuali diversas in actu exercito ipsius visus, unam ab aliâ notabiliter distinguentis, de quo universali per visum infrà. 2º, quia notabilis duorum inter se diversitas, aliundè, quàm ex communi sensu, à nobis difficulter dignoscitur, ut ostendemus in Physica.

CLX. Dices fortè, multa sunt, quæ à seipsis distingui possunt ratione-ratiocinatâ; & tamen, vel nullas habent operationes, vel saltem non nisi nobis incognitas; ut albedo, ubi, duratio, &c. quæ concepta ut accidentia à pluribus, ut entia à paucioribus distinguuntur; ac per consequens ratione-ratiocinatâ; ergo, quòd intellectus rem unam realiter eamdem, modò à pluribus, modò à paucioribus distinguat, haberi non potest à sensu notante in illâ operationes notabiliter diversas, &c.

CLXI. Respondeo, nos id non tradidisse, ut regulam generalem pro omnibus, sed ut clariorem pro aliquibus, iisque entibus, quorum operationes notabiliter diversas cognoscimus: generaliter tamen dici, intellectum id habere partim ex sensu, partim ex objecto; ex sensu quidem; quia sensus, vel tam imperfectus est, ut simul & semel distinctè totum objectum suum non attingat; vel tam fœcundus & perfectus, ut possit objectum suum, sive per visum, sive per tactum, &c. modò actu distincto, modò actu confuso sentire; & sic intellectui non minùs fœcundo, illud, nunc à pluribus, nunc à paucioribus distinguendi occasionem præbere: ex objecto verò, quia non dicit repugnantiam, sed è contrà capacitatem sentiri, ac repræsentari istis diversis actibus, distincto scilicet, & confuso; sicut sui producit species distinctas & confusas. Distinguimus igitur albedinem ut accidens à seipsa ut ente ratione-ratiocinatâ; non quia illius distinctionis præbet fundamentum per operationes suas notabiliter diversas, in ordine ad quas, modò distinctè, modò confusè concipi possit; sed quia intellectus propter suam fœcunditatem potest, occasione acceptâ à sensibus,

sibus, illam modò confusè ut ens, modò distinctè ut accidens per diversos actus repræsentare; & quia ipsa ex parte sua ad id nullam dicit repugnantiam.

DVBIVM V.

An detur Distinctio media inter Realem & Rationis.

CLXII. ANtè Resolutionem Suppono 1°, mediam illam distinctionem posse esse duplicem, formalem unam Scotisticam, & objectivam aliam Thomisticam, quæ vix, aut ne vix quidem distinguuntur, attentis virtualitatibus objectivis, quà objectivæ sunt, ut infrà patebit.

CLXIII. Suppono 2°, multùm distingui rem realiter eamdem esse distinguibilem distinctione se tenente ex parte actuum distinguentium; & rem realiter eamdem esse distinguibilem, vel potiùs distinctam (quia, quæ semel intrinsecè distincta, semper sunt distincta) distinctione se tenente ex parte sua sivè rei; quia illa distinguibilitas est extrinseca tantùm, & rebus intrinsecè indivisibilissimis, ut Deo, conveniens; hæc verò intrinseca, & solis intrinsecè divisis conveniens: an verò res realiter simplex solam distinguibilitatem extrinsecam admittat? an etiam intrinsecam? id est, quod hîc quærimus.

CLXIV. Suppono 3°, in entibus deveniendum ad unum conceptum intrinsecè indivisibilem; vel alioqui procedendum in infinitum; & tale ab omnibus putatur esse ens; ens autem non solùm posse concipi diversis conceptibus synonimis, sed & esse objectum apprehensionis, judicii, discursus, volitionis, nolitionis, &c. nullus dubitat: quià verò ex eo, quòd ordinem dicat ad istos diversos terminos, nullus agnoscit in eo diversas ex natura rei formalitates, aut virtualitates objectivas; neque præcisè ex eo, quòd ens quodvis aliud ex se ordinem dicat ad diversos effectus, sensationem, ratiocinationem, &c. videtur, in eo agnosci debere diversas ex natura rei formalitates aut virtualitates objectivas: unde longè aliud est objectum distingui ratione-ratiocinatâ, vel saltem longè aliud esset, suppositâ veritate istius discursus, quem infrà probabimus; quàm distingui formaliter ex natura rei aut objectivè, quæ tamen non satis à Scotistis & Thomistis distinguuntur, quia ibi 1^um^ fit, non 2^um^. His autem suppositis sit

RESOLUTIO I.

Refellitur Distinctio Formalis Scotistica.

CLXV. DIco non datur distinctio Formalis Scotistica, sivè ex natura rei.

CLXVI. Refellitur 1°, distinctio Formalis Scotistica (ut Scotistæ fatentur) mediat inter formalitates antè intellectum diversas, alias & alias, &c. infero, ergò & inter formalitates antè intellectum, & consequenter etiam realiter separabiles; nam ideò præcisè duo sunt realiter separabilia; quià antè intellectum separabilia; quandoquidem ideò præcisè duo non sint realiter separabilia; quia non sunt antè intellectum separabilia: *Oppositorum* enim *eadem lex*; Hæc autem ratio videtur esse à priori. Atqui, quæ sunt realiter separabilia distinguuntur realiter, saltem ut modus & modificatum, non verò distinctione formali media &c. ergò &c.

CLXVII. Confirmatur ratio ista authoritate Aristotelis 4° Metaph. in principio: *Omne ens, vel est in se, & sic est reale; vel est in apprehensione, & sic est rationis*: Infero, ergo distinctio media inter duo entia *in se*, est realis, saltem talis, qualis est inter modum & modificatum, ergò & media inter formalitates ante intellectum.

CLXVIII. Respondebit fortè R. P. Poncius ex Metaph. disp. 20. n. 50. ens reale dividendum in propriè dictum, id est, quod est propriè res, prout res opponitur formalitati; & impropriè dictum, id est, quod est res, prout res etiam complectitur formalitates: & consequenter ad argumentum respondebit, distinguendo consequens, ergò & inter formalitates antè intellectum formaliter separabiles, concedet consequentiam; realiter propriè, negabit consequentiam: ad confirmationem autem similiter distinguet, ergo distinctio media inter duo entia *in se* est realis propriè dicta, id est, media inter res & res propriè dictas, negabit; impropriè dicta, concedet.

CLXIX. Contrà 1°, quæro, an illud ens reale, quod per R. P. Poncium dicitur impropriè ens reale, nihil de ente rationis participet, an aliquid? sivè, an secundum se totum sit ante intellectum, vel non? si primum, tam propriè est ens reale, ac pura negatio est ens purè negativum, pura affirmatio, ens purè affirmativum, &c. quidquid sit, an sit negativum vel affirmativum rei, an modi; substantiæ an accidentis; separabile an inseparabile, &c. quod non respicit negationem ut opponitur enti, sivè affirmationem ut opponitur non enti, sed talem negationem, aut talem affirmationem: libenter autem fatemur, formalem distinctionem ex natura rei Scotisticam non esse talem, qualis est inter Petrum & Paulum; sed contendimus non propterea desinere esse propriè realem, magis quàm brutum desinat esse propriè ens reale, quia non est Petrus aut Paulus; &, si reverà detur, putamus signa distinctionis propriè realis (quæ communiter assignantur) fallere, haud secus, quàm si pro signo puræ negationis adferretur illud, *quod purè opponatur substantiæ*; signum puræ negationis fallere diceremus, quia accidens purè opponitur substantiæ, & tamen non est pura negatio. Vnde ly *impropriè* non est particula alienans omnem distinctionem propriè realem, sed propriè realem talem, qualis est inter Petrum & Paulum v.g. Secundum autem recusant P. Poncius & alii Scotistæ admittere; & meritò, quia alioqui esset ens mixtum.

CLXX. Contrà 2° sicut illa, quæ sic distinguuntur post intellectum, ut præciso intellectu, nullo modo sint distincta post intellectum, sunt per præfatum Authorem propriè ratione distincta; ità illa, quæ sic distinguuntur ante intellectum, ut præciso eo quod propriè est ante intellectum, nullo modo sint distincta ante intellectum, sunt propriè distincta realiter; quia eodem modo se habet distinctio propriè realis ad ly *ante intellectum*, quo distinctio propriè rationis se habet ad ly *post intellectum*; sicut enim præcisè ablato intellectu hæc tollitur; ita præcisè ablato ente, quod est ante intellectum, illa tollitur.

CLXXI. Contrà 3° cur non potiùs R. P. Poncius docet, signa distinctionis propriè realis fallere, eò quòd non omnibus propriè realiter distinctis conveniant; quàm dicat ea, quibus non conveniunt, esse

realiter distincta, non tamen propriè? sic enim nullum esset periculum totam philosophiam confundendi, & ex entibus propriè dictis, faciendi impropriè dicta. Quid si dicam, hominem quà animal rationale, propriè non esse hominem, sed quà animal rationale risibile tantùm? omnes meritò me explodent; quia ad hominem propriè dictum, cum communi, nihil requiritur præter genus & differentiam præcisè excludentem alia membra ex opposito dividentia animal, sive condistinguentem hominem à non hominibus: igitur similiter meritò explodituri illud ens reale impropriè dictum, & distinctio realis impropriè dicta; quandoquidem genus & differentiam præcisè excludentem alia membra ex opposito dividentia distinctionem, sivè distinguentem distinctionem realem à non distinctione reali sive distinctione rationis, contineat.

CLXXII. Contrà 4° sic distinctionem realem propriissimam definit R. Pater Poncius loco citato: *Distinctio realis propriissima est illa, quæ reperitur inter ea, quæ sunt separabilia, seu quorum unum potest esse sine altero: vel inter ea, quorum unum est principium seu causa alterius: vel denique inter ea, quæ subjectantur immediatè in rebus separabilibus.*

CLXXIII. Ad primam partem definitionis, fateor distinctionem propriissimam reperiri *inter ea, quæ sunt separabilia, quorum unum potest esse sine altero*, &c. Sed puto, contradictoria sequi ex ista definitione & ejus suprà n. 168. allatâ responsione, nempe ea, quorum unum potest esse sine altero, &c. distingui realiter propriè, & non distingui realiter propriè; quod sic probo. *Ea, quorum unum potest esse sinè altero*, non aliter per ipsum distinguuntur, quàm ea, quorum unum est principium & alterum non est principium, aut quàm ea, quorũ unum producitur, alterũ nõ producitur; quia esse & nõ esse, nõ magis contradictoriè antè intellectũ opponuntur, quàm produci & non produci, esse principiũ & nõ esse principium; atqui hæc, ut patet in filiatione & Essentia Divina per ipsum, in creaturæ essentia & existentia, non distinguuntur realiter propriè, ergò neque ea, quorum unum potest esse sine altero: undè hæc distinguentur realiter propriè, ut dicis, & non distinguentur realiter propriè, ut benè infertur.

CLXXIV. Ad 2am partem definitionis similiter fateor, distinctionem realem propriissimam reperiri *inter ea, quorum unum est principium, sivè causa alterius*: sed etiam puto, contradictorium sequi ex ista definitione & ejus allata responsione; quod sic probo. Ea, quorum unum potest esse & aliud non esse, æquè, imò magis distinguuntur, quia summè distant, quàm producens & productum, sivè quàm ea, quorum unum est principium sivè causa alterius, atqui ista, ut jam statim vidimus, non distinguuntur realiter propriè, ergò, &c.

CLXXV. Ad 3am autem partem ex dictis contra 1as duas satis patet. Qui autem nobiscum dicunt illa esse realiter propriè distincta, quæ distinguuntur ante intellectum, ista absurda commodissimè vitant, ut infrà videbimus, dicuntque signa ista omnibus & solis distinctis ante intellectum convenire: non ita P. Poncius, dum asserit multa distingui ante intellectum, quibus non conveniant.

CLXXVI. Refellitur 2° vel sapientia in Deo v. g. animalitas in Petro, &c. prout formaliter est antè intellectum, dicit aliquam realitatem realiter non identificatam Deo, Petro, &c. vel non?

CLXXVII. Respondebit, dicere aliam à Deo, Petro, &c. realitatem impropriè dictam & formaliter, non verò aliam propriè dictam & realiter.

CLXXVIII. Contrà 1ò illa realitas impropriè dicta est creata, vel non?

CLXXIX. Non 1um, quia alioqui ratione diversarum formalitatum posset Petrus v. g. creari & non creari; ac proindè formalitates realiter propriè inter se distinguerentur; quia ea propriè realiter distinguuntur, quorum unum creatur, aliud non creatur. Neque etiam 2um, quia, quod est, & creatum non est, à se est, saltem formaliter, & ante intellectũ, unde formaliter & ante intellectum, tam rationalitas in Petro esset à se, quàm sapientia in Deo (quidquid illa realiter in Petro sit creatura, hæc in Deo realiter Deus) hoc autem est absurdum.

CLXXX. Refellitur 3° formalitas entis ut distincta formaliter ab hæcceitate Petri, v. g. vel in se est una communis & identificabilis Deo & creaturæ, v. g. Petro, vel non? Non primum, quia statim sequeretur, Deum esse creaturam, & è contrà, creaturam esse Deum antè intellectum, juxta hoc commune syllogismorum principium, *Quæcumque* antè intellectum *sunt eadem uni tertio*, modo suprà explicato, (uti esset formalitas entis, cum qua Deus & creatura essent idem) *sunt eadem inter se* ante intellectum. Imò sequeretur, Deum esse creaturam realiter, & è contrà, quod absit. Probatur hæc sequela: quia formalitas illa entis posset existere in Deo & Petro realiter, imò de facto in illis realiter existeret, ut patet, sed per hoc quod existat realiter, nihil perdit eorum, quæ ipsi, ut distinctæ formaliter ab hæcceitate conveniunt; & ipsi ut sic distinctæ convenit, esse unam communem & identificabilem Deo & creaturæ, quod actuatur; ergo id realiter retinet, & consequenter Deus est realiter creatura (quod absit) & è contrà, juxtà allatum principium, *Quæcumque sunt realiter eadem uni tertio* incapaci contradictoriorum, *sunt realiter eadem inter se*. Non etiam secundum; quia si formalitas entis ut distincta formaliter ab hæcceitate Petri v. g. non esset in se una, communis & identificabilis Deo & creaturæ; ideò esset, 1° vel quia esset ut sic quidpiam singulare; & hoc non, quia sumitur ut distincta à singularitate sive hæcceitate. 2° vel quia esset quidpiam ex natura sua incommunicabile; & hoc etiam non: quia de facto Deus est ens formaliter, Petrus & quælibet creatura est ens communicatũ realiter. 3° vel quia esset realiter idem quod hoc individuum, scilicet Petrus: neque etiam hoc, quia identitas realis non tollit distinctionem formalem: nam (præterquam quòd sit illis formalitatibus identificata) alioqui nihil esset quod eam restitueret, non quidem intellectus, quia debet esse antè intellectum, & alioqui esset tantùm distinctio rationis; non causa realiter existens, per illam separationem sive realem sive formalem, 1°, quia separatio supponit distinctionem. 2° quia sic distinctio formalis non esset intrinseca contrà suos Authores. 3° quia nulla potest assignari differentia inter separationem duorum ab invicem realem & formalem, factam ante intellectum à causa realiter existente, ergo, &c.

CLXXXI. Respondet P. Poncius loco suprà citato, formalitatem illam entis non esse realiter communem & identificabilem Deo & creaturæ; sed formaliter tantùm & per non repugnantiam, id est, per hoc quod in suo conceptu nullam dicat repugnantiam ad hoc, ut Deo & creaturæ realiter identificetur; quia ut sic nihil est creatum, nec increatum,

tum, singulare nec universale, sed abstrahens ab utroque.

CLXXXII. Contrà 1°, sicut nihil est realiter identificabile ei, à quo realiter distinguitur; ita nihil est formaliter identificabile ei, à quo formaliter distinguitur; atqui formalitas entis saltem formaliter distinguitur à Petreitate, sive Petro ut tali, ergo, &c. si verò dicat non esse quidē identificabile formaliter, sed realiter; ea, quę distinguuntur formaliter debere distingui realiter, ac proinde non esse identificabilia realiter, ante satis ostensum est.

CLXXXIII. Contrà 2°, si formalitas illa entis sit utrique, Deo & creaturæ identificabilis: da, Deo identificari; si identificetur formaliter, Deus erit formaliter creatura & ècontrà; si realiter, Deus erit realiter creatura & ècontrà, ut n. 180. ostensum est. Deinde cùm sic idētificari debeat, ut per te non perdat formalem distinctionē, inde absurdū absurdorum sequitur videlicet, sic illam esse idem cum Deo & creatura antè intellectum realiter, aut saltē formaliter, ut tamen non sit idem cū Deo & creaturâ antè intellectū simpliciter sive formaliter, quod idem est (cùm hoc sit prius) ac Petrum sic esse hominē, ut tamen Petrus non sit animal, uti Ref. 1ª ostendimus.

CLXXXIV. Refellitur 4°, juxtà hanc sententiam admitti debet 1° cōpositio formalis antè intellectū in Divinis. 2°, Deum per se non esse formaliter sapientē. 3°, Essētiam Divinam plusquàm ratione distingui à relationibus, & consequenter Patrem non esse summè simplicē: à quibus cōmuniter abhorrent Theologi, uti ex professo in Theologiâ ostendemus.

CLXXXV. Respondet 1° R. P. Poncius loco suprà citato, à Divinis excludi cōpositionem propriè realem, formalem verò esse necessariam. 2°, satis esse quòd Deus sit per se eminenter sapiens & sapientiæ radix, licèt non sit ipsa formalitas sapientiæ; sed ab ea formaliter distinguatur. 3°, in Conciliis non definiri Essentiam Divinam plusquàm ratione distingui à Relationibus, quidquid id sit in Florent. dictum à quodam Ioanne Theologo. 4°, Deum esse summè simplicem realiter, licèt non sit summè simplex formaliter, quia Concilium Rhemense, Florentinum, alia Concilia & Patres per summam Dei simplicitatem aliud non intendunt, quàm compositionem propriè realem & partium à se mutuò perfectibilium, contrà Gilbertum Porretanum, excludere; non verò formalem, quæ, cùm primùm à Scoto inventa sit, tunc non erat in quæstione, sed sola illa realis.

CLXXXVI. Contrà: jam ostensum est, distinctionem formalem esse propriè realem: licèt tamen propriè realis non esset, saltem opponitur simplicitati summæ. & istâ, quæ ibi adstruitur, majori, quam propugnabimus infrà: ergo admitti non potest: probatur consequentia; quia in Deo summa adstrui debet, quæ salvâ authoritate Scripturarum & Conciliorum adstrui potest simplicitas: deinde difficulter valde probabitur, Deum non esse, saltem formaliter, ante intellectum & ex natura rei perfectibilem, semel dato, quòd non sit formaliter sapientia sua, prout illa sententia adstruit; id autem non ausim asserere. Nec dici potest cum eodem ibidem, quòd non sit formaliter perfectibilis, quia Deus est, aut quia fundāmentaliter est ipsa sapientia: nam ad 1ᵘᵐ patet; quià si distinctio ista formalis tollat divinam simplicitatem, ut contendimus, Deum tollit: ad 2ᵘᵐ similiter patet; quia sicut in homine esse fundamentaliter risibilitatem, &c. non tollit perfectibilitatem hominis per illam; ita nec Dei perfectibilitatem per sapientiam. &c. tollit; quòd Deus sit fundamentaliter ipsa sapientia. Denique Concilia & Patres non tantùm intendunt excludere à Deo compositionem propriè realem; sed omnem illam, quæ opponitur simplicitati possibilium summæ, sic ut Deo, utpote entium omnium possibilium perfectissimo, tribuant summam simplicitatem, quæ ulli tribui potest, ut omnes fateri tenentur.

Resolutio II.

Refellitur objectiva Distinctio Thomistica.

CLXXXVII. Refellitur 1°. Vel distinctio illa objectiva mediat inter formalitates ante intellectum intrinsecè diversas, vel post intellectum tantùm? si 1ᵘᵐ, distinctio illa objectiva Thomistica confundi debet cum Scotistica, & eodem modo impugnari: si post intellectum tantùm (præterquàm quòd malè vocetur objectiva, quasi se tenens ex parte objecti) cùm intellectus nihil mutet in re intrinsecè, etiam post intellectum dici non possunt intrinsecè diversæ, sed extrinsecè tantùm, ac proinde distinctio illa objectiva Thomistica necessariò confundi debet cum formali Nominalium & nostrâ.

CLXXXVIII. Respondet R. Pater Comptonus, distinctionem illam objectivam mediare inter formalitates ante intellectum intrinsecè fundamentaliter diversas, & post intellectum intrinsecè præcisivè, id est, negatione se tenente ex parte præcisionis, non intrinsecè negativè, id est, negatione se tenente ex parte objecti, actualiter diversas: sic enim disp. 24. Logic. Sect. 5ª rem totam explicat: *Dico itaq; antè operationem intellectus, seu actum præscindentē, nullam in objecto actualem fuisse distinctionem, sed solùm aptitudinalem, seu fundamentalem, vel, ut alii vocant, virtualem, intellectus verò suâ sagacitate prædicata hæc realiter identificata intentionaliter separat ac dividit, ità ut uno repræsentato seu cognito, aliud non repræsentetur, sed perinde se habeat, atque si in objecto omninò non esset, non quidem abstractione negativâ, seu negando rationale esse unitum animali; hoc enim esset falsum, ut rectè S. Thomas citatus Sect. 3. num. 2. sed præcisivâ, cognoscendo scilicet animal, nullâ per illum actum factâ mentione rationalis. In duobus igitur fundatur hæc conclusio, fœcunditate objecti, & intellectus subtilitate.*

CLXXXIX. Contrà 1° nulla est distinctio inter intrinsecè præcisivè & intrinsecè mentaliter; intrinsecè autem mentaliter idem est, quod intrinsecè extrinsecè, quæ opponuntur, ergò, &c.

CLXXXX. Contrà 2°, per præcisionem formalem attingitur totum objectum totalitate objecti, vel non? Respondebit attingi totum objectum totalitate objecti realis, non verò totalitate objecti intentionalis sive præcisionis; quia intellectus præscindendo animal à rationali in Petro præcisivè tollit identitatem, quæ est inter animal & rationale in Petro: sed velim scire, quomodò distinguatur totum objectum totalitate objecti realis, à toto objecto totalitate objecti intentionalis sivè præcisionis: vel enim distinctio illa est intrinseca simpliciter; & sic inciditur in sententiam Scotisticam: vel est intrinseca præcisivè & mentaliter, & idem est quod intrinseca extrinseca, quæ opponuntur; vel

est omninò extrinseca, & sic in nostram sententiam inciditur.

CLXXXXI. Contrà 3o si præcisio formalis in eodem indivisibili objecto repræsentet unum sinè alio ex parte sua tantùm, & in actu exercito; non verò ex parte objecti & in actu signato, sic ut antè illam nulla sit actualis distinctio; rectè sequitur, totam distinctionem esse formalem purè extrinsecam & mentalem. Probatur sequela, quia tota distinctio ex eo est, quòd unum ex parte actus repræsentetur sine alio, quod sanè totum est ex parte præcisionis, quæ nihil mutat in re, nisi ut summum præcisivè, id est, mentaliter, ac proinde extrinsecè.

CXCII. Contrà 4o, vel objecti fœcunditas sive eminentia (ut vocant alii) facit ut in ipso objecto ex parte objecti sit unum & alterum manifestabile, sive duo manifestabilia, vel unicum ex parte objecti repræsentabile; sed diversis conceptibus in solâ subtilitate intellectus, & non repugnantiâ objecti fundatis? si 1um, manifestè inciditur in sententiam Scoti: si 2um (præterquam quòd idem sit de ente ut ente, quod negat, quia eadem fœcunditas & subtilitas intellectus respectu illius, quæ respectu aliorū, quorum est unicū manifestabile ex parte suâ quandoquidem totum fundetur in ipso intellectu,) inciditur in sententiam Nominalium & nostram. Deinde sicut objectum propter illam eminentiam non potest dici realiter à seipso distinctum, ita nec objectivè & formaliter: item sicut propter eminentiam illam non potest inadæquatè produci quoad intrinseca, ita nec sic concipi. Præterea sicut illa eminentia nihil est ante intellectum, nisi una indivisibilis realiter, formaliter & objectivè entitas, sive res; ita nihil confert ad distinctionem in re realem, formalem aut objectivam intrinsecam. Denique sicut qui Deum, secundum quod est in se, ridet, non potest dici videre bruta, lapides, &c. in se, licèt Deus in se sit eminenter idem quod illa in se; sed dici debet videre id, quod est eminenter bruta, lapides, &c. ita qui concipit rem unam realiter, formaliter & objectivè simplicè, non potest dici concipere rē unam realiter, formaliter & objectivè plures, licèt sit eminenter res realiter, formaliter & objectivè plures; sed dici debet concipere rem, quæ est eminenter res realiter, formaliter & objectivè plures, quæ totô cælô distinguuntur, & plus volunt Scotistæ & Thomistæ, aliàs nobiscum sentirent: nec rationalitas & animalitas simpliciter distinguerentur objectivè aut formaliter, sed objectivè eminenter, aut formaliter eminenter, quod jure negant; quia sic etiam dici possunt realiter eminenter distingui. quod negant.

CXCIII. Refellitur 2o distinctio Thomistica. Res una realiter simplex non est apta distingui, per diversos conceptus formales in diversas formalitates objectivas; sed distinctio objectiva, sive virtualis Thomistica, debet mediare inter diversas formalitates objectivas, saltem post diversos conceptus formales, ergo non datur.

CXCIV. Probatur major si res eadem realiter simplex esset apta distingui per diversos conceptus formales in diversas formalitates objectivas, idem realiter posset concipi & non concipi simul, putà eodem conceptu; sed id contradictoriè repugnat, ergo, &c. Probatur minor, idem realiter simplex & indivisibile in creatis, produci & non produci totum, scilicet eâdem productione; existere & non existere adæquatè, scilicet eâdem existentiâ; uniri & non uniri, scilicet eâdem unione, secundum omne, quod est ipsi identificatum, contradictoriè repugnat, ergo & idem realiter concipi & non concipi totum simul. Consequentia tenet à pari.

CXCV. Respondebis 1o negando hanc minorem: quia licèt contradictoriè repugnet idem concipi & non concipi secundum idem, quod non fieret; non tamen repugnat idem concipi & non concipi secundum diversas formalitates, quod tantùm fieret; nam Petrus, v. g. conciperetur secundum animalitatem, & non conciperetur secundum rationalitatem; non verò conciperetur & non conciperetur secundum rationalitatem tantùm.

Sed contrà infero. Ergo idem similiter potest produci & non produci secundum diversas formalitates, licèt non possit secundum idem; quia si non sint contradictoria idem respectu diversarum formalitatum concipi & non concipi simul, non erunt etiam produci & non produci simul: unde Petrus poterit produci secundum quod est animal, & non produci secundum quod est rationalis: ex quo sequitur dari posse genus immediatè individuatum à parte rei, videlicet hoc animal productum sine rationali, quod quidem omninò chimæricum arbitrantur, sed contrà infrà agemus.

CXCVI. Respondebis 2o, esse disparitatem inter concipi & non concipi, & produci & non produci, quòd scilicet hæc terminentur, ad idem secundum idem, sc. existentiam rei, quæ est una omnium virtualitatum: non item ista, sed ad cognoscibilitates objecti terminantur, quæ sunt diversæ, ut vel ipsa experientia docet.

CXCVII. Sed contrà 1o id ipsum est quod quærimus, an scilicet in eâdem re realiter simplici sint diversæ cognoscibilitates objectivæ, ita ut una ejusdem rei formalitas sit cognoscibilis non cognitâ aliâ ex parte objecti; videturque id omninò esse contrà Divum August. lib. qq. 83. q. 32. dicentem, *Vnam rem non posse alium, alio plus intelligere.* Deindè eamdem rem realiter simplicem posse concipi & non concipi secundum intrinseca, & illam diversas conceptibilitates sivè cognoscibilitates habere, reipsâ sunt unum & idem: undè petis principium.

CLXXXXVIII. Contrà 2o tibi gratis dato, quòd in eadem re simplici sint diversæ cognoscibilitates objectivæ, peto, quarè non sint etiam diversæ producibilitates.

CLXXXXIX. Respondere non potes, cum communi Adversariorum, 1o, disparem esse utriusque rationem, eò quòd scilicet producibilitas, unibilitas & similia, conjungantur cum existentia Physica rei, quæ, cùm sit unica, consequenter non potest esse nisi unica producibilitas, unibilitas, &c. ejusdem rei realiter simplicis; conceptibilitas verò sivè cognoscibilitas non conjungatur cum existentia Physica rei, quia etiam res Physicè non existentes cognosci possunt. Id (inquam) Respondere non potes, quia producibilitas in rebus, producibilitas & unibilitas in modis, sunt quid prius ipso conjungi cum existentia Physica rei; ideò enim produci vel non produci potest, conjungi vel non conjungi cum existentia Physica rei, &c. quia in re est producibilitas vel non producibilitas existentiæ Physicæ: imò fieri potest, ut producibilitas unibilitas, &c. (si sint rei merè possibilis, & numquam extituræ) non conjungantur cum existentia Physica rei,

rei, ergò independenter ab existentia Physica rei judicandum de una vel pluribus ejus producibilitatibus. Deindè si conjungi cum existentia Physica rei tolleret diversam producibilitatem inadæquatam rei; ideò esset; quia alioqui sequeretur de eadem re existente verificari hæc prædicata, produci & non produci; ergò conjungi cum existentia Physica rei tollit similiter diversam cognoscibilitatem inadæquatam rei existentis, aliàs sequeretur de eadem re existente verificari hæc prædicata cognosci rem existentem & non cognosci rem existentem. Vndè vides, esse eamdem difficultatem pro cognoscibilitate, ac pro producibilitate; quia non minùs cognoscibilitas rei ut Physicè existentis debet conjungi cum existentia Physica, quàm ipsa producibilitas. Denique prædicata aliqua, non ideò sunt contradictoria, quia terminantur ad subjectum existens; aliàs album & dulce respectu pomi existentis essent contradictoria; sed quia sunt affirmatio & negatio ejusdem de eodem subjecto, ut forma & destructio formæ, &c. undè chimæra concepta, & chimæra eadem non concepta, sunt contradictoria.

cc. Respondere non potes 2° cum Patre Comptono hìc, ex eo, quòd idem cognoscatur inadæquatè & non cognoscatur inadæquatè, nihil sequi incommodi; secus verò ex eo, quod idem produceretur inadæquatè & non produceretur inadæquatè, videlicet idem à seipso realiter distingui, sicque idem esse rem realiter eamdem, & non esse rem realiter eamdem. Id (inquam) respondere non potes; quia hæc evasio jam præclusa est: si enim idem realiter possit, per te, habere diversas conceptibilitates intrinsecas in actu exercito potentiæ extrinsecæ, sic ut concipi & non concipi possit; quidni possit habere diversas producibilitates intrinsecas in actu exercito potentiæ extrinsecæ, sic ut produci & non produci possit: dicere autem cognoscibilitatem esse per ordinem ad intellectum causam intentionalem & subtiliorē, producibilitatē verò per ordinem ad causam realē Physicam, causam minùs subtilē; verba sùt & voces; quia intellectus cognoscibilitatē nō ponit in objecto, sed præsupponit, ac proindè, si in objecto non sint plures cognoscibilitates, magis quàm producibilitates, nō plus ad eas juvat intellectus subtilitas, quàm causę Physicę materialitas aut ruditas.

cci. Deinde velis nolis, admittere debes paritatem inter produci & non produci ex unâ parte, concipi & non concipi ex aliâ: vel enim existentia, ad quam productio terminatur, distinguitur objectivè & virtualiter à cæteris virtualitatibus, vel non? Si prius; ergo produci potest terminari ad existentiam, non produci ad cæteras virtualitates: probo consequentiam, nam, per te, ideò tantùm *cognosci* potest terminari ad existentiam, & *non cognosci* ad cæteras virtualitates, quia existentia distinguitur objectivè à cæteris virtualitatibus; si verò distinctio objectiva sufficiat ad verificanda hæc prædicata cognosci & non cognosci, de eâdem re; sufficiet & ad verificanda hæc, produci & non produci, de eâdem re. Denique existentia sequitur essentiam, si duæ essentiæ partiales Physicæ, sunt duæ existentiæ partiales Physicæ; si essentiæ partiales Metaphysicè & objectivè distinctæ, sunt tot existentiæ partiales Metaphysicè & objectivè inter se distinctæ, quot illæ; ergo productio terminari potest ad partiales existentias formalitatū, & consequenter ad unam partialem, non terminata ad aliam, non secus ac cognitio. Si posterius (quod ostendemus in Metaphysica) ergo si productio terminetur ad existentiam, etiam cognitio ad existentiam terminari debet.

ccii. Nec dicas, productionem ad illas quidem terminari ut realiter idem, non verò ad illas ut objectivè inter se distinctas, eò quòd, inquies, ut sic non sunt realiter: quia incidis in refutationem contrà Scotistas & te suprà factam; inde enim sequitur, productionem ad nihil terminari, & Petrum realiter nihil esse; quia Petrus nihil est realiter distinctum ab omnibus gradibus Metaphysicis objectivè inter se distinctis; ergo vel productio ad nihil terminatur, & Petrus nihil est realiter, vel terminatur ad illos gradus objectivè inter se distinctos, & Petrus ut secundum illos, est realiter productus.

cciii. Refellitur 3° ex absurdo: multi de salute hujusce suæ sententiæ desperabundi, mundum & rationem deserunt, ut in cælis ex mysterio SS. Trinitatis remedium suprà rationem quęrant: ita enim extrà mundum discurrunt; beneficio virtualis distinctionis potest Essentia Divina communicari, & non communicari Filiatio ei identificata, ergo similiter beneficio virtualis distinctionis potest in Petro v.g. concipi animal, & non concipi rationale. Quid enim absurdius, quàm præconceptam velle tueri sententiam, per obscurissimas & profundissimas Mysterii SS^mæ Trinitatis difficultates, ubi alia facillima, uti est nostra, occurrit? Per hoc tamen Adversarii non evadunt, nisi has absurdissimas sequelas admittant.

cciv. Prima: in Divinis producitur Filiatio & non producitur Essentia Divina ei identificata, ergo in creatis potest produci animalitas Petri, v. g. non productà rationalitate ei identificatâ.

ccv. Respondebunt fortè, esse disparitatem, eò quòd non sit eadem fœcunditas naturæ creatæ, quæ est Divinæ: verùm se proprio gladio jugulant; infero, ergo à Divinis ad creata nulla est consequentia. Deinde rogo, cur creatæ naturæ fœcunditas non sit in hoc puncto similis Divinæ, cùm de naturâ creatâ admittant posse verificari contradictoria concipi & non concipi, quæ non minùs sunt contradictoria, quàm produci & non produci, (ut toties probavimus) quæ de Natura Divina verificantur: si verò dicant, quòd sicut in Divinis sic admittunt verificari produci & non produci, ut tamen in Divinis negēt verificari existere & non existere; ita quod in creatis sic admittant verificari cōcipi & non cōcipi, ut tamen in creatis negēt verificari produci & non produci: profunda quidem dicunt, & quæ ad Theologū magis, quàm ad Philosophū spectant: sed vel ly *existere* accipiunt sic, ut sit solius absoluti sive personæ Divinæ, prout *in se est*, aut sic, ut sit etiam relativi sive personæ Divinæ prout *est ad aliam*? si 1^um, patet de Deo magis verificari nō posse existere & nō existere, quàm Deum (de cujus essentia est esse) esse & non esse, esse chimæram, &c. Si 2^um, cùm Relationes in Divinis sint objectivè indivisibiliter suę existētię relativę, & ipsęmet processiones activæ & passivæ, quibus mediis verificantur de Deo cōtradictoria *generare non generare*, *generari non generari*, *&c.* existere & nō existere sic relativè sunt illa ipsa quibus mediis verificātur de Deo cōtradictoria *generare & nō generare*, *&c.* quia illa his equivalent, *existere per generationem activam*, *non existere per generationem activam*; quia tamen quælibet existentiarum Relativarum tam necessariò existit, quàm ipse Deus, non magis de qualibet verificari possunt

existere

existere & non existere, quàm Deum secundum esse patrem *esse & non esse*: secùs autem fit pro *produci & non produci* in Divinis; quia vel illa afficiunt duas relationes realiter inter se distinctas, vel essentiam & relationem; in creatis autem nil simile reperies; sed contradictoria *concipi & non concipi* de eodem omninò absolutè per te verificantur; undè contradictoria *produci & non produci* in creatis verificari debere, consequenter inferimus.

CCVI. Secunda: in Divinis relationes Patris & Filii distinguuntur inter se realiter, & non distinguuntur à Divina Essentia, cui identificantur; ergo etiam in creatis animalitas & rationalitas inter se distinguuntur realiter, (contrà omnes) & non distinguuntur realiter à Petro cui identificantur; quod est trahere mysterium SSmæ Trinitatis ad quodlibet ens creatum. Præterea

CCVII. Adde, posse plura Deo propter summam ejus infinitatem & infinitam perfectionem convenire, quæ creaturis propter earum limitationem & imperfectionem repugnant; nam Deus intelligit per suam substantiam, non creatura: Deus est immutabilis, non creatura: Deus est à se, creatura à Deo: Deus producitur secundum Relationem Filiationis, non secundum Essentiam: communicatur secundum Essentiam, non secundum Relationem. Quo jure igitur à Divinis ad creata argumentantur adversarii, & potius non dicunt; attentâ Deo dandâ summâ, quæ dari potest, simplicitate; infinita Dei perfectio exigit, ut potiùs in Deo de eadē ut *in se* indivisibili virtualitate contradictoria verificari adstruamus, quàm ea nonnisi de diversis virtualitatibus (quæ tamen, etiam gratis datæ, non sufficiunt, ut statim n. 209. videbitur) verificari posse concedendo summam Dei simplicitatem destruamus.

Resolutio III.

CCVIII. Deo 3°, prædicata, quæ apud Scotistas formaliter ex natura rei, sive ante intellectum; apud Thomistas objectivè post intellectum, distinguuntur; nonnisi ratione formali extrinseca, sive ex parte actus, distingui debent.

CCIX. Probatur 1°, quia nulla necessitas majoris inter illa distinctionis; nec distinctio Scotistica formalis, aut Thomistica objectiva eos juvat ad explicanda contradictoria, ad quorum explicationem adinventa est, ergo, &c. Probatur assumptum pro 2a parte; quia intelligere non intelligere, producere non producere, communicari non communicari sunt prædicata realia, & realiter rei convenientia; intelligi autem non potest, quomodò idem realiter, communicetur realiter & non communicetur realiter: dum enim Scotistæ dicunt, communicari realiter secundum unam formalitatem, & secundum aliam non communicari realiter; Thomistæ verò communicari realiter secundum unam virtualitatem objectivam & non secundum aliam; contradictoria loquuntur; quia non datur realiter una & alia formalitas, una & alia virtualitas objectiva; sed una tantùm realiter; unde dicunt illam realiter communicari, & realiter non communicari, quæ manent inintelligibilia, ergo, &c.

CCX. Confirmatur refutatione aliarum sententiarum, & solutione Objectionum. Pro clariori tamen nostræ sententiæ expositione, sit

Suppositum I.

CCXI. Suppono 1°, eandem rem realiter simplicem, sive idem indivisibile objectum realiter, absolutè & secundum se sumptum, distinctè concipi & non distinctè, sed confusè, concipi per eundem actum, non minùs contradictoriè pugnare, quàm illud concipi & non concipi absolutè & sinè addito. Ratio est, quia, tam sunt contradictoria affirmatio & negatio modi de eodem, quàm affirmatio & negatio rei de eodem; ibi autem sunt affirmatio & negatio modi *distinctè* de eodem indivisibili objecto realiter. Hinc

CCXII. Colliges, Petrum v. g. secundum se & absolutè sumptum non magis posse ex parte sua distinctè & non distinctè sive confusè eodem actu concipi, quàm concipi & non concipi; quia Petrus secundum se & absolutè sumptus est quidpiam objectivè indivisibile.

Suppositum II.

CCXIII. Suppono 2°, idem indivisibile objectum, sive eandem rem objectivè indivisibilem relativè & cum comparatione ad diversos terminos sumptam, posse concipi distinctè per ordinem ad unum terminum, & non distinctè per ordinem ad alium. Ratio est, quia res ut sic sumpta, est objectivè multiplex, propter diversos terminos ordinum & relationum, sub quibus repræsentatur: nec rem aliquam objectivè simplicem distinctè concipi sub uno ordine, & non distinctè sub alio contradictoriè repugnant; quia non sunt affirmatio & negatio ejusdem de eodem ordine, sed de ordinibus diversis ex parte terminorum. Hinc

CCXIV. Colliges Petrum v. g. relativè sumptum posse distinctè cognosci cum comparatione & ordine ad sensationem, sive ut animal; & non distinctè cum comparatione & ordine ad ratiocinationem, sive ut hominem.

CCXV. Nec dicas, hinc sequi, Petrum concipi inadæquatè quoad intrinseca; quia reverà concipiuntur omnia ipsius prędicata intrinseca, & omnes etiam ordines & relationes, quas dicit ad diversos terminos, secundum quod dicunt formaliter in recto & ex parte fundamenti; & solùm non concipiuntur omnes ordinum & relationum termini qui sunt realiter distincti; quod est tantùm Petrum inadæquatè concipi quoad extrinseca, & ex parte actus, id est, per actum, qui Petrum non repręsentet cum ordine ad omnes terminos, ad quos dicit ordinem; sic Petrus dicitur inadæquatè concipi quoad extrinseca & ex parte actus, cùm concipitur cum ordine ad sensationem, & non cum ordine ad ratiocinationem: per extrinseca autem hìc intelliges *non identificata*, quia certum est quod sensatio, ratiocinatio, &c. sint in Petro, & hoc sensu ei intrinseca sint.

Suppositum III.

CCXVI. Suppono 3°, unam eandemque cognitionem posse esse diverso respectu ex parte sua distinctam & confusam. Distinctam quidem respectu operationis in ordine ad quam suum objectum distinctè cognoscit, id est, ratione cujus objectum suum à cæteris, quibus ipsa non convenit, distinguit; confusam verò respectu operationis, in ordine ad quam suum objectum distinctè non cognoscit, id est, ratione cujus objectum suum à cæteris, quibus ipsa non convenit, non distinguit, sed confundit: sic cognitio Petri respectu sensationis, ratione cujus Petrum distinguit à cæteris, quibus ipsa non convenit, dicitur distincta: respectu verò ratiocinationis, ratione cujus (quia scilicet eam

non

non cognoscit, vel ità confusè, ut non appareat) Petrum non distinguit à cæteris, quibus ipsa non convenit, dicitur confusa. Hinc

CCXVII. Colliges, cognitionem objecti tantò esse clariorem & distinctiorem, quantò magis sive quantò à pluribus specie diversis suum objectum distinguit, & cum paucioribus specie diversis confundit; & proinde, quia inter unam & aliam speciem possunt divinitus dari, aliæ & aliæ, perfectiores & perfectiores in infinitū, possūt dari cognitiones de eodē objecto clariores & clariores, vel è contra confusiores & confusiores in infinitū, sicut objectum potest à pluribus & pluribus, vel à paucioribus & paucioribus in infinitū distingui. Sed

CCXVIII. Petes, quomodò una eademque cognitio possit esse diverso respectu ex parte sua distincta & confusa, si in objecto non sint, vel saltem non cognoscantur operationes diversæ, uti de albedine suprà dictum est.

CCXIX. Respondeo, illam adhuc posse esse ex parte sua distinctam & confusam, non quidem per ordinem ad diversas objecti operationes, sed immediatè per ordinem ad cætera entia à quibus objectum suum distinguet, vel non distinguet, seu confundet, eo proveniente ex fœcunditate, quam habet intellectus, vi cujus potest omne ens realiter existens, modò à pluribus, modò à paucioribus distinguere, etiamsi in eo nullas notet operationes notabiliter diversas; quod omnes debent fateri, cùm non solùm intellectus, sed etiam visus, modo quodam nobis incognito, albedinem, in qua nullæ cognoscuntur operationes (nam productio ubi, durationis, &c. non est nobis nota) nunc per actum distinctum, nunc per confusum repræsentet.

SUPPOSITUM IV.

CCXX. SUppono 4ò, ejusdem rei objectivè indivisibilis posse esse plura diversa nomina, non quidem ad significandas plures formalitates ex parte objecti, seu objectivè diversas, ut patet ex dictis cōtrà Scotistas & Thomistas paulò ante: sed ad significandos diversos conceptus, per quos eadē res objectivè indivisibilis, modò in ordine ad unam operationem, modò in ordine ad aliam; nunc cum distinctione à pluribus, nunc cum distinctione à paucioribus, repræsentatur. Talia nomina respectu Petri v. g. sunt, *hic homo*, *animal* & cæteri gradus Metaphysici: ubi ly *hic* significat quidpiā conceptū ut singulare, & cum distinctione à cæteris individuis: *homo* significat Petrum, Paulum & cætera individua humana concepta cum ordine ad sensationem & ratiocinationem, abstrahendo à singularitate, & cum distnictione à non hominibus, quibus illæ operationes non conveniunt: *animal* significat Petrum, Bucephalum & cætera animalis individua concepta in ordine ad sensationem, abstrahendo à ratiocinatione & singularitate, & cum distinctione à non animalibus, quibus sensatio non convenit: & sic est de cæteris; quià voces illæ subrogantur loco conceptuum formalium, juxtà illud D. Thom. Opusc. 9. q. 1. *Nomina autem sunt signa intellectualium conceptionum.* Hinc

CCXXI. Colliges 1ò ly *Homo, animal, &c.* nullā significare præcisionē intrinsecam sive ex parte objecti, sed solùm extrinsecam sive ex parte actus cognoscitivi, tendentis in idem indivisibile objectum, cum ordine ad unam illius operationem, & non cum ordine ad alias.

CCXXII. Colliges 2ò hæc nomina, ut talibus vocibus exprimuntur, *hic homo, animal, &c.* non significare quidpiam existens antè intellectum & à parte rei; sed significare talem vel talem rei conceptum, qui esse non potest ante intellectum magis quàm effectus antè suā causā (in quo nobiscum cōvenit P. Comptonus) & hinc est, quòd suprà disp. 1. n. 28. dixi, illa nomina esse concreta secundò intentionalia secundum modum significandi.

CCXXIII. Dixi, *ut talibus vocibus exprimuntur*; quia aliâ voce significante unam esse realiter, materialiter & identicè omnium istorum entitatem exprimi possunt, & talis est vox *Petrus*, *hæc anima*, *&c.* quæ significat rem secundum quod est realiter & antè intellectum.

CCXXIV. Colliges 3ò, has propositiones *Petrus est homo*, *Paulus est animal*, habere hunc sensum, Petrus est cōceptus in ordine ad sensationē & ratiocinationem, abstrahendo à singularitate; Paulus est conceptus in ordine ad sensationem, abstrahendo à ratiocinatione & singularitate: vel hunc, si mavis, Petrus est conceptus ità confusè, ut non appareat distinctus à cæteris individuis humanis, sed à solis non hominibus; Paulus est conceptus ità confusè ut non appareat distinctus à brutis, sed à solis non animalibus; quæ omnia vera sunt post intellectum & conceptum, quem significant illæ voces, non item antè intellectum, nisi fiat additum, Petrus est homo personaliter sumptus, id est, pro significato quod habet homo ante intellectum, quod est Petrus; & tunc est sensus, Petrus est Petrus, vel Petrus est hoc compositum ex hoc corpore, hāc animā & hāc unione: hæc tamen propositio, *Christus est homo*, habet veritatem ante intellectum, ut vidimus disputat. 1ª. num. 30. dici enim potest ex communi usu Scripturę & Patrum ly *homo* in illa propositione accipi personaliter, pro hoc homine, non secus ferè ac ly *hic* in forma calicis, ex communi sensu Ecclesiæ, sumitur nominaliter; & hoc etiam sensu habet veritatem antè intellectum.

CCXXV. Dices, istis repugnat authoritas omnium Grammaticorum, Philosophorum & Theologorum, qui istas voces *homo*, *animal*, *&c.* tribuunt rebus, prout sunt à parte rei & independenter ab intellectu, & numquam somniārunt eas esse 2ª intentionis; quod argumentum est apud omnes irrefragabile in quæstione, in qua agitur de significatione nominum; imò in tota sacra Scriptura nihil crebriùs videmus, quàm tales voces tribui rebus ut sunt à parte rei; quem etiam loquendi modum apud SS. Patres omninò usitatum conspicimus: hos autem in rigore falsum locutos asserere, horret reverentia, vetat ratio, fides damnat, ergò, &c.

CCXXVI. Respondeo, negando assumptum: à te enim non satis considerari Grammaticorum & Philosophorum ac Theologorum authoritatē fusè suprà Disp. 1, n. 30. ostēdi: nūquid agnoscunt Philosophi denominata omnium specierum universalis, & dicunt *hominē* esse denominatum speciei, *animal* generis; & prædicationem hominis de Petro esse universalis de singulari? Deindè numquid omnes faciunt differentiam inter has prædicationes, *Petrus est homo* & *Petrus est hic homo*; & hoc, quia voces communes significant conceptum, sive (ut tu loqui debes) quia significant res prout à nobis cognoscuntur? Quomodò igitur dicis Philosophos numquàm somniasse voces *homo*, *animal*, *&c.* esse 2ª intētionis secundum modum significandi tantùm, pro-

ut

ut dicuntur à nobis esse 2ª intentionis ? id reverà somnium est. Deinde, quòd vlteriùs dicis, Grammaticos, Philosophos & Theologos istas voces, *homo, animal, &c.* rebus tribuere, prout sunt à parte rei & independenter ab intellectu, somnium est simile priori, si illæ voces sumantur secundum rigorosam significationem, quam habent secundum se extrà omnem orationem; nam quando dico, *Petrus est homo* u. g. idem est ac si dicerem, Petrus est aliquid sub conceptu confuso indistinctum à cæteris hominibus, & distinctum à brutis. Vbi vides, quòd ly *homo* non tribuatur prout est à parte rei; nisi velis, quòd *homo* ibi accipiatur personaliter pro Petro ut existente à parte rei, vel prout usus in eo receptus confundit hominem cum Petro; quorum utroque modo, & per accommodationem ad usum ac communem loquendi modum dicitur, *Christus est homo, Verbum caro factum est, &c.* & idem est de plerisque SS. Patrum locutionibus.

CCXXVII. Instabis, ideò Petrus v. g. vocatur animal, quia est principium vivens & sensitium; sed Petrus est tale principium antè intellectum nostrum, ergo tribuitur ipsi vox *animal* independenter ab intellectu. Probatur minor experientiâ & ratione; aut videat, qui non credit, crescentem, videntem, audientem, &c. ergò, &c.

CCXXVIII. Respondeo distinguendo majorem: ideò Petrus v. g. vocatur animal, quia est principium vivens & sensitium, id est, quia concipitur ut vivens sensitivus abstrahendo ab eo, quòd sit rationalis, sive quia tam confusè concipitur, ut à non animalibus distinguatur & confundatur cum brutis, concedo majorem; quia est à parte rei principium vivens sensitivum sub significato horum terminorum, nego majorem: numquid enim principium vivens sensitium minus dicit in suo conceptu, quàm principium vivens sensitivũ rationale? Non negabis; quia alioqui, sicut 1um tribuitur bruto, tribueretur & 2um. Si igitur velis, Petrum à parte rei esse principium sensitivum, vis Petrum esse à parte rei, id quod minus dicit in suo conceptu, quàm principium vivens sensitium rationale, ac proinde Petrum ex parte objecti & à parte rei esse distinctum in diversos conceptus, quod hucusque impugnatum est. Sed

CCXXIX. Petes, quomodò hujus propositionis, *Petrus est homo*, sit hic sensus, Petrus est Petrus confusè conceptus, &c. quandoquidem ly *homo* non tantùm significet Petrum confusè conceptum, &c. Sed etiam Paulum & cætera humana individua.

CCXXX. Respondeo id habere ex determinatione ipsius subjecti, de quo affirmatur, prout de eo affimabilis erat, tamquam de uno ex multis de quibus affirmari potest; non est autem alio sensu, quàm isto, de Petro ut sic affirmabilis: sed de hoc fusiùs infra. Caue tamen hinc inferas, ergo ly *homo* similiter habet ex determinatione subjecti, ut in illa propositione accipiatur personaliter pro significato, quod habet ante intellectum; quia Petrus siuè subjectum istius propositionis secundum se est indifferens (non ita homo secundũ se,) ut accipiatur secundum ea, quæ habet ante vel post intellectum, id est; ut vel sumatur secundum quod est hoc compositum ex hac anima, hoc corpore & hac unione; vel secundum quod est conceptus in ordine ad solam ratiocinationẽ, sensationem, &c. Vndè ut sic præcisè non potest prædicatum sivè hominem determinare ut sumatur personaliter pro significato, quod habet antè intellectum. His suppositis sit.

Solutio Objectionum à Creatis ex scotistis & Thomistis petitarum.

CCXXXI. OBjicies primò, animalitati & rationalitati conveniunt prædicata contradictoria; illi quidẽ esse principiũ sentiendi; huic verò esse principiũ ratiocinandi. Vndè fit 1º. quòd diversa definitione definiantur. 2º. quòd Petrus eminus videatur ut animal, nõ visus ut rationalis. Ergò distinguuntur saltem formaliter ex natura rei vel objectivè.

CCXXXII. Respondeo negando consequentiam; quia imprimis, ut paulò ante Resol. 3ª. vidimus, ad verificationem istorum contradictoriorum distinctio illa nihil juvat. Deindè animalitas & rationalitas, prout illis nominibus importantur, sunt concreta 2º intentionalia secundũ modũ significandi, ut suprà disp. 1ª. Dub. 1º. probavimus; illis autem ut sic (quomodò definiuntur, & non ex parte intrinsecorum objecti) haud minùs convenit diversâ definitione definiri, quàm ipsis intentionibus diversis, quibus, utpote realiter inter se distinctis, id convenire inficiabitur nullus: quòd autem Petrus eminus uideatur ut animal, non visus ut rationalis, ideò fit, quia totus Petrus videtur in ordine ad progressionem animali propriam distinctè cognitam, & nonnisi in ordine ad ratiocinationem homini vel rationali propriam, confusè, vel nullo modo cognitam; illam autem distinctè, & hanc confusè aut nullo modo cognosci, nihil implicat. Vndè, quandò eminùs video Petrum progredi, & dico esse animal, dico Petrum esse conceptum cum ordine ad sensationem; &, si negem tunc esse rationalem, nego Petrum esse conceptum in ordine ad ratiocinationem, quæ, cùm sint toto cælo diversa, de eodem indivisibili objecto possunt affimari & negari. Hinc patet ad id quod ulteriùs objici posset, videlicet, quod is, qui affirmat animal de Petro, affirmet prædicata superiora, non verò inferiora: si enim ly *animal* sumatur secundũ ea, quæ dicit intrinsecè & ex parte sua; qui affirmat animal de Petro, affirmat prædicata superiora & inferiora eodem modo sumpta, quia ut sic sunt unica formalitas objectivè indivisibilis; si verò sumatur secundum ea, quæ dicit extrinsecè in obliquo, & ex parte actus; nequè affirmat prædicata superiora, nequè inferiora, imò nè quidem id, quod importatur in obliquo affirmat; quia ipsa sensatio, quæ per vocem *animal* in obliquo importatur, nequè est substantia, nequè corpus, quæ sunt inferiora animalis; nequè rationalis, nequè irrationalis, quæ sunt differentiæ infra animal: imò sensatio importata in obliquo soli distinctioni faciendæ inter individuum sensitivum & non sensitivum servit.

CCXXXIII. Instabis, si animal & rationale secundum intrinseca & ex parte sua essent una formalitas objectivè indivisibilis, de quocumquè prædicaretur animal, prædicaretur rationale; sed hoc est absurdum, ergò, &c. major patet: probatur minor; quia sequeretur rationale posse prædicari de bruto, non secus ac animal, ergò, &c.

Pro solutione hujus Instantiæ.

CCXXXIV. Suppono omnem prædicationem, sivè identificationem per affirmationem unius de alio, debere fieri inter eadem realiter, saltem secundum ea, quæ importantur in recto, sive ex parte obli-

qui

qui & connotati extrinseci sint diversa, sive non. Ratio est, quia ad talem identificationem non attenditur distinctio; sed identitas materialium significatorum prædicati & subjecti, ut supra ostendimus. Hoc supposito

CCXXXV. Respondeo distinguendo majorem: si animal & rationale, &c. de quocumque prædicaretur animal realiter idem & contractum ad individuum humanum, prædicaretur rationale, concedo majorem: de quocumque prædicaretur animal realiter idem & contractum ad individuum brutale, prædicaretur animal; nego majorem: quia istud animal distinguitur realiter à rationali, non secus ac irrationale cui identificatum supponitur: animal enim simpliciter & sine restrictione sumptum, dicit quidem indifferenter omnia individua hominis & bruti, concepta in ordine ad sensationem; ita tamen illa dicit, ut quando de Petro v. g. affirmatur, per copulam determinetur, ut sit Petrus conceptus in ordine ad sensationem; & quando de Bucephalo, ità similiter determinatur, ut sit Bucephalus conceptus in ordine ad sensationem; aliàs prædicatio non fieret inter realiter eadem, ut consideranti patebit.

CCXXXVI. Objicies 2°, Petrus est, sive objectivè, sive formaliter ex natura rei similior Paulo, quàm bruto; & Paulo aliqualiter similis, videlicet, secundum naturam humanam, & eidem aliqualiter dissimilis, videlicet, secundum rationem individui: atqui illa similitudo major cum Paulo, quàm cum bruto, supponit plura prædicata, sive objectivè, sive formaliter distincta in Petro, in quibus magis conveniat cum Paulo; quàm cum bruto: & idem est consequenter de illa aliquali similitudine, & aliquali dissimilitudine cum Paulo; ergò &c. Probatur minor, quia alioqui sequeretur Petrum esse similiorem Paulo, quàm bruto per id ipsum, per quod est dissimilis Paulo, videlicet, per rationem, per quam est aliqualiter similis bruto, (suppono enim, sic Petum esse similiorem Paulo, quàm bruto, ut aliqualiter sit similis bruto, quod locutio ista satis insinuat) imò similiter sequeretur, Petrum esse similem Paulo per id ipsum, sive objectivè, sive formaliter, per quod est eidem Paulo dissimilis. Ratio utriusque sequelæ est; quia totum quod esset in Petro, esset objectivè & formaliter ex natura rei indivisibile, ergò &c.

CCXXXVII. Confirmatur: vel dicendum, quòd nùlla, siue objectivè, sive formaliter ex natura rei major similitudo detur inter Petrum & Paulum, quàm inter Petrum & lapidem, sed quòd inter eos summa sit dissimilitudo, sicut inter Petrum & lapidem; ac proinde quòd dissimilitudo sic consistat in indivisibili, ut cum distinctione confundatur. Vel agnosci debet distinctio objectiva aut formalis ex natura rei: atqui à 1°, abhorret communis omnium sensus, & loquendi modus: & deinde dissimilitudinem confundi non posse cum distinctione, ratio suadet; quia dissimilitudo est participatio prædicati diversi; distinctio verò negatio participationis prædicati ejusdem: ergò 2^um^, dici debet.

CCXXXVIII. Respondeo ad hoc Argumentum, quod meritò censetur adversariorum, sive Thomistarum, sive Scotistarum Achilles; negando majorem (quidquid R. P. Arriaga disp. 5. Logic. num. 19. eam his verbis *arbitror dicendum, individua ejusdem speciei, quantumvis distincta, posse esse similia, quia sola distinctio non efficit dissimilitudinẽ, &c.* admittendo, & se, & propriam sententiam, quam contrà tuetur, eludat.) Ratio enim nostra est, quòd in sententia Arriagę & negantium præcisiones objectivas, omne prædicatum entis realiter simplicis sit unum indivisibile objectivè & formaliter ex natura rei; quo dato, non potest esse magis aliqualiter simile, & aliqualiter dissimile eidem, quam unum esse unum & duo; unum ut supponitur; duo autem secundum quod sonant *aliqualiter* simile & *aliqualiter* dissimile uni similiter objectivè & formaliter indivisibili; sive quam idem esse, ut supponitur; & idem non esse, ut consideranti patebit; quia dissimile, aut supponit non esse, aut aliud (quod hîc non est, quia unicum est, & non duo, sive aliud & aliud) prædicatum esse. Vndè sic argumentor: quod est realiter simplex in sententia ista est objectivè & formaliter ex natura rei omni enti distincto dissimile; ergo nullo modo simile; sed summè dissimile; nè alioquin esse debeat illi aliqualiter simile & aliqualiter dissimile, juxtà jam allatum absurdum. Vndè sibi meritò attendere debet R. P. Arriaga, dum hîc & disputatione prima de anima, supponit, quod Vbicũq; est distinctio antè intellectũ, illa sit sũma & adęquata, quia fundatur in indivisibili; an nõ sibi contradicat, dum admittit hîc dissimilitudinem inadæquatam antè intellectum, fundatam in indivisibili. Numquid totus Petrus verbi gratiâ, in sententia ista est objectivè & formaliter ex natura rei præcisè, id, quod in sententia Scotistarum & Thomistarum est Petrus prout nomine Petreitatis effertur? Petreitas autem in sententia hac, id est, prout est præcisa ratio dissimilandi individualiter, est summa dissimilitudo Petri à Paulo, & à fortiori à bruto. Hæc tamen magis elucidabuntur Responsione sequenti. Pro qua.

CCXXXIX. Suppono 1°, ex dictis Supposito 4°, nomina ista *ens, substantia, animal*, &c. esse entia 2°, intentionalia, saltem ex modo significandi, licèt sint 1°, intentionalia secundum se, modo disp. 1. explicato. Vnde dum R. P. Arriaga & alii dicunt, neminem negare posse equum à parte rei esse ens, substantiam, animal, &c. attendunt ad nomina ista prout sunt 1°, intentionalia secundum se, præscindendo ab eo, quod ex modo significandi sint 2°, intentionalia. Quia tamen, ut loco citato vidimus, talia sunt ex primaria sua institutione, in rigore non loquuntur, qui volunt equum à parte rei esse ens, substantiam, animal, &c. sub illis nominibus, licèt re verâ talis sit attentis istorum nominum significatis materialibus, sive nominibus illis sumptis personaliter, ut ibidem vidimus. Vndè patet ulteriùs, plures Recentiores hîc decipi, dum putant, nos ità de formalitatibus istis loqui, ut eas velimus, sic ex modo significandi importare actum intellectus; & esse 2°, intentionales ex modo significandi, ut secundum se non sint realiter, objectivè & formaliter ex natura rei ipsum individuum, quod confusè concipitur, dum illis nominibus communibus exprimitur: sic enim dicimus illas, ut nominibus illis proferuntur, esse, ex modo significandi 2°, intentionales, ut velimus secundum se, materialiter & ex parte objecti, eas esse 1°, intentionales, sic ut verissima sit hæc propositio, *Equus est ens*, nomine entis sumpto secundũ se materialiter & ex parte objecti.

suo ita non sumitur ; alioqui idem ex instituto significarent vox *ens* & vox *equus*, quod nullus dixerit; sed ex instituto significat individuum confusè conceptum, &c.

CCXL. Suppono 2° dissimilitudinem sano sensu dici posse distinctionem, & similitudinem identitatem: quia unum distingui ab alio, est unum non esse aliud ; unum verò esse dissimile alteri, est unum non esse sicut aliud (eodem Arriaga fatente Disp. 1ª de anima num. 251.) quot verò modis unum non est aliud, puta in prædicato essentiali vel accidentali, tot unum non est sicut aliud ; nam distinctio & dissimilitudo fundantur in eisdem prædicatis ; & idem dicendum de identitate & similitudine.

CCXLI. Suppono 3° ex dicendis infrà de relatione, omnem similitudinem formalem fundari in conceptu duo per modum unius confundente ; sic nempe, ut, si duæ qualitates confundantur, dicantur similes formaliter in actu exercito & ex parte actus ; si duæ quantitates, æquales ; si duæ substantiæ, eædem, &c. Item similitudinem fundamentalem, identitatem fundamentalem, &c. esse à parte rei, nec aliud esse, quàm quamdam objectivè indivisibilem confusibilitatem per istiusmodi conceptum, sive non repugnantiam ad concipi tali conceptu similificante, æqualificante, identificante, &c. extrinsecè formaliter. His autem suppositis

Ad confirmationem

CCXLII. Respondeo dicendum quòd omnia sint summè antè intellectum objectivè & formaliter dissimilia, sic ut inter Petrum & Paulum non sit antè intellectum major similitudo, etiam fundamentalis absoluta, quàm sit inter Petrum & lapidem. Ratio nostra est, quòd Petrus & Paulus sint hoc & hoc indivisibiliter objectivè, antè intellectum & formaliter ex natura rei ; hoc autem & hoc indivisibiliter objectivè, antè intellectum & formaliter ex natura rei, non sunt magis objectivè ante intellectum, &c. formaliter, aut fundamentaliter absolutè similia, quàm summè ut sic dissimilia ; quæ ideò præcisè sunt talia, quia hoc & hoc. Vndè consequenter dicendum, quòd distinctio confundatur cum dissimilitudine, & è contrà: quòd autem à 1° non abhorreat ratio, satis convincunt nostræ Resolutionis & statim Suppositorum fundamenta. Ad id verò quod dicitur, dissimilitudinem esse participationem prædicati diversi, distinctionem esse negationem participationis prædicati ejusdem, fateor ; sed quæro, quid sit esse participationem prædicati diversi præter negationem participationis prædicati ejusdem : tollas enim hanc negationem præcisè, non habebis dissimile, sed simile, idem, &c. ut consideranti patebit.

CCXLIII. Dixi, inter Petrum & Paulum non esse similitudinem, etiàm fundamentalem absolutam, majorem, quàm sit inter Petrum & lapidem; quia esse majorem comparativam & relativam ad plures effectus fundamentaliter similes, sive uno conceptu confusibiles, inter Petrum & Paulum, quàm inter Petrum & lapidem, manifestum est. Verùm, quia idem objectivè & formaliter ex natura rei potest dicere ordinem ad diversos terminos, sive reales, sive intentionales, similitudo hæc fundamentalis relativa, sive comparativa diversas formalitates in ente realiter indivisibili objectivè aut ex natura rei distinctas non arguit ; quia non tam est hujus entis, quàm entis hujus & plurium terminorum, ad quos refertur & comparatur, ut suprà insinuavimus.

Solutio Objectionum à Divinis.

CCXLIV. OBjicies 1° ex Em. Card. Francisco Delugo in 1am partem disputat. 16. cap. 3. Filius per æternam generationem plura accepit à Patre juxtà illud Ioannis 16°: *Omnia quæ Pater habet, mea sunt* ; sed illa plura sunt attributa & essentia, & illa accepit antè intellectum, ergo sunt plura antè intellectum ; & consequenter attributa Divina inter se & ab essentia distinguuntur, saltem objectivè virtualiter.

CCXLV. Respondeo ad locum Ioan. 16° ly *omnia* non significare necessariò pluralitatem, sivè multitudinem ; sed exclusionem aliorum, eo modo, quo totum non necessariò significat plures partes, sed exclusionem compartis. Vndè nego antecedens. Adde tamen, huic objectioni non satisfacere Adversarios per sua plura objectivè tantùm, aut formaliter ex natura rei, quia acceptio istorũ (si plura) est strictè realis, ut patuit Tract. 1. disp. 2. Dub. 5.

CCXLVI. Objicies 2° ex R. P. Caspensi in 1am partem Disp. 1. sect. 1. De fide est, attributa Divina esse in Deo, ergo bonitas, sapientia, &c. sunt in Deo ; nec quando dicimus Deum esse sapientem, bonum, &c. Deo tantùm attribuimus nomina vel conceptus bonitatis, sapientiæ, &c. alioqui Deo attribueremus realiter distincta cum Gilberto Porretano : ergo, &c.

CCXLVII. Respondeo concesso antecedente; distinguendo consequens : ergo bonitas, sapientia, &c. sunt in Deo materialiter & secundum quod dicunt ex parte objecti absolutè sumpti, concedo consequentiam: formaliter prout exprimuntur nominibus significantibus inter se & ab essentia distinctionem; sive secundum quod dicunt ex parte actus unum ab alio formaliter distinguentis, nego consequentiam : ex hac autem distinctione clarè intelligitur, quo sensu S. Bernardus 5° de Consider. antè medium dicat, *Multa dicuntur esse in Deo, & quidem sanè, catholicéque ; sed multa unum.* Item & quo sensu dicat Augustinus 13. Confess. *Scientia tua* (scilicet Deus) *est & vult incommutabiliter ; voluntas tua est & sciit incommutabiliter.* Denique etiam, quomodò nomina attributorum non sint synonima. Ad id verò quod additur, *Nec quando dicimus Deum esse sapientem, bonum, &c. Deo tantùm attribuimus nomina, conceptus, &c.* Similiter distinguo ; si sumantur secundum quod dicunt materialiter & ex parte objecti absolutè sumpti, concedo ; quia ut sic idem eidem attribuimus ; si sumantur secundum quod dicunt formaliter & ex parte actus distinguentis, nego : sicuti autem isto 1° modo sunt in Deo, & non hoc secundo modo ; ita non sunt in Deo realiter distincta ; licèt extrà Deum & in vocibus aut conceptibus eorum, talia sint.

CCXLVIII. Objicies 3° ex ista conclusione, vel sequitur, contradictoria verificari de eodem realiter, actu & antè intellectum, v. g. 1° de Divino Intellectu, esse principium productionis Verbi de Divina Voluntate, non esse principium productionis Verbi. 2° Deum intelligere intellectu, non intelligere voluntate: Divinam Essentiam communicari, Paternitatem non communicari : Filiationem generari, Essentiam non generari, &c. Vel necessariò

ad-

admittendam distinctionem objectivam Thomisticam, aut formalem ex naturâ rei Scotisticam, ut de diversis verificentur. Primum autem est impossibile, ergo secundum necessariò admitti debet.

CCXLIX. Respondeo 1o argumentum illud omnes Theologos universaliter urgere; nec Thomistas aut Scotistas per suam distinctionem objectivam aut formalem ex naturâ rei satisfacere; quia illa non est realis propriè dicta; prædicata autem illa sunt realia propriè dicta. Dicunt quidem illa non esse contradictoria; quia (inquiunt) licèt intellectus & voluntas idem significent aliquo modo à parte rei; non sumuntur tamen prout eodem modo illud significant, sive in eadem omninò significatione: diversa verò acceptio, aut diversus modus significandi terminorum facit diversa enuntiabilia, & diversas propositiones. Sed contrà est, quòd vel diversus modus illud significandi, sive diversa acceptio intellectus & voluntatis, importet aliquid realiter sive à parte rei distinctum ab eo quod significant, sive ab Essentia Divina, vel non. Si 1um, intellectus & voluntas realiter distinguuntur ab Essentia Divina, quod est hæreticum. Si 2um, ergo ratione illorum non possunt verificari de eodem illa contradictoria realia sivè realiter. Quare aliter

CCL. Respondeo 2o (quandoquidem inintelligibile sit, contradictoria realiter de eodem realiter verificari; idem realiter de eodem realiter simul affirmari & negari; &c.) cum Apostolo hîc captivandum intellectum in obsequium fidei: sic ut dicamus esse de eminentia entis in omni genere infiniti, posse de illo contradictoria realia verificari, etiam immediatè; nam quod de Deo mediantibus personalitatibus, formaliter aut objectivè distinctis per Adversarios verificentur, difficultatem non minuit, sed auget: quia præterquàm quòd de eodem realiter verificentur, verificantur de eodem realiter mediantibus realiter inter se distinctis, quæ tamen insuper sint realiter idem cum eo, de quo verificantur; difficiliùs autem intelligitur, contradictoria verificari de eodem mediantibus realiter inter se distinctis, sic ut sint realiter præterea ipsum idem de quo verificantur; quàm verificari de eodem simpliciter, ut consideranti patebit.

CCLI. Instabis fortè, hoc semel dato sequitur de Deo posse hæc contradictoria verificari, *existere*, *non existere*; nec ideò protervum posse convinci, si dicat, similia contradictoria verificari posse in creatis, si in Divinis verificantur. Ita ferè R. P. Poncius Disp. 20. Metaph. num. 27. & 29. ergo, &c.

CCLII. Respondeo 1o negando sequelam, quia dùm ista contradictoria de Deo verificantur, de *existere* verificantur, quia Deus est *existere*; undè si *existere* & *non existere* de Deo verificari possent, contradictoria de se mutuò affirmata verificari possent, videlicet *existere est non existere*, sive *Deus est non existens*; sicut autem in omnium sententia, ita verum est, *Essentia Divina communicatur*, *Paternitas non communicatur*, ut eo sensu, quo ista contradictoria verificantur, verum esse non possit, *in Divinis communicari est non communicari*, sic dicimus allata in objectione contradictoria, sic de Deo verificari, ut verum esse non possit *in Divinis existere est non existere*.

CCLIII. Respondeo 2o negando similiter sequelam 2am: quia omnis protervus, hoc argumento è contrà convinceretur. De eodem realiter, mediis etiam formalitatibus inter se distinctis, sed realiter ipsum idem de quo contradictoria verificantur, contradictoria verificari, rationi repugnat, fides in Divinis fieri, non in creatis, docet; ergo id est Divinis proprium, ac ideo ad creata contrà rationem ac citrà fidem, non extendendum.

Resolvtio IV.

Quid circà præcisiones objectivas senserit D. Thomas.

CCLIV. Dico 4o, nullo modo D. Thomas præcisiones objectivas agnovit sensu quo eas, contrà Thomistas, paulò antè impugnavimus.

CCLV. Probatur 1o ex eodem D. Thoma in 1um dist. 2. q. 1. art. 3. in corpore. *Respondeo dicendum, quòd, sicut suprà dictum est, sapientia, & bonitas, & omnia hujusmodi sunt omnino unum re in Deo, sed differunt ratione, & hæc ratio, non est tantùm ex parte ipsius ratiocinantis, sed ex proprietate ipsius rei.* Quibus consonat id quod paulò infrà *quantum ad* 4um habet. *Unde patet, quòd pluralitas rationum attributorum, non tantùm est ex parte intellectus nostri, sed etiam ex parte ipsius Dei:* Quomodò *ex parte ipsius Dei?* nisi, ut sequitur, *in quantum sua perfectio superat unamquamque conceptionem nostri intellectus.* Quomodò superat? an ideò, quia tot formalitates objectivè in Deo, ut plures sint ex parte objecti, quàm unus conceptus attingere possit? minimè; pluralitati istarum *rationum respondet aliquid in re, quæ Deus est, non quidem pluralitas rei, sed plena perfectio:* ecce plena sinè pluralitate Dei perfectio istis rationibus respondet; quod magis infrà explicat. *Et sic patet quartum, quia pluralitas istorum nominum, non tantùm est ex parte intellectus nostri formantis diversas conceptiones de Deo, quæ dicuntur diversæ rationes, ut ex dictis patet; sed ex parte ipsius Dei, in quantum scilicet est aliquid in Deo correspondens omnibus istis conceptionibus, scilicet plena & omnimoda ipsius perfectio,* (nota) *secundum quam contingit, quod quodlibet nominum significantium istas conceptiones de Deo, verè & propriè dicitur; non autem ità, quòd aliqua diversitas vel multiplicitas ponatur in re,* (etiam nota) *quæ Deus est, ratione istorum attributorum.* Sed clariùs ad tertium: *Dicendum, quòd multiplicitas ista attributorũ, nullo modo ponitur in Deo, quasi ipse secundum rem* (nota) *sit multiplex, sed tamen ipse secundum suam simplicem perfectionem, multitudini istorum attributorum correspondet, ut verè de Deo dicantur, & hoc intendit Commentator.* Non aliter igitur superat, nisi quia tot sunt creaturæ, quibus mediantibus, Deum cognoscit, ut eas simul & semel distinctè cognoscere non possit. *Intellectus enim noster* (inquit ibidem suprà) *non potest una conceptione diversos modos perfectionis accipere, tum quia ex creaturis cognitionem accipit, in quibus sunt diversi modi perfectionum secundum diversas formas,* &c. *si autem intellectus noster Deum per seipsum videret, illi rationi posset imponere nomen unum:* igitur Deus est tantùm *unum* ut per seipsum illis respondens, prout tantùm est *unũ* respondens visioni, quâ per seipsum videtur. Undè admittimus quidem sapientiam & bonitatem distingui ex parte ipsius Dei; sed negamus propterea distingui objectivè; quia sunt longè diversa, sapientiam &

bonitatem esse ex proprietate ipsius Dei, & sapientiam & bonitatem objectivè differre: nam sapientiam & bonitatem differre objectivè in Deo, est 1° pluralitatem rei, pluralitati sapientiæ & bonitatis respondere; est aliquam diversitatem aut multiplicitatem ponere in re, quæ Deus est; non est sic Deum præcisè illis respondere, ut de Deo verè dicantur; quæ continuò reprehendit D. Thomas, ut paulò antè ostendimus. 2° est differentiam sapientiæ & bonitatis in Deo esse, & non solùm in intellectu creato, quod S. Thomas Opusc. 9° q. 1. calumniâ vocat, inquiès, *Calumniosè autem contrà hæc* (puta quæ præmiserat, scil. sapientiam & bonitatē distingui ratione) *objicitur, quòd ipsa differentia sapientiæ & bonitatis in Deo sit, & non solùm in intellectu creato:* & paulò infrà q. 2ª: *Rationes quibus attributa differūt, fundantur in intellectu nostro, quia sunt in eo sicut in subjecto* (infero, ergo sunt solæ cognitiones; quod confirmatur sequentibus verbis) *fundantur autem super rem* (quod idem est ac illas esse ex proprietate ipsius Dei) *quia sunt similitudines repræsentantes Divinam Essentiam.* Rationem verò, quâ sapientia & bonitas differunt, esse *ex proprietate ipsius Dei*, intelligi potest dupliciter. 1° sic ut ipsa sit ex proprietate ipsius Dei in se sapientis & boni, præscindendo ab eo quod talis nominetur, manifestetur, &c. & hoc sensu non est, differentiam esse objectivè in Deo, sed plenam & simplicem sinè pluralitate Dei perfectionem isti rationi, quâ differunt, sivè diversis attributorum conceptibus respondere, ut suprà citata loca demonstrant. 2° sic ut ipsa sit ex proprietate ipsius Dei, quâ sapiens nominatur, manifestatur, &c. propter effectus sapientiæ & bonitatis, quos extrà producit, juxtà Art. 3ū ad 1um in 1ū sent. dist. 2. q. 2. *Secundum diversas bonitates, quas creaturis influit Deus, nominatur, manifestatur & laudatur.* Et hoc etiam sensu, non est differentiam esse objectivè in Deo secundum se sumpto, sed comparativè tantum ad diversos effectus, quod non est, tam Deum objectivè in se & attributa ab invicem objectivè differre, quàm ipsos effectus objectivè & realiter differre, de quibus nulla contentio: alio autem sensu ibi non loquitur D. Thomas.

CCLVI. Confirmatur 1° ex iis, quæ infrà eadē dist. & Art. habet: *Qui ergò dixerunt quòd pluralitas ista est tantū ex parte intellectus nostri, vel ex parte effectuū, quodammodò verū dixerunt, & quodammodò non. Si enim hoc referatur ad causam multiplicationis, sic verū dicunt, quod est ex parte intellectus nostri, & effectuū quodammodò, ex eo quod intellectus noster non potest concipere divinam Perfectionē unâ conceptione, sed pluribus; cujus una ratio est ex hoc, quòd est assuefactus ad res creatas. Si autē referatur ad modū quo istæ rationes attribuuntur Deo, falsum dicunt. Non enim ex hoc, quod bona facit, vel quia ad modū bonorū se habet, bonus est.* Vbi vides sententiam istam à D. Thoma rejici, non quia præcisiones objectivas, & plures objectivas formalitates ex parte Dei objecti negat; sed quia non sic istas attributorū rationes ad Deum refert, ut Deo antecedenter ad effectus eis correspōdētes cōveniant; cōveniunt autē, licèt sint unū objectivè cū Deo, ut suprà ostēdimus in ente.

CCLVII. Confirmatur 2° ex iis quæ ibidem habet in Solutionib. Arg. 3ⁱ, 4ⁱ, & 5ⁱ: ad 3um enim ostendit multiplicitatem attributorū non aliter in Deo poni, quàm sic ut Deus secundū simplicem perfectionem multitudini eorum respondeat. ad 4. & 5. probat rationes attributorum esse in intellectu tanquam subjecto, & in Deo, tanquam in eo à quo habeat finitatē suæ veritatis, seu de Deo verificationis; nec aliter satisfacit objectionibus probātibus pluralitatē Dei attributorū esse in intellectu tantùm: atqui dicendo 1° Deum esse intrinsecè objectivè indivisibiliter sapientem, bonum, &c. secundū simplicem perfectionem multitudini attributorum correspondet, & illa sunt in Deo tanquam eo à quo habent finitatē suæ veritatis seu de Deo verificationis: & dicendo 2° multitudinem illam se tenere ex parte solius intellectus, sunt in intellectu tanquam subjecto, & sunt in intellectu tantùm, quod adversariis concedit D. Thom. eo, quòd 1°. suppositò, quod reverà est illam attributorum multitudinem sive distinctionem esse formalem tantùm, & nullo modo objectivam aut formalem ex natura rei: ergò omninò à nobis stat D. Thomas. Probatur consequentia, quia utrumque illud docemus, & præterea nihil. Sed de his, pluribus 1ª parte, Deo dante, agemus: sufficiūt enim, ut ostendamus contrà P. Comptonum doctrinam nostram, non tantùm ex angulis quibusdam Operū D. Thomæ erui, sed ex certis, & ab omnibus pro S. Doctoris libris admissis. Loca autem quæ pro se adfert ex 1ª parte, solùm convincunt, D. Thomam docuisse dari præcisiones ex parte actus, non verò ex parte objecti, quorum 1um profitemur, 2um refellimus.

TRACTATVS II.

De Porphyrianis Vniversalibus.

1. PORPHYRIVS natione Phœnix, sed patria Iudæus, juxtà Baroniū, ex Christiano factus magus, & à vera fide apostata, ad prædicamēta Isagogen ex Vniversalibus struxit, quæ cùm utilis sit, nec ullibi sanæ fidei cōtraria, ut in scholis prælegatur S. Rom. Ecclesia indulsit.

QVÆSTIVNCVLA.

Quodnam sit Objectum Isagoges Porphyrianæ.

ANTÈ Resolutionem

11. Suppono Vniversale posse sumi dupliciter pro suis inferioribus; 1°. simpliciter ut cùm dicitur *genus est Vniversale*, id est, conceptū conceptu communi sibi, speciei, &c. 2° personaliter, ut cùm genus, species, &c. definiuntur, *unum*, &c.

111. Ratio suppositi est, quia illis convenit concipi dependenter, definiri independenter ab intellectu; non quidem producēte, & ut quo Vniversalificante; quia dicunt pro forma actū intellectus; sed per actū ab illis distinctū reflectēte, & ut quod universalificante,

cante, quomodò universale sumitur in hac propositione, *Vniversale est quadruplex*; vel *Vniversale est existens independenter à 2ª intentione formali.* His suppositis sit

RESOLUTIO I.

IV. DIco 1º, objectum materiale Isagoges Porphyrianæ est Vniversale simpliciter & personaliter sumptum pro suis inferioribus.

V. Probatur 1ª pars conclusionis. Id omne, de quo per se & principaliter in Isagoge tractatur, est objectū materiale Isagoges; sed in illa per se & principaliter tractatur de Vniversali simpliciter sumpto, ergo, &c.

VI. Probatur minor 1º, quia in illa per se & principaliter tractatur de genere, specie, differentia, &c. ad quæ Vniversale simpliciter sumptum se habet instar partis ad totum, sive ut genus definiti; sed totum non distinguitur à partibus, ergo etiam in illa per se & principaliter tractatur de Vniversali simpliciter sumpto.

VII. Confirmatur, quia tota definitio Vniversalis simpliciter sumpti ingreditur definitionē generis, speciei, differentiæ, &c. de quibus continuus per se & principaliter est sermo in Isagoge, ergo, &c.

VIII. Probatur minor 2ª. Porphyrius cap. 2º de genere sic habet, *Eorum quæ prædicantur, alia de uno solo dicuntur, ut individua: alia de pluribus prædicantur*: subsumo, sed prædicari de pluribus ibi sistendo, non est definitio Vniversalis personaliter sumpti, sive generis, speciei, differentiæ, &c. secundum ea, quæ habent independenter ab intellectu; & est definitio Vniversalis simpliciter sumpti, sive generis, speciei differentiæ, &c. secundum ea, quæ habent dependenter ab intellectu, id est, tam confusè conceptorum, ut appareant unum sub conceptu; ergo in Isagoge per se & principaliter tractatur de Vniversali simpliciter sumpto pro suis inferioribus.

IX. Dixi *per se & principaliter*, ut excludam individuum & speciem subjicibilem ut talem, à ratione materialis objecti Isagoges; quia de illis in Isagoge non nisi minùs principaliter & per accidens tractatur, in quantum sunt subjecta Prædicabilium, & utilia ad cognitionem eorum.

X. Probatur 2ª pars, quia in Isagoge ubique definitur & tractatur de universali personaliter sumpto pro suis inferioribus, sivè genere, specie, &c. secundum ea, quæ habent independenter ab intellectu, ergo, &c.

XI. Dices fortè, genus, species, &c. non sunt significata Vniversalis indepēdenter ab intellectu; sed significatum Vniversalis personaliter sumpti pro suis inferioribus debet esse independenter ab intellectu, ergo licèt in Isagoge ubique definiatur, & tractetur de genere, specie, &c. non ideò tamen in ea tractatur de Vniversali personaliter sumpto. Pro solutione

XII. Nota dari posse tertias & quartas intentiones formales; nam sicut 2ª intentio formalis, ideò talis dicitur, quia est reflexiva suprà 1ªm formalem; ita 3ª formalis dicetur illa, quæ erit reflexiva suprà secundam; 4ª quæ suprà tertiam: idem dic proportionaliter de objectiva. Ad vitandam tamen confusionem oriundam ex tali multiplicitate intentionum, non solent Philosophi uti nominibus tertiæ, quartæ, &c. intentionis; sed tantùm primæ & secundæ; quia scilicet 1ª & 2ª intentio terminans ulteriorem conceptum, eodem modo se habet, ac alia natura realis terminans conceptum: sicuti enim hæc terminans conceptum secundum ea, quæ habet dependenter à conceptu à se distincto, dicitur 2ª intentio objectiva; ita genus, Vniversale & quælibet intentio terminans conceptum secundum ea, quæ habet dependenter à conceptu à se distincto, dicitur 2ª intentio objectiva: è contrà verò sicut natura realis terminans conceptum secundum ea, quæ habet independenter à conceptu à se distincto, dicitur 1ª intentio objectiva; ita genus, Vniversale, & quælibet intentio terminans conceptum secundum ea, quæ habet independenter à conceptu à se distincto, dicitur 1ª objectiva. Hoc notato

XIII. Respondeo negando antecedens; per *intellectum* enim in definitionibus Suppositionum simplicis & personalis positum intelligitur conceptus distinctus à re, quæ ita supponi dicitur: genus verò, species, &c. licèt non sint independenter ab intellectu producente; sumpta tamen secundum proprias definitiones verè sunt independenter à conceptu à se distincto, & ulteriori; unde sunt 1ª intentiones objectivę respectu ulterioris conceptus, licèt materialiter sint 2ª objectivæ, quatenus in se continent 1ªm intentionem formalem.

RESOLVTIO II.

XIV. DIco 2º, objectum formale *quo* Isagoges est ipsa prædicabilitas.

XV. Probatur, quia objectum formale est ratio sub qua objectum materiale consideratur; sed Vniversale, tam simpliciter, quàm personaliter acceptum, consideratur sub ratione prædicabilis, ut vel ex ipsis ejus definitionibus constat; ergo, &c.

RESOLVTIO III.

XVI. DIco 3º, Objectum totale & adæquatum Isagoges est Vniversale simpliciter & personaliter acceptum, ut prædicabile.

XVII. Probatur, quia objectum totale & adæquatum conflari debet ex materiali & formali sub *quo*; sed illud ex utroque conflatur; ergo, &c.

DISPVTATIO PRIMA

De Vniversali in genere.

DVBIVM I.

Quid Vniversale in genere, & quotuplex.

RESOLVTIO I.

XVIII. DIco 1º, Vniversale in genere *est unum & multa*, sive *unum dicens ordinem ad multa*. Ita omnes communiter; ut *homo* respectu *Petri & Pauli*: undè quot modis aliquid est unum multa, sive unum dicens ordinem ad multa, tot modis est Vniversale.

RESOLVTIO II.

XIX. DIco 2º, Vniversale in genere est quadruplex: in causando scilicet, significando, repræsentando, & prædicando: in causando est causa productiva multorum effectuum: in significando est signum significativum multorum effectuum: in repræsentando est actus unus intellectus repræsentativus multorum entium: verùm cùm hæc non sint Vniversalia ad mentem Philosophorum, prout scilicet Vniversale opponitur singulari,

ad institutum præsens non pertinent, nec de illis ampliùs erit sermo; sed de Vniversali in prædicando, sive affirmando dumtaxat. Pro quo sit

DVBIVM II.

Quid sit Vniversale in prædicando sive logicum.

Resolutio I.

xx. Dico 1°. Vniversale in prædicando latè sumptum *est ens unum aptum prædicari de multis cum sui multiplicatione*, abstrahendo à conditionibus infra adferendis: juxta hanc autem definitionem entia rationis strictè, vt *chimæra* respectu *hujus & hujus chimæræ*; æquivoca, *ut canis* respectu *canis cælestis & terrestris*; entia incompleta, ut *anima* respectu *hujus & hujus animæ*; entia per accidens, ut *populus* pro gente respectu *hujus & hujus populi*; complexa, ut *homo albus* respectu *hujus & hujus hominis albi, &c.* sunt Vniversalia.

Resolutio II.

xxi. Dico 2°. Vniversale in prædicando sive Logicum strictè & juxtà mentem Philosophorum sumptum *est ens reale, completum, unum voce, re & significatione, aptum prædicari de multis divisim, & cum sui multiplicatione.*

xxii. Per ly *reale*, id est, reipsâ existens, vel potens existere, exclude entia rationis strictè, uti est *chimæra* respectu *hujus & hujus chimæræ.*

xxiii. Per ly *completum* (saltem Physicè) exclude partes essentiales Physicas, uti est *anima, corpus, &c.* & integrales, uti est, *pes, manus &c.*

xxiv. Per ly *unũ voce* exclude voces complexas non habentes unam significationem, sive omnes voces complexas voce & significatione. Vti est *animal rationale* respectu *hujus & hujus animalis rationalis.*

xxv. Per ly *unum re & significatione* (quæ vix, aut nihil differunt) exclude artefacta, uti est, *domus*: aggregata per accidens, uti est, *cumulus lapidum*, & nomina collectiva, uti est, *vrbs*, *populus pro gente*; æquivoca, &c.

xxvi. Per ly *aptum prædicari de multis* exclude individuum, quod quatenus unum significatione, de uno tantùm est aptum prædicari, puta verè & non falsò; aliàs certum est individuum prædicari de multis falsò, ut *Petrus* respectu *hujus & hujus Petri.*

xxvii. Per ly *cum sui multiplicatione*, id est, ità ut de multis affirmari possit in plurali numero: exclude Deum respectu Trium Personarum, quia licèt rectè dicatur *Pater est Deus, Filius est Deus, Spiritus sanctus est Deus*, dici tamen non potest *Pater, Filius & Spiritus sanctus sunt Dii.* Idem dic de quolibet toto homogeneo respectu suarum partium, uti est *tota aqua* respectu *suæ partis A & suæ partis B.* quia dici non potest *pars A est tota aqua.*

xxviii. Adde 1°. sub ly *multis* in definitione positum debere subaudiri *realiter*; quia hujus defectu *animal* respectu *hominis & Petri* non est Vniversale; nam cùm homo & Petrus realiter sint una res; ac proindè unum animal, animal de illis non prædicatur tanquam de multis, & cum sui multiplicatione: idem dic de albedine respectu sui ipsius miraculosè existentis in pluribus subjectis.

DVBIVM III.

Quid Vniversale in essendo sive Metaphysicum & an ab Vniversali in prædicando sive Logico distinguatur.

Resolutio I.

xxix. Dico 1°. Vniversale in essendo, sive Metaphysicum est *ens reale, completum, unum, &c. aptum inesse multis cum sui multiplicatione*; ità Aristoteles 7. Metaph. Text. 45.

xxx. Sed difficultas est circà sensum istius definitionis, an v. g. Vniversale Metaphysicum illa multa respiciat, ut ea à quibus separatur, & non, ut ea quibus aptum sit inesse per affirmationem? quæ docet P. Ioannes à S. Thoma q. 3. *de Vniversali* art. 5°. An illa multa respiciat ut aptum illis inesse per simplicem comparationem, & non per compositam sive prædicationem? quæ docent PP. Oviedus & Poncius. An, quod P Comptonus Logicæ disp. 32. sect. 1. natura jam per abstractionem facta una in intellectu, & multiplex à parte rei, sic sit Vniversalis in essendo, ut non sit nisi remotè apta illis inesse per affirmationem? ad difficultatem istam

xxxi. Respondeo, contrà Authores istos, Vniversale illa respicere ut aptum illis inesse proximè per affirmationem sivè prædicationem; quia hoc ipso præcisè, quòd natura est à multis abstracta, est in actu exercito proximè apta prædicari de illis; licèt, sinè comparatione cum illis, intellectus non sit proximè prædicativus illius de illis multis, ut infra Dub. 10. ostendemus; ad Vniversale autem sufficit naturam esse proximè aptam prædicari; intellectum enim esse prædicativum non est de definitione Vniversalis, ut patet. Vndè prædicabilitas proxima extrinseca non est (quidquid Pater Cõptonus) denominatio ab actu reflexo, seu comparativo naturæ universalis secundum identitatem cum particularibus; sed natura abstracta à multis præcisè licèt prædicativitas proxima intellectus, talis denominatio dici possit: sicut enim objectum illuminatum potest esse proximè visibile, licèt visus, clausis palpebris, non sit proximè visivus illius; ita natura abstracta à multis potest esse proximè prædicabilis, licèt intellectus, non comparato objecto ad multa secũdum identitatem, non sit proximè prædicativus illius de multis: quia alia ex parte naturæ prædicabilis, & alia ex parte potentiæ prædicativæ requirũtur; de quo plura infra Dub. 10. & disp. 3. Dub. 3.

Resolvtio II.

xxxii. Dico 2°. Contrà PP. Ioannem à S. Thoma, Oviedum, Poncium, Comptonum & alios, (exceptis nominalibus) communiter, Vniversale in essendo sive Metaphysicum solo nomine distinguitur ab Vniversali in prædicando sive Logico.

xxxiii. Probatur 1°. Vniversale debet esse unũ & multa; multa quidẽ realiter; sed unum unitate cõceptus confusi, sive ità confusè realiter multa repræsentantis, ut intellectui appareant unum, atqui hoc totum utriq; Vniversali convenit, nec eorum quodvis aliud requirit, ergò, &c.

xxxiv. Probatur 2°. Vniversale Metaphysicũ definitur unum aptum inesse multis; sed hæc definitio intelligi debet de inessentia per prædicationem sive affirmationem de multis; ergo Vniversale Metaphysicum solo nomine distinguitur ab Vniversali

sali Logico: probatur consequentia, quia esse unum aptum inesse multis per prædicationem idem est, ac esse unum aptum prædicari de multis, quod est definitio Vniversalis Logici; ergo, &c.

xxxv. Probatur minor, quia intelligi non potest de inessentia multis per inessentiam Physicam, inhæsionem vel similem inexistendi modum antè intellectum & realiter; ergo, &c. Probatur antecedens, quia sicut Vniversale Metaphysicum ut unum non habet esse antè intellectum & realiter; ita nec ut unum potest inesse multis per Physicam inexistentiam, inhæsionem, &c. ac proindè allata definitio intelligi non potest de inessentia multis per Physicam inexistentiam, &c.

xxxvi. Dixi *ut unum*, quia ad Vniversale non sufficit illud inesse multis ut multa; alioqui daretur Vniversale realiter & antè intellectum; nam Vniversale ut multa, est realiter & antè intellectum. Deindè debet Vniversale esse aptum inesse multis cum sui multiplicatione, id est, sic ut in unoquoque multorum sit totum; impossibile autem est, ut Vniversale ut multa sit in quolibet multorum: non enim potest homo v.g. ut Petrus & Paulus, esse totus in Petro tantùm, sicut Petrus & Paulus non possunt esse Petrus tantùm. Vndè parùm mihi probatur quod P. Poncius hîc Disp. 3ª, n. 48. ait, natura Vniversalis Metaphysicè non habet, nec requirit aliam aptitudinem ad existendum in multis, quàm quòd possit dari alia natura sibi similis, quæ possit repræsentari per eandem speciem, quâ repræsentatur ipsa: quod etiam ferè docent P P. Complut. Log. Disp. 3. q. 6. §. 4. non probatur (inquam) quia ibi nulla unitas formalis, sed formalis multitudo; ibi nulla aptitudo formalis ad existendum in multis, sed fundamentalis, quæ sit formalis multitudo; sicut autem multa formaliter dici non possunt unum formaliter, ita nec Vniversale formaliter, sed fundamentaliter tantùm, quod est particula alienans & confundens Vniversale cum Individuis Metaphysicis, quibus simpliciter opponitur. Vndè non satis justè idem P. Poncius infrà n. 58. accusat Nominales dicendo, quòd à communi sensu recesserint, aliter accipiendo Vniversale Metaphysicum, quàm pro multis individuis; quia reverà ab eo omnes recedere tenentur; vel Vniversale Metaphysicum confundere debent cum multis Individuis Metaphysicis, & unum cum multis; quæ tamen essentialiter dicunt divisionem, & unitatis negationem. Hæc verò, non ista, sunt contrà communem sensum. Ex his

xxxvii. Colliges 1º, contrà P P. Compl. Log. Disp. 5. q. 1ª, Vniversale in prædicando non esse proprietatem Vniversalis in essendo; sed vel reipsâ esse ipsum Vniversale in essendo, vel non dari Vniversale in essendo; ac proindè Vniversale Logicum solo nomine distingui ab Vniversali Metaphysico, vel hoc non dari. Quare minus rectè P. Comptonus ista duo Vniversalia esse realiter separabilia.

xxxviii. Colliges 2º, Vniversale formaliter & essentialiter esse Vniversale in prædicando simul & essendo, sicut enim quod Gallis *une espée*, Latinis est essentialiter & formaliter *gladius* & *ensis*; ita quod aliis est natura præcisa formaliter à multis, nobis est formaliter & essentialiter Vniversale in essendo & prædicando: hinc malè P. Oviedus definit Vniversale Metaphysicum unum aptum inesse multis per simplicem comparationem; quia juxta illam definitionem causa respectu diversorum effectuum, albedo respectu diversorum parietum, antè omnem præcisionem formalem, est apta inesse multis per simplicem comparationem, id est, illam referendo ad multa sinè affirmatione: quamobrem tam Vniversale in essendo, quàm prædicando, definiri debet *unum aptum inesse multis per comparationem compositam, sive per affirmationem cum sui multiplicatione.*

DVBIVM IV.

An detur Vniversale formaliter ante præcisionem, sive à parte rei.

xxxix. DIxi 1º, *Vniversale formaliter*, quia dari antè præcisionem, sive à parte rei, Vniversale fundamentaliter, id est, naturam, quæ possit fieri Vniversalis, indubitatum est apud omnes: dari autem etiam formaliter, asseruit Plato, nisi velis Aristotelem 1º Metaph. cap. 6º & 7º, ejusdem cap. 8º imprudenter in eo de suo Professore calumniatum. Item Scotus, nisi cum Merinero suprà per distinctionem (quam Scotistæ vocant formalem ex natura rei) distinctionem nostram formalem rationis intelligas. Denique &. P. Fonseca 5. Metaph. cap. 78. quem sequitur Soncinas.

xl. Dixi 2º, *ante præcisionem* sivè abstractionem, quæ ex communi est triplex; rationis formalis una, aliæ objectiva & formalis ex natura rei. Rationis formalis est cognitio unius non cognito alio ex parte actus confundentis, ut cùm Petrus & Paulus, v. g. considerantur præcisè in ordine ad sensationem & ratiocinationem, non consideratis ex parte actus eorum hæcceitatibus, sive eis non consideratis ut singularibus. Objectiva est cognitio unius non cognito alio ex parte objecti realiter indivisibilis, quam Tract. 1º Disp. 2ª contrà Thomistas fusè impugnavimus, uti & formalem ex natura rei, quæ est cognitio unius non cognito alio ex parte intrinsecorum objecti antè intellectum ex natura rei distinctorum, contrà Scotistas. His autem præmissis, sit

Resolvtio I.

xli. DIco 1º contrà Platonem; non datur Vniversale formaliter antè præcisionem sive à parte rei, quasi individuorum ideæ in communi extrà mentem Divinam existant, ut v. g. homo in communi existens separatim à Petro & Paulo. Ita omnes communiter.

xlii. Probatur 1º ex dictis suprà, contrà Scotistas & Thomistas, quia homo in communi ne quidem distinguitur formaliter antè intellectum, aut objectivè antè vel post intellectum ab individuis humanis; ergo multò minùs realiter. Huc confer absurda contrà utramque sententiam ibi allata.

xliii. Probatur 2º, Vniversale debet esse unum & multa in eadem ratione; sed nihil datur tale antè præcisionem; ergo, &c. Probatur minor, quia quidquid est unũ antè præcisionem, est unum intrinsecè; & quicquid est multa antè præcisionẽ, est multa intrinsecè; sed contradictoriè repugnat aliquid esse unũ intrinsecè & multa intrinsecè in eadẽ ratione; nam indè sequeretur aliquid realiter existẽs esse *non plures homines* v.g. id est, unũ, & *esse plures homines*, id est, multa, quæ sunt apertè cõtradictoria, ergo, &c.

xliv. Probatur 3º, si daretur Vniversale formaliter antè præcisionem sive à parte rei, illud esset realiter Physicè vel modaliter distinctum à singularibus: sed utrumque repugnat, ergo, &c. Probatur minor, quia sic esset Vniversale, & non esset; esset, ut supponitur; non esset, quia non posset de multis

prædicari, sive multis per affirmationem identificari; nam realiter distincta nullo sensu possunt identificari, & identificatio per affirmationem, non est nisi de iisdem realiter; alioqui posset esse vera hæc prædicatio, *Petrus est Bucephalus, creatura est Deus*, ergo, &c.

XLV. Probatur 4°, talis natura separata esset intrinsecè universalis & singularis, sed hoc repugnat, ergo, &c. 1ª pars majoris supponitur; probatur 2ª, quia quidquid realiter existit extrà Deum (cùm id Deus non sit) est creatum, omne verò creatum est singulare: nam creatio, cùm terminari debeat ad aliquid determinatum, & in communi nihil sit determinatum, terminari debet ad aliquid singulare, ergo, &c.

Resolutio II.

XLVI. Dico 2° contrà D. subtilem Scotum, vel potiùs contrà Scotistas communiter; non datur Vniversale hoc sensu formaliter antè præcisionem, quòd detur natura communis ex natura rei, sive antè intellectum distincta ab individuis.

XLVII. Probatur 1° probatione 1ª 1æ Resolut. & maximè Refutatione 6ª suprà contrà distinctionem formalem Scotisticam factâ.

XLVIII. Probatur 2° probatione 2ª 1æ Resolut.

XLIX. Probatur 3°, ex absurdis, quæ fortè & in rigore ex illa, sicut & ex Platonis sententia, sequuntur.

L. Sequitur enim 1°, me esse hîc, & non esse ubicunq; esset id, quod est idem realiter mecum, puta Romæ, ubi esset natura humana mihi realiter identificata; quod, sicut tollit infallibile signum distinctionis realis, scil. separabilitatem localem duorum inter se, ita & omnem distinctionem realem; falsum enim erit illo casu, quòd localiter separabilia erunt realiter distincta, & non realiter eadem.

LI. Sequitur 2°, (quod in idem recidit) me esse naturaliter circumscriptivè in pluribus locis, hîc scilicet, & in loco cujuslibet individui, in quo erit natura mea.

LII. Sequitur 3°, me non posse per Deum annihilari, quin simul omnes creaturæ, & Deus ipse, mecum annihilentur, quod supremo Dei in omnes creaturas Dominio, & Aseitati illimitatæ valde injuriosum est. Probatur sequela, quia non possum annihilari, nisi annihiletur mea hæcceitas (nam sicut creatio terminatur ad hæcceitatem, ità & annihilatio) & hæc annihilari non potest, nisi annihiletur totum quod est idem realiter cum illa, ac per consequens ens, quod est realiter illa, & commune Deo & creaturæ; ac proinde nisi annihiletur Deus & creatura quælibet, quia annihilato eo, quod est realiter idem quod Deus & creatura quælibet, necessariò annihilatur Deus & creatura quælibet.

LIII. Sequitur 4°, eamdem esse humanitatem Iudæ & Christi, beatam & damnatam: eamdem animalitatem Petri & Bucephali: non totam substantiam panis in Eucharistia converti in Corpus Christi (idem dic de substantia vini in Sanguinem) imò nihil, quorum utrumq; est hæreticum: 1ª & 2ª sequela patet. 3æ ratio est, quia panis, qui debet in Corpus Christi converti, secundum gradus substantiæ & entis est idem cum Deo, imò & secundum omnes alios etiam (exceptâ hæcceitate) est idem cum hoc pane, quo vescimur; sed nec Deus, nec hic panis quo vescimur, convertitur in Corpus Christi, aut desinit secundum aliquid sui; ergo nec ille in Eucharistia. Probatur cõsequentia, quia aliàs desineret, & non desineret: desineret, ut fides habet; non desineret, quia secundum gradus substantiæ & entis in Deo, & etiam secundum cæteros in manibus manducantis remaneret.

LIV. Nec dicas, humanitatem & gradus substantiæ ac entis in hoc pane esse quidem communes ex natura rei, & antè intellectum præcisè; non verò realiter (quod omnes istæ sequelæ supponunt) sed realiter identificari, uni individuo. Ne id dicas, inquam, quià imprimis, cur potiùs uni, quàm alteri? Deindè, quæ sunt antè intellectum distincta, sunt realiter distincta. 3°, ista realiter retinent distinctionem ex naturâ rei formalem ab hæcceitate, quam habent, quià illis identificata, ergò sunt realiter communes. 4°, Iudas v. g. vel hic panis, realiter nihil est distinctum ab omnibus gradibus Metaphysicis ex natura rei inter se distinctis: ergò secundum illos ex naturâ rei inter se distinctos est realiter; alioqui secundum nihil sui esset realiter. 5°, reale non rectè dividitur in propriè reale & impropriè reale, quod ferè est unicum Scotistarum refugium. Hæc habes fusè probata in Refutationibus contrà distinctionem Scotisticam.

Resolvtio III.

LV. Dico 3°, contrà Fonsecam, non datur antè præcisionẽ sive à parte rei Vniversale formaliter, hoc sensu, quod natura humana v. g. in puncto æternitatis, quo Deus fuit indifferens ad volendum vel nolendum creare mundum, fuerit etiam indifferens ad hoc potiùs individuum, quàm ad aliud, ac proindè universalis antè præcisionem; quia scilicet tunc erat una in se, & apta contrahi ad plura individua per plures hæcceitates contrahentes & determinantes. Quod ut magìs declarem,

Nota P. Fonsecam lib. 5, Metaph. c. 18. Sect. 2. & l. 7. c. 12. q. 2. tres in naturâ status cõsiderare, cõtrahibilitatis realis ad individua, cõtractionis & præcisionis ab individuis per intellectũ. Hoc autẽ notato,

LVI. Probatur 1°, quia intelligi non potest, quid sit illa indifferentia antè præcisionem: vel enim est quidpiam realiter, objectivè vel formaliter antè intellectum, distinctum ab hæcceitatibus, vel non?

LVII. Si affirmet P. Fonseca quoad 1um, sentit cum Platone, & eodem modo impugnandus: quoad 2um, sentit cum Thomistis, & eodem etiam modo infra impugnandus: quoad 3um, sentit cum Scotistis, &, ut illi suprà, impugnandus.

LVIII. Si neget, ergò antè præcisionem est realiter, objectivè & formaliter sinè ulla indifferentia, vel unitate, multa individua; quod contra ipsum & alios contendimus; & evidens est, quia quæ vt realia sunt realiter eadem, sunt ut possibilia possibiliter eadem.

LIX. Probatur 2°, natura humana in illo priori vel est ens vel non ens? si ens; quî hoc? cùm, sicut ens non est pro illo priori productum, ità pro illo priori à Deo non pendeat, & tamen nullum datur ens antè intellectum à Deo non pendens: si non ens; ergò non est universalis; quia non ens non est commune univocum entibus, uti debet esse Vniversale.

LX. Respondebis esse ens possibile. Infero, ergò est individuum determinatum possibile; quia nihil est possibile antè præcisionem, quod non sit hoc individuum determinatum possibile: sicuti nihil est realiter

realiter existens, quod non est hoc individuum determinatum realiter existens.

LXI. Adde, eodem modo rejiciendam unitatem essentiæ & aptitudinem ad existendum in multis, quam docet Francis. de Raconis in Porph. naturam habere antè singularium existentiam. Ad quæstionem verò, quâ petit, undè natura habeat multiplicitatem antè singularium existentiam; facilè respondetur, quòd, sicut illa tunc est possibilis tantùm; ità multiplicitatem habeat à singularibus possibilibus, quibus non minùs in statu possibili identificatur, quàm in statu reali.

Resolvtio iv.

LXII. Dico 4°, non datur hoc sensu Vniversale formaliter antè præcisionem, quòd multa singularia ut formaliter in aliqua ratione similia antè præcisionem sint unum similitudine formali, & multa reipsâ. Est contrà nonnullos Recentiores, qui ob hanc sententiam similitudinarii dicti sunt. Item & contrà RR. PP. Complut. Log. Disp. 3. q. 2. & Ioannem à S. Thoma. q. 3. de Vniversali secundum se, art. 3°, videnturque Oviedus, Arriaga, Comptonus & alii admittentes aliquam similitudinem formalem à parte rei inter duo (de quo suprà Tract. 1°, disp. 2. dub. 5°,) in illam sententiam, velint, nolint, incidere.

LXIII. Probatur, quia non datur antè præcisionem sive à parte rei talis similitudo; ergò nec Vniversale formaliter allato sensu; consequentia manifesta est: probatur antecedens, quia sicut singularia sunt à parte rei inter se sinè ulla identitate summè distincta; ita sunt à parte rei inter se sinè ulla similitudine summè dissimilia; quia, ut suprà loco citato probatum est contra P. Arriagam, in eodē indivisibili objectivè prædicato fundatur dissimilitudo & distinctio, puta in hæcceitate, ergo, &c.

LXIV. Confirmatur 1°, similitudo illa esset secundum gradus Metaphysicos antè intellectum ab hæcceitatibus distinctos, aut secundum hæcceitates, quæ sunt antè intellectum ipsa præcisa ratio differendi: atqui omnem distinctionem antè intellectum inter gradus Metaphysicos involvere contradictionem fusè suprà loco citato ostendimus, ergò 2um dici debet, ex quo habemus intentum.

LXV. Confirmatur 2°, Vniversale antè præcisionem debet esse unum antè præcisionem; sed omninò repugnat similia esse unum antè præcisionem; ergo, &c. major patet: probatur minor; quia similia antè præcisionem, utpote unum & alterum antè præcisionem, debent esse aliquo modo distincta antè præcisionem: sed quæ sunt aliquo modo distincta antè præcisionem, utpotè objectivè indivisibiliter hoc & hoc, sunt summè distincta, ac proindè nullâ ratione unum antè præcisionem; ergo, &c.

LXVI. Dices, summè distincta non sunt summè dissimilia, ergò licèt hoc & hoc sint summè distincta, non sunt tamen summè dissimilia: probatur antecedens, quia datur distinctio inter substantias; dissimilitudo verò & similitudo inter solas qualitates, juxà illud Aristotelis in prædicamentis, *Illa sunt formaliter similia, quorum qualitas est una*, ergò, &c.

LXVII. Respondeo negando antecedens ex sæpè dictis Tract. 1. disp. 2. Dub. 5°. Ad ejus probationem, Respondeo ut suprà, dissimilitudinem confundi cum distinctione, & similitudinem cum identitate; ac proindè illam non minùs inter substantias reperiri, quàm hanc, præsertim cùm docturi simus in Physica, substantiam posse intendi & remitti: numquid enim duo homines v. g. Petrus & Paulus dicuntur similes in ratione hominis, idque, quia iidem in illa ratione? omninò: duo tamen homines in ratione hominis sunt substantiæ. Vndè ubicumque est identitas, sicut unum est aliud, ità unum est sicut aliud, quod est esse simile. Deindè sicut Petrus potest esse idem secundum substantiam cum Paulo, quidni & secundum albedinem? v. g. potest enim esse idem cum alio secundum accidens, sicut potest esse distinctus ab alio secundum accidens: Petrus verò ut idem cum Paulo secundum albedinem, dicitur esse albus, sicut Paulus, ac proindè similis; ergò debet confundi similitudo cum identitate. Denique quis neget, duos homines plerumque dici similes, & simile sibi generare simile, imò generationem substantialem ab Aristotele definiri sic: *Origo viventis à vivente in similitudinē naturæ?* Quis etiam neget, æqualia juxtà Aristotelem esse *ea, quorum eadem est quantitas?* puta, sive molis sive virtutis & perfectionis, ut substantias & qualitates cōprehendas sub æqualibus, prout sub quantis comprehenduntur; si verò æqualium eadem quantitas: quidni eorumdē æqualis substantia? Vndè in Symbolo Athanasii dicitur, *Totæ Tres Personæ coæternæ sibi sunt & Coæquales*; si autem eorumdē æqualis substantia, quidni similium æqualis & eadem qualitas?

LXVIII. Ad effatum autem ex Aristotele, respondeo hunc esse sensum; *Illa sunt formaliter similia, quorum qualitas est una* præcisivè formaliter, sive per præcisionem formalem, non autem quorum qualitas est una antè præcisionem formalem: quia talis unitas, uti Resolutione 2ª & 3ª ostendimus, omninò repugnat, plurimaque secum absurda trahit.

Instabis, si rusticum de tritico & tritico ejusdem aristæ interroges, an sint similia nec ne? statim respondebit esse similia; non quidem post intellectum tantùm; quia nescit, quid sit esse simile post intellectum; ergò antè intellectum, sive antè præcisionem formalem.

LXIX. Respondeo 1°, rusticum, quià rudis est, sæpè rusticiter errare, si enim petas ab ipso, an Petrus sit homo, dicet quod sic, idque antè intellectum, propter rationem tuam allatam; quod tamen in rigore esse falsum, suprà Tract. 1. disp. 1. n. 30. ostendi.

LXX. Respondeo 2°, distinguendo, statim respondebit esse similia fundamentaliter, quia scilicet secundum extrinseca sunt uno conceptu confusibilia, prout tunc ea confundit & in actu exercito sive implicitè scit, quid sit esse similia fundamentaliter, concedo; formaliter, nego: quia reverâ ignorat quid importet hic terminus *formaliter*. Ex his sit

Corrolarium Dubii.

LXXI. Colliges, non tantùm non dari antè præcisionem formalem naturæ unitatē positivam communem multis, secundum quam scilicet sit proximè de multis prædicabilis; sed neque contra Radam, Merinerum, Caietanum de Ente & Essentia cap. 4. q. 6. Sotū q. 2. de Vniversi. Complut. log. disp. 3. q. 3. n. 26. &c. negativam, secundum quam natura habeat, quòd sit non singularis

antè

antè intellectum & præcisionem ; quia iisdem omninò argumentis hæc unitas negativa improbari debet, quibus positivam & universale formaliter antè præcisionem suprà n. 47. 56. & seq. impugnavimus ; imò sicut illa unitas negativè communis multis, tribui non potest hæcceitati ; ità nec tribui potest naturæ ; item sicut illa habet positivam repugnantiam ut sit in pluribus ; ità & natura ; horum autem ratio sumitur ex dictis Tract. 2. disp. 2. contra Scotistas & Thomistas ; nempe, quòd natura & hæcceitas naturæ sint formaliter & objectivè idem: deindè illa unitas negativa communis est de quidditate ipsius naturæ, vel non ? si prius, ergò reperitur ipsa, & consequenter multiplicabilitas ipsi identificata in quolibet singulari ; quòd repugnat haud secus quàm naturam in quolibet singulari existentem de facto multiplicari : si posterius, ergò haberi debet per aliquid à natura distinctum, quod aliud esse non potest quàm ipsa præcisio. Vndè optimè ad rem nostram D. Thomas Opusc. 56. *Habilitas essendi in pluribus, non est de essentia hominis ; quia tunc homo, qui est in forte, esset habilis ad participationem plurium, quod est impossibile.* & 4°. cap. de ente & essentia : *Relinquitur ergò quod ratio speciei accidat naturæ humanæ secundum illud esse, quod habet in intellectu.*

DVBIVM V.

An saltem post præcisionem detur vniversale formaliter, & Quale.

LXXII. DVbium procedit de duplici Vniversali, Reali scilicet sumpto pro naturis rerum, & Nominali seu rationis, sumpto scilicet pro nominibus seu vocibus & conceptibus. Contendunt quidam tantùm naturas reales esse universales formaliter post præcisionem ; ità Plurimi Recentiores, qui ideò Reales dicti sunt. Contendunt alii conceptus & voces tantùm esse universales ; ità Nominales communiter, qui ideò Nominales dicti sunt. Hoc præmisso sit

RESOLVTIO I.

LXXIII. DIco 1°. post præcisionem datur Vniversale formaliter. ita omnes unanimiter.

LXXIV. Probatur, quia ad Vniversale formaliter, ut suprà vidimus, & infrà fusiùs probabitur, nihil requiritur præter unitatem extrinsecam præcisionis formalis, & pluralitatem singularium ; sed hoc totum habetur post præcisionem, ergò, &c.

RESOLVTIO II.

LXXV. DIco 2°. cum Nominalibus, voces & conceptus sunt universales formaliter in significando, repræsentando & prædicando.

LXXVI. Probatur 1ª pars, quia ad universale in significando solùm requiritur unitas vocis significantis & multitudo significatorum ; sed id reperitur in voce una *homo*, nam significat Petrum, Paulum, &c. probatur minor, quia rectè dicitur Petrus est *homo*, id est *Petrus est vocatus voce significante Petrum, Paulum &c.* ergo &c.

LXXVII. Dices, vox *homo* est singularis, & *hoc* ; quia aliàs pronuntiari non posset: ergo non est universalis ; quia universale & singulare opponuntur.

LXXVIII. Respondeo distinguendo antecedens, vox *homo* est singularis secundum entitatem, & secundum entitatem non est universalis, concedo antecedens ; est singularis in ratione signi, seu secundum denominationem & significationem, & secundum rationem illam sive in significando non est universalis, nego antecedens : verè enim ut sic opponitur singulari v. g. voci *Petrus*, quæ, & secundum entitatem, & secundum denominationem est quidpiam singulare : eodem modo resolve, quod objici posset contrà conceptus.

LXXIX. Probatur 2ª pars, quia ad Vniversale in repræsentando solùm requiritur unitas conceptus repræsentantis & multitudo repræsentatorum : sed id reperitur in conceptu hominis ; nam repræsentat confusè Petrum, Paulum, &c. ergò &c. probatur minor, quia rectè dicitur *Petrus est conceptus* conceptu repræsentante Petrum, Paulum, &c.

LXXX. Probatur 3ª pars: ex Aristotele 1°. de interpret. cap. 5°. Vniversale in prædicando est *quod de multis aptum est prædicari*, id est, affirmari ; sed voces & conceptus sunt apta de multis affirmari, ergò, &c. probatur minor, vox *homo* affirmatur de Petro, Paulo, &c. conceptus hominis affirmatur de Petro, Paulo, &c. ergò, &c.

LXXXI. Dices, falsa est hæc prædicatio, *vox Petrus est vox homo : cõceptus Petri est cõceptus hominis*, ergò nec *vox homo*, nec *conceptus hominis* sunt apta affirmari de multis ; probatur antecedens ; quia tam illæ voces, quàm illi conceptus, distinguuntur realiter ; realiter verò distincta nequeunt de invicem affirmari, ergò, &c.

LXXXII. Respondeo distinguendo antecedens, falsa est hæc prædicatio, *vox Petrus est vox homo ; conceptus Petri est conceptus hominis*, si vox sumatur materialiter pro suis litteris, & conceptus pro sua entitate, concedo antecedens ; si utrumq; sumatur pro rebus ut significatis & repręsentatis, nego antecedens ; vel sic, si utrumque sumatur secundu entitatem, concedo antecedens ; si in ratione signi & secundum denominationem & significationem, nego antecedens : sic autem debent accipi ; quia significata prædicantur secundum identitatem & *ut quod* ; voces verò secundum attributionem & *ut quo* tantùm, sive ut instrumenta quibus res ipsas prædicamus ; nec alio sensu intelligi possunt Summulistæ, qui communiter dicunt prædicatum propositionis, sive mentalis, sive vocalis, posse sumi formaliter ; propositionem verò sive mentalē sive vocalē esse veram propositionē, probari potest ex ipsomet Aristotele. Antè-prædic. cap. 6°. ubi ait: *Ea, quæ sine cõplexione dicuntur, significare* (quod est proprium vocum) *substantiam aut quantum, &c.*

LXXXIII. Instabis, si voces pro rebus significatis, & conceptus pro rebus repræsentatis sumptæ tantùm, affirmentur de multis ; jam ut voces & conceptus non erunt universales ; sed res significatæ tantùm & repræsentatæ, vt docent Reales ; ergò, & ut voces pro suis litteris, & ut conceptus pro sua entitate debent posse de multis affirmari, vel non sunt universales in prædicando.

LXXXIV. Respondeo distinguendo majorem, si voces, &c. jam ut voces & conceptus non erunt Vniversales *ut quod* & secundum entitatē, concedo antecedens : *ut quo* & secundum denominationem & significationem, nego antecedens : cùm enim ex communi modo loquendi Summulistarum plerumque dicatur prædicatum propositionis, tam vocalis, quàm

lis, quàm mentalis sumi formaliter, propositionem vocalem & mentalem esse veras propositiones, & de essentia propositionis sit prædicatum. Item cùm prædicament. cap. 6°. Aristoteles dicat, *Ea quæ sinè complexione dicuntur, significare substantiã aut quantum, &c.* & significare sit proprium vocum & conceptuum, signum est quòd voces certo sensu verè prædicentur; sed nõ prædicantur *ut quòd* & secundum entitatem, ut vidimus, ergò *ut quo*, secundum denominationem & significationem.

LXXXV. Vrgebis, numquam prædicatur eadem vox vel conceptus de pluribus, etiam *ut quo*, ergò solutio nulla: probatur antecedens saltem quoad vocem, quia cùm vox sit sonus transiens, non potest poni in pluribus propositionibus, quod requiritur, ut vox possit prædicari de pluribus *ut quo*, ergò, &c.

LXXXVI. Respondeo distinguendo antecedens, numquam prædicatur eadem vox vel conceptus secundum entitatem de pluribus, etiam *ut quo*, & secundum denominationem, concedo ant. quia id non requiritur, ut patebit ex dubio sequenti: non prædicatur eadẽ secundum denominationem, nego ant. quia licèt eadem numero vox, cùm sit sonus transiens, nõ possit secundũ entitatẽ naturaliter poni in pluribus propositionibus vocalibus, & cõsequenter non possit eadẽ secundũ entitatẽ prædicari de multis, potest tamen eadẽ secundum denominationem: potest enim denominare ea, quæ in diversis propositionibus ponuntur, quod sufficit; nec aliter fit in prædicatione naturæ Vniversalis de inferioribus; nam illa, quæ prædicatur, numquam est eadem secundum entitatem ex parte objecti; quia ex parte objecti, non datur una secundum entitatem natura communicabilis multis; sed eadem secundum esse denominatum & ex parte actus confusi dumtaxat. Ex his

LXXXVII. Colliges 1°. voces & conceptus optimè dici genera, species, differentias, &c. *ut quo* & secundum denominare, licèt *ut quod* & secundum entitatem tales dici non possint.

LXXXVIII. Colliges 2°. contrà plerosque Nominalium, dici non posse, voces & conceptus ità esse Vniversales, ut solæ voces, &c. sint Vniversales, & nõ res; nam numquam verè de multis affirmantur ratione suæ entitatis, sed ratione suæ denominationis, quæ non solas voces & conceptus denominantes afficit, sed & res denominatas; quod fortè movit Anselmum lib de Incarn. Verbi cap. 2. ad dicendum; *Sunt commonendi illi utique nostri temporis Dialectici, imò Dialecticæ Hæretici, qui quidem, nonnisi flatum vocis putant esse Vniversales substantias.*

Resolvtio III.

LXXXIX. Dico 3°. cum Realibus, etiam res seu naturæ reales sunt Vniversales formaliter in prædicando ut denominatæ à præcisione Vniversalificante.

LXXXX. Probatur, quia juxtà Aristotelem suprà, Vniversale est unum aptum prædicari sive affirmari de multis; sed res ut sic sunt aptæ affirmari de multis *ut quod*, ergò, &c. probatur minor; quia denominatum sive significatum hujus vocis *homo* verè affirmatur de Petro, Paulo, &c.

LXXXXI. Confirmatur 1°. debet assignari aliquod Vniversale aptum affirmari de multis *ut quod*: sed nec voces, nec conceptus secundum entitatem sunt tales, ut vidimus suprà n. 83. nec est aliud assignabile, quàm res ut sic, ergò, &c. Probatur major, quia solum Vniversale *ut quod* est propriè Vniversale, & Vniversale *ut quo* nõnisi impropriè & instrumentaliter, ergò, &c.

LXXXXII. Confirmatur 2°. ex Aristotele cap. de substant. *Eorum quæ de subjecto dicuntur, necesse enim & nomen, & rationem* (, id est, naturam sive nominis substantiam, ut à simili constat ex definitionibus univocorum & æquivocorum) *de subjecto prædicari*, nomen quidẽ *ut quo* juxtà Resolutionẽ 1ᵃᵐ; rationem verò *ut quod* juxtà hanc Resolutionem. Item ex eodem cap. 5. de interpret. ubi sic habet, *Quoniam autem rerum aliæ* sunt *Vniversales, aliæ singulares*, ergò, &c.

LXXXXIII. Objicies 1°. Vniversale debet esse unum & multa in eadem ratione; sed res non possunt esse tales, ergò, &c.

LXXXXIV. Respondeo distinguendo minorem: sed res non possunt esse unum unitate intrinsecâ & numerali, & multa multitudine intrinsecâ & numerali, concedo minorem; id enim contradictoriè repugnat, ut patet: non possunt esse unum unitate extrinsecâ & præcisionis denominantis, & multa multitudine intrinsecâ & numerali, nego minorem: quia in eo nulla contradictio.

LXXXXV. Instabis, illa unitas extrinseca non est rei, sed conceptus, ergò res ratione illius non erunt unum, ac per consequens, nec quidpiam Vniversale.

LXXXXVI. Respondeo distinguendo antecedens: illa unitas non est rei denominativè extrinsecè & separabiliter, nego assumptum; hoc autem ad Vniversale sufficit: intrinsecè & inseparabiliter, concedo assumptum; neque hoc ad Vniversale necessarium est.

LXXXXVII. Objicies 2°. passim dicitur prædicatum propositionis sumi distributivè, determinatè, &c. non licere procedere à non distributo ad distributum ex parte prædicati: prædicatum sumi æquivocè, &c. sed hæc conveniunt solis vocibus, ergò, &c.

LXXXXVIII. Respondeo distinguendo minorem; sed hæc conveniunt solis vocibus *ut quo*, & secundum denominare, concedo; *ut quod* & secundũ denominari nego, ut antè: acceptiones enim illæ non sunt materiales, sed formales.

DVBIVM VI.

Per quam præcisionem Natura fiat Vniversalis formaliter.

LXXXXIX. Antè Resolutionem, ad majorem distinctionem oppositę Sententiæ, (quæ alioqui satis obscura est) & clariorem illius refutationem, Suppono, præcisionem ab Authoribus dividi in formalem & objectivam, juxtà dicta Dub. 4°. Hoc supposito sit

Resolutio I.

C. Dico 1°. Natura non fit Vniversalis formaliter per præcisionẽ objectivam. Est contrà Thomistas & è Societate plurimos.

CI. Probatur, quia hæc sententia supponit dari præcisiones objectivas, quas suprà implicare ostẽdimus, ergò, &c.

Confirmatur à fortiori ex conclusione sequenti.

Reso-

Resolutio III.

CII. Dico 2°. etiam gratis concesso, quòd dentur præcisiones objectivæ, natura non fit Vniversalis per præcisionem objectivam. Est contrà Thomistas, Suarem, præsertim disp. 6. Metaph. Sect. 3. & 5. Conimbricenses, Rubium, Comptonum, &c.

CIII. Probatur 1°. quia gratis concessis præcisionibus objectivis Naturæ humanæ à Petreitate, & naturæ humanæ à Pauleitate, non statim sequitur à Petro & Paulo posse præscindi naturam objectivè unam, de Petro & Paulo univoce prædicabilem, illisque realiter identificatam, quæ ad Vniversale concurrunt, ergò &c.

CIV. Probatur assumptum pro 1ª. parte, quia natura objectivè una, debet esse intrinsecè & ex parte objecti, prout objectum condistinguitur contrà actum, una, ut Tract. præcedenti contrà Thomistas probatum est; & alioqui non esset nisi vna omninò extrinsecè, & ex parte actus, ut patet; neque alioqui, dum per præcisionem natura concipitur sinè hæcceitatibus, ly *sinè* se teneret præcisivè ex parte objecti; sed ex parte solius actus præscindentis, vt contendimus; atqui, etiam gratis concessis præcisionibus objectivis naturæ humanæ à Petreitate & naturæ humanæ à Pauleitate, illæ duę naturæ per præcisionem formalem non sunt intrinsecè & ex parte objecti, prout objectum condistinguitur contrà actũ, una; quia præcisio intellectualis nihil mutat in te objectivè: ergò &c. si verò dicas, fuisse unã objectivè ante præcisionem; semper fuerit & erit una objectivè; quia nihil objectiuè indistinctum potest plurificari per aliquid objectivè à se distinctum; *quia idem manens, semper manet idem*: id autem esset ponere Vniversale à parte rei, ergo, &c.

CV. Nec dicat P. Comptonus Logic. Disp. 30. Sect. 6ª. unitatem naturæ Vniversalis non fieri, illi quidpiam appingendo, sed solùm aliquid naturæ intrinsecum præcisivè intentionaliter, sivè per actum præcisivum, tollendo: quia reverà non satis intelligitur, quid sit aliquid naturæ intrinsecum præcisivè intentionaliter tollere: vel enim supponit in natura aliquid & aliquid intrinsecum, vel non? etsi primum detur, quandoquidem id, quod est intrinsecum uni, non sit intrinsecum alteri, ut patet, non dabit vnitatem intrinsecam communè multis: si secundum, vel nobiscum loquitur, vel non satis intelligi potest quid velit. Deindè per actum præcisivum tolli aliquid intrinsecum, est per aliquid extrinsecum tolli aliquid intrinsecum, sive per extrinsecum mutari intrinsecè, quod æquè inintelligibile est, ac mutari extrinsecè, esse mutari intrinsecè.

CVI. Probatur assumptum pro 2ª. parte, quia natura objectiuè una de Petro & Paulo verè & univocè affirmabilis, debet esse objectiuè Petrus & Paulus: atqui nihil est objectivè Petrus & Paulus, magis quàm Petrus & Paulus sint intrinsecè unum, quod indè sequeretur, quia *Quæcumque sunt eadem uni tertio intrinseco, sunt eadem inter se intrinsecè*. ergò &c.

CVII. Probatur assumptum pro 3ª. parte, quia omnis identificatio per mentem, sive vera & vnivoca affirmatio unius de alio, præsupponit identitatẽ realem prædicati cum subjecto; *Ab eo enim, quod res est*, juxtà Arist. *affirmatio est vera & univoca*, alioqui vera & univoca esse posset affirmatio *Petrus est Bucephalus; arbor est Bucephalus*. ergò, &c.

CVIII. Confirmatur, etiam gratis datis præcisionibus objectivis, natura post præcisionem objectivam est objectivè totuplex, quotuplex erat antè; atqui antè erat totuplex, quotuplicia individua, ergò & post; ac proindè illa ut objectivè præcisa, non potest esse vna unitate Vniversali. Consequentia & minor patent: probatur major; quia præcisio mentalis superveniens nihil mutat objectivè, ut Tract. præcedenti probatum est; & aliundè non mutatur, ergò, &c.

CIX. Objicies fortè 1°. si gratis concedantur præcisiones objectivæ, necessariò admittenda est unitas naturæ Vniversalis objectivè ab individuis præcisa, ergò, &c. Probatur assumptum, quia sicut natura potest objectivè præscindi ab hæcceitate hujus individui, sic scilicet ut natura concipiatur, non conceptà hæcceitate (puta præcisivè & non negativè, quia sic Petrus concipitur ut homo, ut tamen negari non possit esse hic homo) ità potest objectivè præscindi ab hæcceitatibus plurium individuorum; quo casu non est ratio, cur minùs habeat unitatem objectivam naturæ Vniversalis, quàm natura secundum nostram sententiam à Petro & Paulo præcisa, ergò, &c.

CX. Respondeo negando assumptum; ad ejus probationem, Respondeo esse disparitatem in eo, quod in nostra sententia unitas naturæ Vniversalis, sit omninò objecto extrinseca, prout extrinsecum opponitur intrinseco, & formalis prout formale opponitur objectivo: in illa autem sententia unitas naturæ Vniversalis debet esse intrinseca, saltem præcisivè, & non negativè; intelligi verò non potest, quid sit illa unitas naturæ Vniversalis intrinseca præcisivè, & non negativè, prout condistinguitur contrà purè extrinsecam & formalem (quam nostra sententia adstruit) præter unitatem formalem Scotisticam, antè intellectum, sivè ex natura rei à singularibus distinctam, quam dubio 4°. Resolut. 2ª. contrà Scotistas rejecimus, & ab Vniversali rejiciendam ostendimus.

CXI. Objicies 2°. ex P. Comptono Log. disp. 30, Sect. 4ª. objectum actus Vniversalificantis est natura abstracta à differentiis individuantibus; sed natura sic concepta est indistincta, ergò una.

CXII. Confirmatur ex eodem ibidem Sect. 6. natura, in qua nulla relucet diversitas, non est respectu intellectus multiplex, aut diversa; sed admissis præcisionibus objectivis, nulla in natura humana relucet diversitas, cùm actus abstrahens præscindat intentionaliter naturam ab omni differentia, ergò in natura præcisa, nulla relucet diversitas. Ita ille, quibus subdit, *Admissis præcisionibus, non video quid horum negari possit*.

CXIII. Respondeo distinguendo minorem, sed natura sic cõcepta est indistincta ex parte objecti, sive objectivè, nego minorẽ; quia licèt ex eo, quòd gratis cõcedamus præcisiones objectivas in eodẽ individuo, natura sit indistincta ex parte unius individui & ut unius individui; non ideo tamen est indistincta ex parte plurium individuorum, & ut plurium individuorum, prout esse deberet, ut quidpiam contra nostram Resolutionem obineretur. Imò contra illam nil obtinetur per hoc quòd demus naturam Petri esse objectivè distinctam à Petreitate, & naturam Pauli à Pauleitate; quia cum eo stat, quòd sint duæ naturæ inter se objectivè & realeter sine ulla unitate communi distinctæ. Quod autem

autem Doctissimi PP. Complutenses Log. Disp. 3. q. 3. n. 29. docent naturas illas non esse formaliter divisas, sed materialiter tantùm, numericè & realiter, nil obstat: quia, licèt dici possent formaliter negativè indivisæ ex parte objecti, dici tamen non possunt formaliter positivè indivisæ ex parte objecti, quæ indivisio requiritur, ad hoc ut natura fiat Vniversalis per præcisionem objectivam, prout condistinguitur contra formalem Nominalium. Ex parte actus, sive formaliter abstractione omninò extrinsecâ objecto, concedo minorem: abstractio enim duas naturas attingit, sed ità confusè, ut non distinguat, an sint duæ, vel una.

CXIV. Ad Confirmationem, Respondeo; transeat totum, quia non ideò natura statim est unac communis multis, ut patebit Dub. 8°, eò quòd in ea non reluceat diversitas, sed tantùm sequitur, quòd non sit hæc. Deindè quæro, an ly *nulla diversitas* se teneat ex parte actus; an ex parte objecti, ut contrà actum distinguitur. Si 1^{um}, unitas non est objectiva; si 2^{um}, unitas esse debet intrinseca & intrinsecè communis multis, quod impugnamus.

Resolutio III.

CXV. Dico 3°. natura sit Vniversalis per abstractionem, seu præcisionem formalem.

CXVI. Probatur 1°. Refutatione oppositarum sententiarum.

CXVII. Probatur 2°: quia per illam præcisionem formalem habetur totum, quod ad Vniversale requiritur, unitas scilicet per intellectum, de qua dubio sequenti, & multitudo à parte rei.

DVBIVM VII.

Quam unitatem habeat Natura Vniversalis.

ANtè Resolutionem

CXVIII. Suppono 1°. omnes, qui asserunt distinctionem naturæ à singularibus objectivam formalem, prout opponitur fundamentali objectivæ, partim esse intrinsecam formalitatibus, quæ post intellectū formaliter objectivè distingui dicuntur, & partim extrinsecam ratione actus distinguentis, quem connotat, & essentialiter in obliquo importat; consequenter asserere debere, unitatem naturæ Vniversalis objectivam formalem prout opponitur fundamentali objectivæ, partim esse naturæ Vniversali intrinsecam, partim extrinsecam, ratione actus confundentis multa per modum unius, quem connotat, & essentialiter in obliquo importat. Sequela tenet à pari.

CXIX. Suppono 2°. omnes alios, qui dicunt distinctionem naturæ à singularibus objectivam formalem, prout opponitur fundamentali, esse totam intrinsecam naturæ in ordine ad connotatum extrinsecum, actum scilicet distinguentem, sic nempè, ut antè hunc actum, sit quidem tota intrinseca illis secundum entitatem, non verò secundum formalitatem sive denominationem præcisè distinctionis objectivæ; similiter dicere debere unitatem naturæ Vniversalis objectivam formalem, prout opponitur fundamentali, esse totam intrinsecam naturæ Vniversali, in ordine ad connotatum extrinsecum, actum scilicet confundentem multa per modum unius, sic nempè, ut antè hunc actum, sit quidem tota intrinseca naturæ Vniversali secundumentitatem, non verò secundum formalitatem, seu denominationem præcisè unitatis objectivæ. Sequela tenet à pari.

CXX. Suppono 3°. Plerosque Thomistas, qui volunt distinctionem objectivam formalem, prout opponitur fundamentali, esse totam intrinsecam formalitatibus objectivè distinctis per resultantiam post actum objectivè distinguentem; eodem modo velle debere, unitatem naturæ Vniversalis formalem, prout opponitur fundamentali, esse totam intrinsecam naturæ Vniversali per resultantiam post præcisionem objectivam. Sequela etiam tenet à pari. His suppositis, sit

Resolutio I.

CXXI. Dico 1°. etiam gratis concesso, quòd dentur præcisiones objectivæ, natura Vniversalis non habet unitatem objectivam formalem, prout opponitur fundamentali, partim sibi intrinsecam, & partim extrinsecam, ratione actus intellectus confundentis multa per modum unius, quē connotat, & essentialiter in obliquo importat.

CXXII. Probatur 1°, quià, ut patet ex Resol. 2°. dubii præcedentis, præcisiones objectivæ ad talem unitatem nihil juvant, & Vniversalis unitas, quâ parte intrinseca naturæ Vniversali, sive objecto conceptus Vniversalificantis, satis improbatur ex ibidem dictis, ergò, &c.

CXXIII. Probatur 2°: quià illa unitas, quâ parte intrinseca, deberet esse realiter eadem cum Petro, Paulo & cæteris individuis humanis; sed hoc dici non potest, ergò, &c. Probatur major, quia deberet posse affirmari de Petro, Paulo, &c. nihil verò potest affirmari de alio, quod non est realiter idem cum illo. Probatur minor; quia, cùm illa unitas sit indivisibilis, jam Petrus, Paulus, &c. includerent aliquid idem realiter, ac per consequens adæquatè realiter non distinguerentur, contrà experientiam.

CXXIV. Respondebis, illam unitatem objectivam esse objectivè tantùm indivisibilem, realiter verò divisam in Petrum, Paulum & cætera individua humana. Sed

CXXV. Contrà 1°. si objectivè una & realiter divisa, ergò idem est objectivè unum & objectivè multa, quia realiter multa sunt objectivè multa; contradictoriè autem repugnat, idem esse objectivè unum & objectivè multa.

CXXVI. Contrà 2°. ly *unitas objectivè indivisibilis*, quâ parte intrinseca, dicit aliquid intrinsecè distinctum à Petro, Paulo, &c. in quos est realiter divisa, vel non?

CXXVII. Si prius, sequitur 1° antè præcisionem, in Petro v. g. esse duo intrinsecè distincta, & per consequens distinctionem Scotisticam mediam inter illa, ac proindè realem, de qua suprà Tract. 1. Disp. 2. Dub. 5°. Sequitur 2°, idem ens objectivè indivisibile esse intrinsecè unum objectivè, & intrinsecè multa objectivè. Sequelæ patent, quia intellectus noster sive ipsius præcisio, utpotè rei omninò extrinseca, nihil mutat in re intrinsecè; &, si aliquid mutaret in re intrinsecè, sequeretur non tantùm mutare intrinsecè objectivè, sed intrinsecè realiter; quia hoc, quod mutaret, quâ parte intrinsecum inciperet esse, &

antèà non fuisset, objectivè intrinsecè distinctum, in re autem illa unitas esset ens intrinsecè unum objectivè, ut supponitur, & intrinsecè multa objectivè, utpotè realiter multa.

CXXVIII. Si posterius, sive si nihil dicat intrinsecè distinctum à Petro, Paulo, &c. ergò vel Petrus, Paulus, &c. sunt realiter idem, vel unitas objectiva formalis prout opponitur fundamentali, quâ parte intrinseca, est multiplex, non secus ac Petrus, Paulus, &c. ac per consequens, quâ parte intrinseca, non est formalis objectiva unitas, sed multiplicitas; neque sic proinde, unitas formalis naturæ Vniversalis ut unitas formalis, est partim intrinseca, sed tota extrinseca ex parte actus, ut infrà docebimus.

CXXIX. Dixi etiam gratis concessо, quòd dentur præcisiones objectivæ; quia illis negatis, omninò evidens est unitatem naturæ Vniversalis esse omninò extrinsecam, & se tenere ex parte solius præcisionis formalis.

Resolutio II.

CXXX. Dico 2°. etiam gratis concessо, quòd dentur præcisiones objectivæ, natura Vniversalis non habet unitatem formalem prout opponitur fundamentali, totam intrinsecam naturæ Vniversali, sivè objecto conceptus Vniversalificantis, in ordine ad connotatum extrinsecum, conceptum scilicet Vniversalificantem; sic ut antè hunc conceptum, sit quidem secundum totam entitatem, non verò secundum formalitatem unitatis objectivæ.

CXXXI. Probatur 1°. ut præcedens Resolutio, quia ut patet ex Resolutione 2ª dubii præcedentis, præcisiones objectivæ ad talem unitatem nihil juvant, & talis unitas, quâ parte secundum totam entitatem intrinseca naturæ Vniversali, sive objecto conceptus Vniversalificantis, satis improbatur ex ibidem dictis, ergò, &c.

CXXXII. Probatur 2°: quia si unitas naturæ Vniversalis illi sit tota intrinseca secundum entitatem antè actum extrinsecum præcisionis, quem connotat, etiam erit illi tota intrinseca secundum formalitatem unitatis objectivæ, antè actum extrinsecum præcisionis, quem connotat; sequela est falsa, secundum ipsos, ergò & id undè sequitur.

CXXXIII. Probatur sequela, quia unitas naturæ Vniversalis non habet per actum extrinsecum præcisionis, quem connotat, quòd sit illi naturæ tota intrinseca secundum formalitatem unitatis objectivæ; ergò illud habere debet, quià est naturæ Vniversali tota intrinseca secundum entitatem antè actum præcisionis, quem connotat: ergò si tota intrinseca sit secundum entitatem antè actum præcisionis, quem connotat, etiam erit illi tota intrinseca secundum formalitatem unitatis objectivæ antè actum extrinsecum præcisionis, quem connotat; consequentia hæc patet, quia non est undè aliundè illud habere possit: probatur antecedens, quia actus extrinsecus præcisionis est totus extrinsecus naturæ Vniversali, ergò unitas naturæ Vniversalis, non potest per illum habere, quòd sit secundum formalitatem unitatis objectivæ tota intrinseca naturæ Vniversali.

CXXXIV. Confirmatur hæc consequentia: unitas naturæ Vniversalis secundum formalitatem unitatis objectivæ, nihil aliud est, quàm denominatio formalis unius; sed quà intrinseca, illa non potest, etiam partialiter, haberi, per actum præcisionis, utpotè totaliter extrinsecum, ergò, &c.

CXXXV. Respondebis, denominationem formalem unius, non haberi formaliter, sive tamquam à forma partiali per actum extrinsecum; sed conditionaliter tamquam à conditione sinè *qua non*. Sed

CXXXVI. Contrà 1°. jam sequitur, unitatem naturæ Vniversalis formaliter, & secundum formalitatem unitatis objectivæ, distingui realiter ab unitate naturæ Vniversalis sumptæ secundum entitatem, quod ipse non admiseris. Probatur sequela, quia secundum formalitatem pendebit ab actu extrinseco præcisionis tamquam à conditione, ut dicis, & secundum entitatem non pendebit, quæ sunt contradictoria; illa verò distinguuntur realiter, de quibus affirmantur contradictoria.

CXXXVII. Contrà 2°. denominatio formalis unius nihil aliud est, ut infrà probabitur, quàm actus confusus & multa, quæ per illum confusè repræsentari dicuntur; sed antè illum actum confusum erant multa, & non erat denominatio formalis; & præcisè posito illo actu confuso ponitur, & ablato tollitur; ergò habetur formaliter, sive tamquam à forma saltem partiali, & non conditionaliter tantùm sive tamquam à conditione, per actum præcisionis extrinsecum; ac per consequens non est tota intrinseca. Probatur consequentia, quia in eo consistit formalitas alicujus rei, quo præcisè posito, res ponitur, & quo præcisè ablato, res tollitur.

Resolutio III.

CXXXVIII. Dico 3°. etiam gratis concessо, quòd dentur præcisiones objectivæ, natura Vniversalis non habet unitatem formalem prout opponitur fundamentali, totam intrinsecam naturæ Vniversali, per resultantiam post præcisionem.

CXXXIX. Probatur 1°. quia illa resultantia, vel est ipsa unitas formalis prout opponitur fundamentali? vel est actio quædam illius productiva? neutrum dici potest, ergò, &c. Probatur minor, non 1ᵘᵐ, quia cùm incipiat esse post præcisionem, & antèà non fuerit, jam unitas formalis naturæ Vniversalis, ut intrinseca naturæ Vniversali, à natura Vniversali distingueretur intrinsecè realiter, quod suprà toties impugnatum est. Non etiam 2ᵘᵐ, quia juxtà Aristotelem, *Ad relationem non datur per se motus*, id est, actio. Deindè unitas formalis naturæ Vniversalis, non secus ac ipsa actio, à natura Vniversali realiter (ut dictum est) intrinsecè distingueretur.

CXL. Probatur 2°, quia illa resultantia intrinsecæ unitatis formalis, est omninò superflua; siquidem positâ solâ abstractione formali sufficienter habetur, ut sequenti Resolutione patebit; nec unitas formalis habita per resultantiam aptior est ut faciat naturam unam formaliter affirmabilem de multis, quàm unitas formalis objectiva præcisionis objectivæ, in qua juxtà illam sententiam fundatur, ergò, &c. 2a. pars antecedentis patebit consideranti Resolutionem 4ᵃᵐ. & 5ᵃᵐ.

CXLI. Probatur 3ª, quia indè sequeretur, Petrum

trum Romæ existentem, & Paulum in Indiis, fieri intrinsecè unum per resultantiam unitatis intrinsecæ, ex eo, quòd ego hîc existens, ab illis per conceptum confusum naturam humanam abstraham, quod 1° intuitu absurdum valdè est, ergò, &c.

Resolutio IV.

CXLII. Dico 4°. natura Vniversalis habet unitatem formalem, prout opponitur fundamentali, omninò extrinsecam naturæ Vniversali. Ita Nominales, quos plures è Recentioribus Doctissimi, ut PP. Hurtadus, Arriaga, Oviedus, &c. sequuntur.

CXLIII. Probatur, quià, rejectis aliorum sententiis, naturæ Vniversalis unitas non videtur alio modo explicari posse, quàm per unitatem conceptus multa per modum unius confundentis: sed illa est omninò naturæ Vniversali extrinseca, non secus ac ipse conceptus; ergò, &c. Probatur major, ex eo præcisè quòd conceptus confusus, ità in Petrum & Paulum v. g. feratur, ut illos inter se non distinguat, sivè ità, ut eorum hæcceitates ex parte sua non attingat, fiunt indistincti, & quid unum sub conceptu; quia ut sic non attinguntur hæcceitates, quibus sub conceptu erant distincti, & multa; nec alia unitas requiritur ad hoc, ut natura sit formaliter Vniversalis, imò omnis alia contradictionem involvit, ut vidimus, vel superfluitatem, ergò, &c.

CXLIV. Confirmatur, non datur Vniversale antè intellectum, ut satis patet ex Resolutione hac & aliis Dub. 6. præmissis, ergò unitas illius (quandoquidem constet, pluralitatem illius esse antè intellectum) debet esse ab intellectu per conceptum multa per modum unius confundentem, & non per objectivè præscindentem, ut patet ex tribus primis hujus dubii Resolutionibus.

CXLV. Objicies tamen 1°. ex Patre Comptono Logicæ Disp. 30. Sect. 2ª, ubi sententiam Arriagæ impugnat. Actus illæ confundens multa per modum unius, non est indistinctio, ergò non denominat objectum indistinctum & unum. Probatur antecedens, quia si Angelus suprà actum istum reflectat, vi illius cognoscet plura, sive, in illo actu cognoscet illum repræsentare unum, duo, &c. & non unum tantùm; ergò non est indistinctio.

CXLVI. Confirmatur ex eodem ibidem, si Petrus uno actu tres leones cognoscat, & alio alios tres; primus actus non erit ità confusus, quin distinguat tres leones, quos attingit, ab aliis tribus, qui ab alio actu distinctè attinguntur; ergò non est indistinctio.

CXLVII. Respondeo distinguendo antecedens, actus ille confundens multa per modum unius, non est indistinctio ex parte objecti, concedo antecedens; & ratio est, quia nihil mutat in objecto, & illud est plura individua, ut supponitur: ex parte actus, nego antecedens. Ad probationem autem antecedentis, Respondeo Angelum, sic suprà actum istum reflectentem, ut clariùs objecta illius non repræsentet, quàm per actum istum repræsententur, non magis cogniturum plura ex parte actus, quàm illa directè cognoscens, licèt prout hic, sit cogniturus plura ex parte objecti, ea inter se in actu exercito per modum unius confundendo, quod ultrò concedimus.

Ad confirmationem

CXLVIII. Respondeo, admisso casu assumpti, distinguendo sequelam. 1ᵐˢ conceptus non erit ità confusus, quin negativè distinguat tres leones, &c. concedo sequelam; quin positivè eos distinguat, nego sequelam: neque enim illos distinguet, neque confundet positivè; quià illos alios tres, à quibus hos distinguet, non attinget; distinctio autem est inter duo extrema. Numquid distinctiùs (inquit idem Pater Comptonus) illos tres agnoscit, quàm si simul alios tres confunderet? si verò distinctiùs, ergò distinguit. Respondeo, hoc quidem sensu distinctiùs, quòd hos tres modò cum illis tribus positivè non confundat, quod tunc faceret; nulla tamen ratione distinctiùs, quòd hos tres positivè ab illis tribus distinguat, quod intendit Pater Comptonus, nè alioqui frustrà contendat. Numquid (quærit ulteriùs) Angelus videt, quomodò illi duo actus ex parte objecti differant? Respondeo non videre, si objecta clariùs non videat, quàm per illos actus à directè cognoscente cognoscantur; quia, ut dixi, illi duo actus, ita objecta sua attingunt, ut illa inter se, nec positivè distinguant, nec positivè confundant, sed negativè tantùm. Quomodò igitur (denique inquit) si loco primi actus repræsentantis tres illos leones A. B. C. substituatur alius, qui repræsentet leones A. B. F. Angelus advertet mutationem in leone C. factam, nisi actus primus attigerit distinctè leonem C. ut talem? Respondeo, quòd Angelus advertet quidem mutationem actus, sed talem mutationem in leone C. factam non advertet; quià sic per actum, vel potiùs in actu substituente leonem F. cognoscit, ut illum à leone C. nec positivè distinguat, nec cum eo positivè confundat; sed negativè tantùm: quomodò etiam leo C. à primo actu attingitur, sic nempè, ut illum à leone F. nec positivè distinguat, nec cum eo positivè confundat; quod autem neutro istorum modo attigit, non attigit; quod non attigit, mutatum esse non advertit. Vndè tota distinctio, quam advertet Angelus, non erit ex parte objectorum, sed ex parte actuum, qui, mutato objecto, etiam confusissimè repræsentato, mutantur, ob mutatum respectum transcendentalem; & sic corruit tota impugnatio Patris Comptoni; nam alia, quam sumit ab absurdo, quod indè sequitur, videlicet, per visum fieri posse Vniversale, infrà, esse absurdum ostendetur.

CXLIX. Objicies 2ò. non est undè præcisio formalis sive conceptus multa per modum unius confundens det unitatem naturæ Vniversali, magis quàm singularitatem, vitalitatem, &c. sed hanc non dat; ergò neque illam.

Pro resolutione hujus argumenti,

CL. Adverte 1ò. cujuslibet cognitionis, tam sensibilis, quàm spiritualis, duplicis generis esse proprietates: aliquæ enim sunt, quæ sequuntur propriam ejus naturam, id est modum essendi, ut esse vitale, singulare, qualitatem sensibilem, spiritualem, &c. aliquæ verò, quæ proprietatem, id est, modum operandi, sive cognoscendi, repræsentandi, &c. objectum, ut denomina-

tiones visi, tacti, cogniti, præcisi, Vniversalis, unius per intellectum, &c. & hæ tribuuntur objectis, ut patebit attendenti modum loquendi communem; non item illæ, quià cognitioni conveniunt secundum se, & præciso respectu ad objectum. Hinc

CLI. Adverte 2°. præcisionem formalem esse unificantem & Vniversalificantem, *ut quo*, secundum modum suum cognoscendi; non verò secundum se, & secundum modum essendi, propter rationem datam. His præmissis, ad objectionem

CLII. Respondeo distinguendo majorem, non est undè præcisio formalis, &c. considerata secundum se & modum essendi, det unitatem naturæ Vniversali, magis, quàm singularitatem, vitalitatem, &c. concedo majorem; nec mirum, quia ut sic, nec est unifica, nec universalificans: considerata secundum modum cognoscendi; nego majorem: & hæc conformiter ad D. Thomam Opusc. 55°, ubi de cognitione unificante & universalificante, sive de Vniversalitate, sic loquitur. *Est enim in solo intellectu singularis, & est Vniversalis in quantum habet rationem unius formæ ad omnia individua, quæ sunt extra animam, prout æqualiter est similitudo omnium.* Item Opusc. 56°. *Vniversale est plura in quantum in pluribus est, & unum in cognitione.* Vndè ulterius patet, R. Patrem Comptonum Log. Disp. 30. Section. 1. ad hanc nostram distinctionem non attendisse, dum objicit: unitas, secundum hos Authores, est solus actus intellectus denominans singularia unum, ergò ille actus, si objectum cognoscat ut unum, sese cognoscat & pro objecto habeat, necesse est: duplex enim (ad quod non attendit) est unitas, alia conceptus Vniversalificantis correspondens conceptui secundum se, & entitatem suam: alia naturæ Vniversalis correspondens conceptui secundum ejus modum operandi; illa quidem est conceptus denominans, &c. sed hæc solùm est objectum, denominatum tamen à conceptu Vniversalificante spectato secundum operandi modum: undè patet ad antecedens argumenti P. Comptoni; ad consequentiam autem Respondeo, actum Vniversalificantem non cognoscere objectum ut unum in actu signato & secundum se, quomodò unus est; sed in actu exercito sui secundum modum operandi spectati, quomodò unificans est.

CLIII. Objicies 3°. intellectus per præcisionem non concipit plurà ut plurà, sed plurà ut unum; ergò præscindit unitatem objectivam à singularibus, & consequenter natura Vniversalis habet unitatem, partim saltem intrinsecam, & non totam extrinsecam.

CLIV. Confirmatur, natura ut concepta actu Vniversalificante est Vniversalis, ergò ut sic non dicit plura ut plura; quia hæc non sunt Vniversalia: ergò dicit plura ut unum objectivè.

CLV. Respondeo distinguendo antecedens duobus modis: 1°. non concipit plura ut plura ex parte objecti, ità scilicet ut ly *ut* reduplicet suprà objectum, nego antecedens; nam objectum reipsà est plura, licèt confusè cognita: non concipit plura ut plura ex parte conceptus, ità scilicet ut ly *ut* reduplicet suprà modum operandi conceptus, quo multa per modum unius concipit, & inter se confundit, nego antecedens. 2° non concipit plura ut plura in actu signato, id est, ex parte objecti, nego antecedens: non concipit plura ut plura in actu exercito, id est, non ità concipit plura, ut dum conceptus exercetur circà illa, plura faciat, concedo antecedens: nec mirum, quia, ut diximus, facit unum ex parte sua, ac proindè omninò extrinsecè unum.

Ad confirmationem

CLVI. Respondeo distinguendo consequens, ut antè; natura Vniversalis ut sic non dicit plura ut plura in actu signato & ex parte objecti, ità scilicet ut ly *ut* reduplicet suprà objectum, nego consequentiam: in actu exercito & ex parte conceptus, ità scilicet ut ly *ut* reduplicet suprà modum operandi conceptus, quo multa per modum unius concipit & inter se confundit, concedo consequentiam: ergò dicit plura ut unum objectivè, nego consequentiam; ratio patet ex dictis.

CLVII. Objicies 4°. natura Vniversalis vi unitatis, quam habet, debet esse apta identificari tota multis realiter distinctis; sed talem aptitudinem habere non potest vi unitatis formalis omninò extrinsecæ; ergò illam habere debet, vi unitatis objectivæ, partim saltem intrinsecæ. Consequentia patet, probatur minor, quia illa, utpotè omninò extrinseca illis multis, est ab illis realiter distincta; sed natura Vniversalis non potest esse apta identificari realiter distinctis vi entis ab ab illis realiter distincti; nam sicut realiter distincta nequeunt de se invicem affirmari; ità nec dare possunt affirmari de realiter distinctis: ergò, &c.

CLVIII. Respondeo negando minorem, ad ejus probationem, concessâ majore, distinguo minorem; sed natura Vniversalis non potest esse apta identificari realiter distinctis vi entis ab illis realiter distincti, si identificatio fiat ex parte solius intellectus potentiæ realiter ab illis distinctæ, nego minorem; si identificatio fiat ex parte objecti & realiter distinctorum, concedo minorem; verùm identificatio naturæ Vniversalis multis realiter distinctis, non fit ex parte objecti; nam sicut natura non est una ex parte objecti; ità nec ex parte objecti ut una identificatur multis realiter distinctis, sed ex parte intellectus tantùm, ex parte cujus solius est una: quandò enim affirmatur homo de Petro, hoc modo, *Petrus est homo*; ex parte objecti affirmatur Petrus de Petro, hoc modo, *Petrus est Petrus*; ratio est, quià ly *homo* ex parte objecti, nihil aliud est, quàm omnia individua humana, & per copulam sive contractionem determinatur ut potiùs pro Petro, quàm pro aliis in illa propositione accipiatur; sic tamen ut ex parte conceptus confusi, prout præcisè tendit in prædicatum hujus propositionis, *Petrus est homo*, non affirmetur Petrus de Petro, sed natura Vniversalis & una omnium individuorum humanorum, pro quo vide infrà Disp. 3ª. Dub. 4.

CLIX. Nec dicas, ergò ex parte conceptus confusi, prout præcisè tendit in prædicatum hujus propositionis, *Petrus est homo*, hæc propositio, *Petrus est homo*, non minùs est falsa, quàm hæc, *Petrus est natura Vniversalis & una omnium individuorum humanorum:* negatur enim consequentia, quià sicut solum prædicatum non est propositio, ità nec conceptus confusus, prout præcisè tendit in prædicatum ut à subjecto distinctum, est propositio; ac proindè ex parte ipsius prout præcisè

tendit

tendit in prædicatum, propositio hæc, *Petrus est homo*, non potest esse falsa; quià ut sic totam propositionem non attingit; sed solum terminum sivè prædicatum, in quo nulla est veritas aut falsitas propositionalis.

CLX. Objicies 5°. conceptus distinctus; vel potius dividens naturam Vniversalem, sivè unum in multa, attingit multa intrinsecè objectivè; ergò è contrà conceptus confusus, vel potius uniens naturam Vniversalem sivè multa in unum, attingit unum intrinsecè objectivè; probatur consequentia, quià oppositorum opposita est ratio.

CLXI. Respondeo negando consequentiam, est enim disparitas, quòd unum formaliter ex parte actus sit reipsà intrinsecè objectivè & realiter multa, quæ nullâ ratione possunt fieri unum intrinsecè objectivè & realiter, benè extrinsecè, ut sæpè Dubiis præcedentibus probatum est: ad probationem verò consequentiæ, Respondeo oppositorum non esse quoad omnia oppositam rationem; etenim conceptus ille dividens, ab uniente solùm distinguitur, quòd destruat unitatem formalem, hic verò ponat.

DVBIVM VIII.

An Natura Physicè multiplicabilis abstracta ab uno individuo Physico tantùm, sit Vniversalis & prædicabilis de aliis individuis Physicis.

RESOLUTIO.

CLXII. DIco contrà PP. Hurtadum Disputatione 5. Metaph. Sectione 9. & Smigletium Disp. 4.q.4. & quosdam alios, naturam etiam Physicè multiplicabilis, sive cujus realiter existunt, vel realiter existere possunt plura individua, formaliter præcisa ab uno individuo tantùm, non est de aliis individuis Physicis à quibus abstracta non est, prædicabilis, & respectu eorum Vniversalis.

CLXIII. Probatur, quia natura Vniversalis prædicabilis de multis individuis Physicis debet esse una ex parte præcisionis formalis & multa realiter sive ex parte objecti, ut patet: atqui natura formaliter præcisa ab uno tantùm individuo, Petro v. g. non est multa realiter sive ex parte objecti magis quàm Petrus, licèt sit una ex parte præcisionis formalis, ergò, &c.

CLXIV. Confirmatur; natura ab uno individuo Physico tantùm formaliter præcisa, tantùm potest de uno individuo Physico affirmari, ergò non est Vniversalis prædicabilis de multis individuis Physicis; consequentia patet: probatur antecedens; quia sicut natura formaliter præcisa non est eadem realiter, nisi cum eo à quò formaliter præscinditur (nam præcisio formalis non dat, nec tollit realem identitatem:) ita ab uno tantùm formaliter præcisa, potest de uno tantùm affirmari, licèt sit una formaliter ex parte actus; quia præter hanc unitatem requiritur multiplicitas ex parte objecti, quæ tunc non habetur.

CLXV. Objicies tamen, natura abstracta ab uno individuo cognoscitur sinè omni singularitate, ergò abstrahitur ab omnibus individuis. Probatur consequentia, quia cognosci sinè omni singularitate est abstrahi ab omnibus individuis, ergò, &c.

CLXVI. Respondeo admisso antecedente, negando consequentiam; ad ejus probationem similiter nego antecedens; ratio est, quia, cùm abstractio formalis sit tantùm mentalis, est identificatorum realiter aut unius gradus Metaphysici ab alio à se realiter indistincto abstractio; non verò realiter distinctorum aut unius gradus Physici ab alio à se realiter distincto: alioqui, sicut qui conciperet naturam humanam Petri sinè Petreitate, conciperet eam sine omni singularitate; ità faceret naturam Petri de omni ente singulari affirmabilem; nam natura est de eo affirmabilis, à quo abstracta est, nullus tamen id dixerit. Ex his

CLXVII. Colliges naturam à duobus individuis Physicis abstractam, non nisi esse Vniversalem respectu istorum duorum, sive nonnisi de illis duobus esse affirmabilem; & consequenter naturam ab uno tantùm abstractam, non esse respectu aliorum individuorum Physicorum Vniversalem, sive de illis affirmabilem, cùm sit de uno tantùm affirmabilis; illam tamen non esse positivè singularem defectu singularitatis, à qua abstrahitur, evidens est; undè dici poterit negativè singularis & negativè Vniversalis respectu aliorum individuorum Physicorum; quia non habebit positivam singularitatem.

DVBIVM IX.

Per quam præcisionem formalem natura fiat Vniversalis formaliter.

CLXVIII. ANtè Resolutionem Adverte ex PP. Hurtado, Arriaga, Oviedo & aliis, præcisionem formalem sive conceptum confusum, quo natura fit Vniversalis, posse esse disjunctivum, ità ut attingat multa individua sub disjunctione *vel*; aut copulativum, ita ut attingat multa individua sub conjunctione *&*. Hoc præmisso, sit

RESOLUTIO I.

CLXIX. DIco 1°. contrà P. Hurtadum, natura non fit Vniversalis per actum confusum disjunctivum sive disjunctivè attingentem plura individua; ità scilicet, ut per conceptum hominis, non attingatur, nisi *vel* Ioannes, *vel* Petrus, *vel* Paulus, &c.

CLXX. Probatur, quia non datur actus disjunctivus, tam confusus ac requiritur ad hoc, ut natura sit Vniversalis, ergò, &c. Probatur antecedens, quia ad hoc, ut natura sit Vniversalis, requiritur actus confusus nullo modo distinguens singularia inter se; alioqui ea non faceret unum: nam attingeret hæccèitates, quæ, utpotè rationes distinctionis, hoc ipso, quòd attinguntur, impediunt unum, non secus ac ipsa distinctio: atqui omnis actus disjunctivus attingens disjunctivè singularia, hoc ipso quòd disjunctivus est, ea inter se disjungit, ac proindè aliquo modo distinguit, ergò, &c.

CLXXI. Dixi *aliquo modo distinguit*; quia evidens est actum disjunctivum non ita perfectè

& clarè individua inter se distinguere, ut actus tendens in duo singularia, quatenus singularia seorsim & determinatè, quod patet ex sequentibus propositionibus, *Petrus non est Paulus, Petrus est vel Paulus, vel Petrus*: magis enim distinguo Petrum à Paulo in illâ propositione, quàm in hac, *Petrus est vel Paulus, vel Petrus.*

CLXXII. Confirmatur 1°. qui dicit, aliquis homo loquitur, significat se plures homines in individuo cognoscere, ex quibus unum audit loquentem; ergò aliquo modo illos distinguit inter se; alioqui non diceret unum ex multis loqui, sed omnes confusè, in quantum discernere non posset, an unus, an plures, an omnes loquerentur; ergò, &c.

CLXXIII. Confirmatur 2°, sicut disjunctio objectiva *vel* est inter distincta; ità actus disjunctivus apprehendit distincta; ac proindè formaliter distinguit; ergò, &c.

CLXXIV. Confirmatur 3°. frustrà requiritur ut actus per quem natura fit universalis, sit disjunctivus confusus, ergò, &c. probatur antecedens, quià ut ex Resolutione 3ª patebit, sufficit confusus plurium ab intellectu confusibilium repræsentativus, ergò, &c.

Resolutio II.

CLXXV. Dico 2°. contrà PP. Arriagam, Oviedum & quosdam alios: natura non fit universalis per actum confusum copulativum, sivè copulativè attingentem plura individua, ità scilicet, ut per conceptum hominis attingantur *&* Ioannes, *&* Petrus, *&* Paulus, &c.

CLXXVI. Probatur, quià non datur actus copulativus tam confusus, ac requiritur ad hoc, ut natura sit universalis, ergò, &c. probatur antecedens, quià ad hoc, ut natura sit universalis, requiritur actus confusus nullo modo distinguens singularia inter se, alioqui non faceret unum: sed omnis actus confusus attingens copulativè singularia, hoc ipso, quòd copulativus est, ea inter se ut distincta copulat; ac proindè aliquo modo distinguit; nam ea ut distincta aliter attingere non potest, quod fateri debet P. Oviedus, ut loquatur consequenter, ad ea, quæ docet Log. Controv. 3. puncto 5°. num. 17. videlicet per complexum *omnis homo* significari singularia distincta inter se; quia complexum illud ratione signi *omnis* resolvitur form aliter in istud, *hic homo & hic homo & hic homo.*

CLXXVII. Confirmatur 1°: qui dicit, *Petrus Paulus loquitur*, significat se unum hominem in individuo cognoscere, qui loquitur: qui verò dicit, *& Petrus, & Paulus loquitur*, significat se duos homines in individuo cognoscere, qui loquuntur; ergò propter copulativam particulam *&*, hos distinguit, & illius defectu, illos confundit; ergò, &c.

CLXXVIII. Confirmatur 2°: sicut copula objectiva *&* est inter distincta; ità actus copulativus apprehendit distincta; ac proindè formaliter distinguit; ergò, &c.

CLXXIX. Confirmatur 3°: frustrà requiritur ut actus, per quem natura fit universalis, sit copulativus, confusus; ergò, &c. Probatur antecedens, quia, ut ex Resolutione sequenti patebit, sufficit confusus plurium ab intellectu confusibilium repræsentativus, ergò, &c.

CLXXX. Dices in hoc distinguitur actus copulativus confusus ab actu copulativo claro, quòd hic plura, quæ concipit, inter se distinguat; ille verò confundat: sed ad universale aliud non requiritur, nec actus confusus præcisè aliud præstat, ergò, &c.

CLXXXI. Respondeo negando assumptum; quià sic actus copulativus confusus, disjunctivus confusus, & vagus confusus inter se confunderentur; licèt enim in eo, quòd sunt actus confusus, conveniant; in eo tamen, quòd sint talis actus confusus, haud minùs inter se differunt, quàm actus copulativus distinctus, disjunctivus distinctus, & vagus distinctus; qui tamen etiam in ratione actus distincti inter se conveniunt. Deindè omnis actus, hoc ipso quòd copulativus, aut disjunctivus est, saltem est magis distinctivus, quàm confusus præcisè, quia ne quidem confusivè positivè attingit conjunctionem *&*, aut disjunctionem *vel*; in eo autem, in quo magis distinctivus & attingens conjunctionem *&*, aut disjunctionem *vel* ex parte actus, non dat unitatem ex parte actus; sed ex parte illius pluralitatem retinet; quia conjunctio aut disjunctio ex parte actus, est ex parte actus plurium ut talium unio aut divisio.

Resolutio III.

CLXXXII. Dico 3°. natura fit universalis per actum confusum præcisè, (id est, nec copulativum, nec disjunctivum) plurium ab intellectu confusibilium; ità scilicet ut per conceptum hominis attingantur *Ioannes, Petrus, Paulus*, &c. sinè ulla distinctione eorum inter se ex parte actus confundentis.

CLXXXIII. Probatur conclusio, quia datur talis conceptus confusus (ut vel experientia docet) qui nec sit copulativus, nec disjunctivus, & sufficiat ad faciendum ex multis unum ex parte actus, at proindè naturam universalem, ut solutione argumentorum patebit; ergò, &c.

CLXXXIV. Confirmatur refutatione aliarum sententiarum.

CLXXXV. Objicies tamen 1°. si natura fiat universalis per actum confusum plurium ab intellectu confusibilium repræsentativum; si v.g. *homo* fiat universalis per hoc, quòd Ioannes, Petrus, Paulus, &c. attingantur sinè ulla distinctione eorum inter se ex parte actus confundentis, debebunt Ioannes, Petrus, Paulus, &c. sivè tota collectio individuorum, prædicari de quolibet individuo: sed hoc dici non potest; ergò, &c. probatur sequela, quia erunt natura universalis; natura verò universalis debet prædicari tota de quolibet; ergò, &c. probatur minor; quia sic realiter distincta deberent affirmari de invicem, quod nullâ ratione fieri potest; ergò, &c.

CLXXXVI. Respondent RR. PP. Arriaga, Hurtadus & alii Recentiores, Ioannem, Petrum, Paulum, &c. sivè totam collectionem individuorum debere prædicari inadæquatè tantùm de quolibet individuo: ratio ipsorum est, quià ad prædicationem naturæ universalis non requiritur ut tota natura universalis prædicetur de quolibet, sed solùm ut prædicetur illa natura, quæ in apprehensione præcedenti judicium prædicans, fuerat universalis. Sed

CLXXXVII. Contrà 1°. in illa apprehensione præcedenti, vel natura universalis fuit apta prædicari adæquatè & tota de quolibet, vel non?

Si

CLXXXVIII. Si prius, dicendum est fuisse & non fuisse aptam prædicari adæquatè & totam de quolibet, quod implicat: fuisse quidem supponitur; non fuisse probatur, quia aptitudo seu potentia illa ad prædicari adæquatè & totam, secundum Arriagam, non potest reduci ad actum, defectu se tenente ex parte naturæ; quià illa non est tota affirmabilis de quolibet; frustrà autem est & nulla potentia, quæ non potest reduci ad actum defectu alicujus se tenentis ex parte potentiæ. Deinde quæro, quomodò in illa apprehensione præcedenti fuit apta adæquatè & tota prædicari de quolibet; quandoquidem putent ex actuatione istius aptitudinis sequi aliquid impossibile, Petrum scilicet affirmari verè de Paulo, & realiter distincta identificari; apto enim sivè possibili posito in actu, nihil sequitur impossibile, ut vel ipse Arriaga, & alii fateri debent.

CLXXXIX. Si posterius v. g. si fuit tantùm apta prædicari inadæquatè & secundum partem; ergò non fuit universalis, magis quàm mare respectu hujus & hujus partis maris: quia non fuit apta prædicari, cum sui multiplicatione.

CLXXXX. Contrà 2° dum per ipsos, Vniversale prædicatur de individuis, non secundum se totum, sed secundum partem tantùm, &c. vel pars Vniversalis sumitur ex parte objecti, vel ex parte intellectus? non ex parte objecti; quia ut sic est hoc singulare; undè Vniversale non prædicaretur de multis univocè; quia hoc singulare non prædicatur de multis univocè; imò non esset Vniversale, quià hoc singulare non est Vniversale; si verò ex parte intellectus; supponitur falsum, videlicet vel intellectum Vniversalificantem distinguere partem & partem, cùm sit partem & partem uniens & confundens; vel naturam Vniversalem non esse unam ex parte intellectus, sed plures naturas partiales, quæ, sicut quà plures, non sunt natura Vniversalis; ita quà prædicantur ut plures, numquam prædicatur natura Vniversalis. Deinde cùm dicunt, Vniversale prædicari secundum partem, vel illa pars est singularis, vel Vniversalis? si singularis, ergò non prædicatur Vniversale: si Vniversalis, prædicatur secundum unam sui partem tantùm, vel secundum totum? si secundum totum, idem nobiscum ab initio dicere debuissent; si secundum partem tantùm, vel illa pars est Vniversalis, vel singularis? & sic in infinitum.

CLXXXXI. Respondet paulò aliter P. Comptonus Logic. Disp. 32. Sect. 3ª. dum ait, in hac propositione, *Petrus est homo*, prædicari naturam humanam secundum se, sivè secundum prædicata essentialia hominis, præscindendo ab eo, quod natura humana sit Vniversalis aut singularis, & consequenter illam prædicari totam intensivè, non extensivè. Sed

CLXXXXII. Contrà 1°. si natura secundum se non dicat (ut docet) hæcceitatem, hujus propositionis, *Petrus est homo*, erit hic sensus, *Hic homo secundum se est homo secundum se non dicens hæcceitatem*, quæ si vera sit, etiam hæc erit vera, *Hic homo non est hic homo* (quod nullus admiserit) quia homo secundum se non dicens hæcceitatem non est hic homo secundum se.

CLXXXXIII. Contrà 2°. vel P. Comptonus naturam secundum se considerat quatenus se habet ex parte actus præscindentis, vel quatenus se habet ex parte individuorum, quia negat contrà Scotistas ens medium antè intellectum? si 1um, est Vniversalis: si 2um, est multa individua, undè ipsi incumbit solvere totum, quod contrà præcitatos Authores attulimus. Idem dic de natura tota intensivè; undè incidit in ipsorum laqueos (velit, nolit) hîc & in fine, sect. citatæ, dum ait, hujus propositionis, *Petrus est homo*, posse esse hunc sensum, *Petrus participat naturam humanam*, quia id idem est quod, *Petrus est homo inadæquatè sumpto homine*; quod a. n. 186. contra Arriagam & alios impugnatum est: quare aliter

CLXXXXIV. Respondeo ad objectionem distinguendo antecedens pro 1ª. parte, si v. g. *homo* fiat Vniversalis, &c. debebunt Ioannes, Petrus, Paulus, &c. sive debebit tota collectio individuorum prædicari de quolibet individuo, tota ex parte actus confusi Vniversalificantis, sive quo facti sunt natura Vniversalis, concedo antecedens; nec mirum, quià ex parte illius nulla prorsus est distinctio istorum individuorum inter se, omnia enim apparent unum, & natura Vniversalis ut una ex parte illius actus confusi debet de quolibet prædicari adæquatè & tota; alioqui nullo sensu natura Vniversalis esset apta prædicari de multis cum sui multiplicatione, ut monstratum est: tota ex parte actus verè prædicantis & ex parte objecti, nego antecedens: ratio 1ª. partis est, quià actus verè prædicans debet esse affirmatio æqualis de æquali, & non Vniversalis de singulari, aut magis includentis de minus includente, quod alioqui fieret: ratio verò 2ª. partis est, quià, ut tota ex parte objecti, est natura singularis Petri, natura singularis Pauli, &c. undè sicut de Petro tantùm potest prædicari natura propria Petri, de Paulo natura propria Pauli, &c. ità natura Vniversalis, ut tota ex parte objecti, non potest prædicari de quolibet: ex quo liquet naturam Vniversalem ex parte actus sivè conceptus confusi Vniversalificantis prædicari totam & sinè distinctione, prout attingitur tota & sinè distinctione; ex parte verò objecti affirmari ut identificatam ei, de quo prædicatur, & ut singularem ac distinctam à cæteris, quibus non est realiter identificata.

CLXXXXV. Objicies 2o. actus tendens in aliquod horum objectorum, populus pro gente, omnis homo, aliquis homo, non facit objectum suum Vniversale: sed ille est actus confusus plurium confusibilium repræsentativus, ergò natura non fit Vniversalis per talem actum confusum.

CLXXXXVI. Respondeo 1°. distinguendo consequens, ergò natura, cui saltem post conceptum conveniunt conditiones ad Vniversale suprà requisitæ, non fit Vniversalis per talem conceptum confusum, nego consequentiam; cui, etiam post conceptum, aliquæ non conveniunt, concedo consequentiam: populus verò pro gente; omnis homo; aliquis homo, sunt de numero hujus: nam populus pro gente etiam post conceptum, non est quid unum, re: omnis homo, & aliquis homo non sunt voces simplices.

CLXXXXVII. Respondeo 2°, distinguendo minorem; sed est actus aliqualiter confusus, concedo minorem: confusus quantum requiritur ad hoc, ut natura fiat Vniversalis, nego minorem: actus enim tendens in *populum* pro gente, non potest facere Vniversale, quià tendit in multa ut multa: tendens in ly *omnis homo*, tendit in individua copulativè, ac proindè cū distinctione eorum inter se, ut contrà seipsum fatetur R. P. Oviedus loco Re-

solut. 2ª. n. 176. citato: tendens in ly *aliquis homo*, tendit in individua disjunctivè, ac proindè etiam cum distinctione eorum inter se, quæ distinctio impedit quo minùs actus sit tam confusus ac requiritur, ut faciat naturam Vniversalem, ut supra n. 170. probatum est.

DVBIVM X.

An præter præcisionem formalem requiratur notitia comparativa ad hoc, ut natura fiat proximè, & completè Vniversalis, sive in essendo, sive in prædicando.

Antè Resolutionem

CXCVIII. Adverte 1º, notitiam comparativam, sive comparationem esse cognitionem unius cum respectu ad aliud: undè comparatio naturæ Vniversalis ad multa, est cognitio hominis v.g. cum respectu ad sua inferiora, Petrum scilicet, Paulum, &c. Comparatio autem assignari potest duplex, una simplex, alia composita: simplex est, quæ fit sinè affirmatione naturæ Vniversalis de suis inferioribus; composita, quæ cum affirmatione; ac proindè hæc, est prædicatio naturæ Vniversalis (saltem materialiter) de inferioribus; non item illa.

CLXXXXIX. Adverte 2º, R. P. Oviedum Log. Cõtrov. 3ª, Pũcto 6º, docere, Vniversale Metaphysicum fieri per solam præcisionem formalem; quia Vniversale Metaphysicum definit *Vnum aptum inesse multis per simplicem comparationem*: Vniversale verò Logicum fieri per præcisionem formalem & comparationem simplicem superadditam; quia Vniversale Logicum definit, *Vnum aptum inesse multis per comparationem compositam*; undè vult, præcisionem formalem dare naturæ aptitudinem proximam ad comparationem simplicem, & comparationem simplicem eidem dare aptitudinem ad comparationem compositam, sive prædicationem naturæ Vniversalis de inferioribus. Coincidit, quod P. Ioannes à S. Thoma, inter Recentiores celebris Thomista, Log. quæst. 3ª, art. 5º, dicit, Vniversale Metaphysicum fieri per præcisionẽ absolutam sinè ulla comparatione: Logicum verò per illam præcisionem & comparationem simplicem, sive simplicis rationis, id est, relationis, quæ non est prædicationis actualis. Prima ratio ipsius est, quia Metaphysicus naturas sinè relationibus; Logicus verò relationes cõsiderat. Secunda, quia præcisio requisita ad Vniversale Metaphysicum, non respicit multa tamquã terminum, ad quem natura tendit & ordinatur, sicut Logicum; sed tamquam terminum, à quo natura separatur.

CC. Adverte 3º, Thomistas & cum ipsis P. Arriagam Log. Disp. 5ª, communiter defendere naturam positâ solâ præcisione, & antè comparationem simplicé illius ad sua inferiora non esse proximè, positivè & completè Vniversalem in prædicando, sed remotè dumtaxat, negativè & incompletè: contrà quos sit

Resolutio I.

CCI. Dico 1º, contra P. Oviedum: tam Vniversale Logicum, quàm Metaphysicum fit per solam præcisionem formalem sinè ulla comparatione simplici, ita Durandus in 1ª. dist. 3. p. 2º. q. 5. ad 2ᵘᵐ, & in 2ᵘᵐ, dist. 3. q. 7. Toletus Vniversalium q. 2. Videtur etiam D. Thomæ loco infra citando.

CCII. Probatur 1º, quia, ex dictis Dub. 3º. Vniversale Logicum & Metaphysicum solo nomine distinguuntur: sed Metaphysicũ, secundũ ipsum, fit per solam præcisionem formalem, sinè ulla comparatione simplici; ergò & Logicum.

CCIII. Probatur 2º, quia sinè ullo fundamento, & malè dicit Oviedus, Vniversale Metaphysicum in eo distingui à Logico, quòd sit unum aptum inesse multis per comparationem simplicẽ, Logicum verò per compositam; quia indè sequitur quamlibet causam productivam multorum effectuum, ac proindè *Petrum*, esse Vniversale in essendo, cùm sit aptus inesse multis per simplicem comparationem, id est, per comparationem sui ad multos effectus: ergò, &c.

CCIV. Nec dicat Oviedus, se requirere præcisionem formalem naturæ à multis ad Vniversale Metaphysicum; quia omninò fruſtrà eam requirit, cùm ex una parte natura sit apta inesse multis per simplicem comparationem à parte rei, & antè præcisionem formalem, ut patet; & ex aliâ, ad Vniversale Metaphysicum tantùm requirat esse aptum inesse multis per simplicem comparationem.

CCV. Probatur 3º, simplex comparatio non dat esse in multis, sed oppositum, videlicet esse extra multa: ergò sinè fundamento, & malè dicit Oviedus Vniversale Metaphysicum in eo distingui à Logico, quòd sit unum aptum inesse multis per comparationem simplicem, &c. Sed per præcisionem formalem tale dici debet, juxtà illud D. Thom. *Opuſ. 55. Eadẽ natura, quæ singularis erat, efficitur postea Vniversalis, per actionem intellectus deprarantis ipsam à conditionibus, quæ sunt hic & nunc.* Probatur antecedens, quia comparatio simplex fit cum respectu naturæ Vniversalis ad multa individua, qui respectus necessariò mediare debet inter duo sibi invicem extrinseca, ut constabit ex dicendis de Relatione, quæ est Ordo unius ad aliud; ergo, &c.

Confirmatur ex D. Thom. 1. p. q. 85. art. 2. ad 2ᵘᵐ, per totum & loco statim citato.

Resolutio II.

CCVI. Dico 2º, contra RR. PP. Complut. Ioannem à Sancto Thoma, Didacum à Iesu, &c. tam Vniversale Logicum, quàm Metaphysicum fit per præcisionem absolutam sinè ulla comparatione. Probatur 1º, ut antè, quia Vniversale Logicum & Metaphysicum solo nomine distinguuntur, sed Metaphysicum secundum ipsos fit per præcisionem absolutam sinè ulla comparatione, ergo & Logicum.

CCVII. Probatur 2º, refutatione rationũ *P. Ioan. &c.* quæ tamen parùm premunt: itaque ad 1ª, Respondeo Logicum rectè considerare naturas ut uno conceptu confusibiles, & à multis abstrahibiles; licèt eas non consideret ut naturas; quod nec facit Metaphysicus, sed Physicus; 1ᵘᵐ verò ad formandum Vniversale Metaphysicum sufficit. Deindè non video cur potius Logicus consideret relationes, quàm Metaphysicus; nam alii prædicamenta in Metaphysica, alii in Logica tractant. Ad 2ᵘᵐ Respondeo Vniversale Metaphysicum (formaliter scilicet & *ut quo*) sumptum pro conceptu confuso Vniversalificante, posse multipliciter considerari,

ut

ut constat ex dictis : ac 1°, ut abstractivũ & unificum ; 2°, ut communificum & superiorificum; id enim est ipsi ità proprium, ut sicut unio non potest unire materiam formæ, quin uniat formam materiæ ; ità conceptus confusus Vniversalificans facere non potest abstractum & unum ex multis, quin simul faciat commune & superius multis : undè licèt daremus isti Authori, quòd Vniversale Metaphysicum ut abstractum & unificum non respiciat multa tamquam terminum, ad quem natura tendit & ordinatur, sed tamquam terminum à quo natura separatur ; solùm sequeretur idem sub diversa consideratione esse Vniversale Logicum & Metaphysicum; non verò ad Logicum unam cognitionem comparativam requiri, quæ ad Metaphysicum non requiratur, ut docet.

CCVIII. Adde tamen præfatum Authorem malè docere, Vniversale Metaphysicum, non respicere multa tamquam terminum, ad quem natura tendit & ordinatur, sed tamquam terminum à quò natura separatur; nam, si hoc verum esset, deberet, contrà se & alios omnes, Vniversale Metaphysicum definire, unum factum ex multis, sive unum separatum à multis, & non, unum aptum inesse multis, ut patet.

Resolutio III.

CCIX. Dico 3°, contrà Scotistas, Thomistas communiter, Rubium & Arriagã hîc: natura, positâ solâ præcisione, & antè omnem comparationem simplicem ipsius ad sua inferiora, habet sufficientem unitatem, identificabilitatem, superioritatem, communitatem, &c. requisitam ad Vniversale in prædicando proximè, positivè & completè sumptum, ergò, &c. Probatur antecedens, quia illæ omnes denominationes sunt extrinsecæ, & tamquam à causa formali extrinsecè denominante, à præcisione formali considerata secundum proprietates, quæ illi conveniunt ex modo suo repræsentandi objectum suum, juxtà dicta Resol. 4ª, Dub. 7°, & hîc Resol. 2ª; sed illæ denominationes extrinsecæ sunt sufficientes ad Vniversale in prædicando proximè, positivè & completè sumptum, ergò, &c. Probatur minor solutione objectionis sequentis & refutatione aliarum sententiarum.

CCXI. Objicies 1°, non potest intellectus prædicare hominem v. g. de Petro & Paulo, vel de Petro potius quàm de Bucephalo, nisi priùs noverit in conceptu hominis esse inclusos Petrum & Paulum tamquam partes potentiales, &c. sed talis cognitio haberi non potest, nisi per comparationem simplicem hominis ad Petrum & paulum, &c. ergo, &c. minor patet, probatur major, quia alioqui non apparet cur potiùs hominem de Petro & Paulo prædicaret, quàm de aliis v. g. cane & leone. Ità P. Arriaga loco citato, ergò, &c.

CCXII. Respondeo concedendo majorem & minorem, sed negando consequentiam : nam ex majore & minore solùm sequitur, comparationem naturæ Vniversalis ad sua inferiora, præter præcisionem, requiri ex parte intellectus, sive ut intellectus naturam Vniversalem prædicet de multis, non verò requiri ex parte naturæ Vniversalis, sive ut natura sit apta proximè & positivè ex parte sua prædicari de multis; undè cognitio illa comparativa, non facit naturam proximè prædicabilem de multis, sed intellectum proximè prædicativum naturæ ex parte sua proximè prædicabilis; quod claret in simili : sicut enim negari non potest, me in tenebris esse proximè visivum, quia ex parte mea nihil mihi deest, ut sim visivus; etsi negari possit, in tenebris objectum esse proximè visibile, defectu illuminationis se tenentis ex parte objecti, quæ toto cœlo distinguuntur : ità negari non potest, naturam esse proximè prædicabilem de multis positâ solâ præcisione antè omnem comparationem simplicem; licèt negari possit intellectum tunc esse proximè prædicativum illius, defectu comparationis simplicis illius ad inferiora, se tenentis per modum conditionis sinè qua non, ex parte ipsius intellectus prædicantis, & determinantis album ad prædicationem speciei de individuo, ut *hoc Album est album*, aut accidentis de subjecto, ut *paries est albus*. ex his autem corruunt omnia fundamenta R. P. Poncii Log. disp. 3. q. 6.

CCXIII. Objicies 2°, ex R. P. Alamannio Log. q. 1. art. 5. Vniversale formaliter debet concipi ut unum in multis, & nõ tantũ ut unũ de multis : atqui hoc ultimum tantùm habetur per abstractionem, & primum nonnisi per comparationem, ergò, &c.

CCXIV. Respondeo distinguendo majorem; Vniversale formaliter in actu signato sive jam factum debet concipi ut unum in multis, concedo majorem : Vniversale in actu exercito sive quod fit, debet, &c. nego majorem ; sufficit enim ad Vniversale formaliter, quòd multa sic concipiantur, ut in actu exercito conceptus fiant unum; quia hoc præcisè posito, sic est unum de multis, ut sit unum in multis per aptitudinem proximam, utpote proximè aptum illis inesse per affirmationem, quod est esse Vniversale formaliter, & non tantùm fundamentaliter, ut docet Alamannius.

Dvbivm XI.

An fieri possit Vniversale formaliter per potentiam animæ ab intellectu distinctam.

Antè Resolutionem

CCXV. Suppono 1°, hîc nõ quæri, an Deus & Angeli facere possint Vniversale formaliter; tum quia id imprimis de Deo resolvendum, juxtà dicta Tractatu primo Disp. 1°. Dub. 3. tum quia Angeli, ut in se ne quidem cognitione immediatâ videntur duo distincta realiter confundere posse; sed rerum essentias qualibet suâ cognitione ob suâ perspicacitatem distinctè penetrare debere. Dixi, *saltem cognitione immediatâ*, nam cognitione mediatâ, id est, mediantibus cognitionibus necessariis, quas immediatè attingunt, verisimilius posse, docent Theologi.

CCXVI. Suppono 2°, hîc etiam non quæri, aut Dubium non procedere de intellectu, quia intellectum possibilem, id est, per speciem expressam posse illud facere, manifestum est ex hucusque dictis; sed de voluntate, visu, tactu, &c. Dubium hoc à paucis agitatur, re tamen benè examinatâ difficilius est, quam esse videatur; imò P. Arriaga profundissimus sanè Philosophus in ejus resolutio-

nc

ne sibi non constare videtur; nam, cùm Disp. 4ª n. 16. Log. dixisset, *Constat apertè Vniversale nec de facto dari, nec dari posse de potentia absoluta independenter ab intellectu*, Disp. 5. num. 41. dicit, *Quare arbitror eas, potentias* (scilicet voluntatem, visum, &c.) *posse in rigore constituere Vniversale, etiam prædicabile*, ac proindè dicit, dari posse Vniversale independenter ab intellectu, quod rejicit num. 42. *Re intellectâ*, (id est, attendendo ad id, quòd Vniversale debeat fieri à potentia per quam prædicatur, (in quo petit principium,) *Dico, cum communi, absolutè ab eis potentiis non fieri Vniversale.* Hoc præmisso sit

Resolutio I.

CCXVII. Dico 1º, contrà RR. PP. Arriagam, Oviedum, Comptonum & alios, datur Vniversale formaliter per voluntatem. Ita P. Hurtadus. Disp. 5. Metaph. 5.

CCXVIII. Probatur, quia volùntas potest amare hominẽ ut sic, sivè Petrũ & Paulũ ita confusè, ut in amãdo non distinguat inter Petrum & Paulum: sed tunc reverà facit Vniversale formaliter, ergò, &c. Probatur minor, quia voluntas per ipsum amorem dat multis unitatem extrinsecam amati, præter quam, & multa, Vniversale formaliter nihil requirit, ergò, &c.

CCXIX. Confirmatur, certum est, voluntatem ferri in objectum, eo modo, quo ab intellectu proponitur; sed potest intellectus multa amabilia voluntati proponere per modum unius amabilis; ergò & voluntas fertur in illa multa per modũ unius: atqui talis actus voluntatis dat multis unitatem extrinsecam voliti; nec aliud ad Vniversale formaliter requiritur; ergò, &c.

CCXX. Objicies 1º, Vniversale debet esse prædicabile de multis; sed istud factum à voluntate, non erit prædicabile de multis; ergò, &c. Probatur minor; quia, sicut non est voluntatis prædicare, affirmare, &c. sed intellectus; ità nec est voluntatis dare esse prædicabile, ergò, istud Vniversale non erit prædicabile de multis.

CCXXI. Respondeo negando minorem, ad ejus probationem Respondeo 1º, esse disparitatem, eò quòd sit proprium intellectus affirmare sive prædicare, non verò dare prædicabile; nam Petrus v. g. habet à seipso, quòd sit hoc prædicabile de seipso, & homo in sententia Platonis, Scoti, Fonsecæ. Soncinæ & aliorum, habet independenter ab intellectu, quòd sit de Petro & Paulo v. g. prædicabilis, non potest tamen nisi per intellectum, in ipsorum sententia, de illis prædicari; neque hoc obstat, quia prædicari non magis est de essentia prædicabilis, quàm videri sit de essentia visibilis, imò eodem modo se habet intellectus ad prædicabile, sicut visus ad visibile. Ex quo

CCXXII. Respondeo 2º, retorquendo argumẽtum in visum; sicut non est luminis & coloris videre, sed visus; ità nec est luminis aut coloris dare esse visibile? Sequelã istã meritò absurdam reputaris; ergò & hanc tuam; sicut non est voluntatis affirmare sive prædicare, ità nec est voluntatis dare esse prædicabile, meritò absurdã reputaris. Hinc autem

CCXXIII. Confirmo Resolutionem, sicut datur visibile formaliter, imò & proximè, per aliud, quàm per visum, licèt videri non detur nisi per visum; ità datur prædicabile formaliter, imò & proximè, etiam de multis, per potentiam aliam, quàm per intellectum, nempè per potentiam omnem, quæ dat multis unitatem, ac proindè per voluntatem, licèt prædicari non detur nisi per intellectum.

CCXXIV. Objicies tamen 2º, voluntas non facit Vniversale, sed supponit factum, ergò, &c. Probatur antecedens, quia dum voluntas hominem ut sic, vel Petrum & Paulum confusè amat, supponit Petrum & Paulum confusè cognitos tamquam unũ in ratione amabilis, & ità sibi repræsentatos, ac per cónsequens Vniversale factos, ergò præsupponit Vniversale factum; probatur assumptum, quia voluntas non fertur in incognitum.

CCXXV. Respondeo negãdo antecedẽs pro 1ª parte, ad 2ªm verò illius partem distinguo; voluntas supponit Vniversale ab intellectu factum, & hoc sensu non facit, concedo antecedens; voluntas supponit Vniversale à se factum, & hoc sensu non facit, nego antecedens: licèt enim, dum intellectus objectum voluntati proponit per cognitionem confusè multa per modum unius amabilis repræsentantem, faciat Vniversale intellectionis; voluntas tamen superveniens, per actum amoris confusũ facit Vniversale volitionis non factum; inter quæ Vniversalia est hoc discrimen, quòd Vniversale intellectionis habeat unitatem extrinsecam intellectionis sive cognitionis; Vniversale verò volitionis unitatem extrinsecam volitionis sive amoris v. g.

CCXXVI. Objices 3º ex R.P. Oviedo hîc, volitio non proponit intellectui suum objectum prædicabilè, ergò non facit prædicabile.

CCXXVII. Respondeo, me non satis intelligere, quid importet illud *proponit*. si enim Oviedus velit, volitionem non facere ut objectum sit proximè prædicabile per intellectum, nego antecedens; nam id non minùs facit volitio, quàm lumen & color faciat objectum esse proximè visibile per visum: si verò velit volitionem non facere ut intellectus sit naturæ Vniversalis factæ per voluntatem proximè prædicativus de suis inferioribus, concedo antecedens; sed sicut ad hoc, ut objectum coloratum & illuminatum sit proximè visibile, impertinens est, quòd visus sit ex parte sua proximè, visivus, per apertionem videlicet palpebrarum; ità ad hoc ut Vniversale volitionis sit proximè prædicabile de multis, impertinens est, quòd intellectus sit proximè prædicativus per conditiones ex parte sua requisitas: undè, juxtà hunc sensum, concesso antecedente, nego consequentiam.

Resolutio II.

CCXXVIII. Dico 2º, contrà PP. Arriagã, Oviedum, Comptonum & alios; datur Vniversale formaliter per sensus externos, visum, tactum, &c. Ità P. Hurtadus. Disp. 5. Metaph.

CCXXIX. Probatur ipsâ experientiâ, sæpè tangimus duos nummos per modum unius, &c. sed 1ªm actus dat multis unitatem extrinsecam tactus: 2ªm unitatem extrinsecam visus, ergò faciunt Vniversale formaliter; ac per consequens datur Vniversale formaliter per sensus externos. Probatur consequentia, quia ad Vniversale formaliter, nihil præter multitudinem realem & unitatem extrinsecam, quæ per illos habetur, requiritur, ergò, &c.

CCXXX.

CCXXX. Confirmatur à pari, ex voluntate juxtà Resolutionem 1am.

CCXXXI. Objicies tamen 1o, cum P. Arriaga loco citato, si per visionem vel intuitum confusum posset fieri Vniversale, posset & per actum intuitivum quantumcumque distinctum & clarum; sed hoc non admittitur, ergò &c. Probatur sequela, quia, quantumcumque distinctus intuitus non distinguit inter hæcceitates; nam qui intuetur aquam quæ movetur, cujus motum non percipit, diversas aquas confundit, & adeò confusè videt: quasi essent una: item qui videt, duas albedines fundamentaliter similes, successivè sibi repræsentatas, eas confundit, & dicit esse unam & eamdem, ergò, &c.

CCXXXII. Respondeo negando sequelam, nã ne quidem per quemcumq; actũ confusum potest fieri Vniversale; sed per confusum dumtaxat multorum per modum unius, & non per confusissimum unius tantùm, juxtà dicta dub. 8o: ad ejus probationem, concedo, in exemplis allatis visum non distinguere inter hæcceitates; nego tamen intuitum tunc facere Vniversale, quia non datur ibi una visio multarum aquarum aut albedinum realiter, sed dantur tot visiones, quot objecta successivè diversa, etenim visus instanti A. attingit partem aquæ sibi præsentem per visionem A. instanti B. partem aquæ succedentem per visionem B. distinctam. Idem dic de albedinibus; vel potiùs dic, visum ab initio clarè & distinctè attigisse hæcceitates aquæ ut distinctas à terra & similibus corporibus adjacentibus, quia semper illam ab illis distinxit; licèt ejus ubicationes diversas successu motus acquisitas non attigerit, quia in se non sunt visibiles; actus verò non dicitur confusus aut distinctus per hoc, quòd res ejusdem naturæ imperceptibiliter, naturaliter aut supernaturaliter, mutatas confundat aut distinguat; sed per hoc, quòd res diversæ speciei aut naturæ ejusdem, perceptibiliter diversas confundat aut distinguat: alioqui nullos haberemus actus distinctos naturaliter; quia naturaliter inter hæcceitates rerum ejusdem speciei distinguere non possumus.

CCXXXIII. Objicies 2o, ex P. Comptono Log. Disp. 29. Sect. 3a. secundum hanc sententiam, equus aut aliud brutum quodcumque facere posset Vniversale, & secundum eandem sententiam, equus videns confusè colorem, videt colores omnes, qui jam sunt in quacumque mundi parte, in centro terræ, apud antipodas, &c. nam æquè indistinguit ab illis, ac à cæteris omnibus; quæ ità vel ipsis sensibus, & communi Philosophorum Doctrinæ repugnant, ut quivis, vel hoc nomine, ab amplectenda hac sententia deterreri debeat, ergò, &c.

CCXXXIV. Respondeo concessâ 1a sequelâ, negando 2am, quia qui confusè videt hunc colorem, non videt positivè confusè omnes colores; sed negativè, id est, non videt hunc esse ab illis distinctũ; quod ad faciendum Vniversale non sufficit, ut constat ex Dub. 8o, & antè Dub. 7i. Resol. 4a. undè Comptoni exaggeratio non sufficit, nisi ut vel de ipsius Doctrina hoc in puncto meritò diffidatur.

CCXXXV. Addo tamen, inter disputandum semper supponi debere, juxta communem omnium Philosophorum sententiam, non dari Vniversale formaliter per voluntatem & potentias externas; quia alioqui oporteret distinctiones voluntatis, visionis, tactus, &c. inter gradus Metaphysicos admittere, quod est inauditum, licèt verum, idque multùm argumentantes aut defendentes turbaret: semper tamen negare debemus, non dari Vniversale formaliter extrà conceptum, per voluntatem & potentias externas, ubi de illo expressus est sermo. Si autem roges, quid senserit D. Thomas: Respondeo videri nobis omninò consentire Opusc. 43. cap. 6. ubi ait: *Conjunctorum secundum rem visus vel alius sensus potest unum apprehendere, alio non apprehenso*; ergò & duo per modum unius. Dum autem alibi contrarium docere videtur, ut 1. p. q. 12. art. 4. in corp. solùm vult, sensus illos non ferri in Vniversale ut tale, sive *Secundum quod* (ut ibidem ait) *abstrahitur, quod est connaturale intellectui & suprà facultatem sensus.* Ex his

CCXXXVI. Colliges, non minùs dari præcisiones intuitivas, auditivas, &c. quàm intellectuales, quod rectè notavit P. Molina in albedine miraculosè suffecta in alterius locum, de qua suprà: nec rectè respondetur, per intellectum fieri præcisiones, quia intellectus non attingit objectum sicuti est in se; non verò per visum & cæteras potentias externas, quia attingunt objectum sicuti est in se: nam contrà est, quòd etiam intellectus attingat objectum sicuti est in se, juxtà illud Ioan. 2o. *Videbimus eum sicuti est.* & tamen probabilius est in Theologia, visionem Dei in Beatis esse præcisivam. Deinde datur præcisio intellectualis vera, ergò intellectus non minùs attingit objectum sicuti est, quàm potentiæ externæ. Antecedens patet, & indè etiam consequentia, quia juxtà Aristotelem 1. de interpret. cap. ultim. *Propositio* (& idem est de præcisione) *ab eo quod res est, vel non est*, (sive ab eo, quòd rem attingat, sicuti est, vel aliter quàm est) *est vera vel falsa.*

DISPVTATIO SECVNDA

De Vniversali in Specie.

DVBIVM I.

Quodnam sit definitum in definitione Vniversalium.

CCXXXVII. ANtè Resolutionem Suppono 1o. genus, speciem & cætera Vniversalia esse concreta quædam ex natura sive 1a. intentione objectiva tamquam subjecto, & genereitate, specieitate, &c. sive 1a. intentione formali generis, speciei, &c. tamquam formâ.

CCXXXVIII. Suppono 2o, concreta significare subjectum in recto, id est, nominativo casu; formam verò in obliquo, id est, alio, quàm nominativo casu: nam si quæratur, *quid Vniversale?* Respondebitur, *est natura habens Vniversalitatem:* ubi natura sive subjectum exprimitur in recto, Vniversalitas

versalitas verò sive forma in obliquo : undè definitiones concretorum accidentalium subjectis & formis conveniunt; diversimodè tamen, nam subjectis conveniunt denominativè, accidentaliter & *ut quod*, formis verò essentialiter, formaliter & *ut quo*; quod totum elucet in albo ; album enim definitur *corpus disgregativum visus* ; hæc definitio corpori convenit v. g. parieti, non quatenus corpus seu paries est ; sed quatenus denominatur ab albedine, non essentialiter ; sed accidentaliter ; non *ut quo*, sed *ut quod*, *&c.* Ex quo

CCXXXIX. Colliges, in definitione cujuslibet concreti accidentalis subjectum esse definitum denominativè, materiale & *ut quo*, formam verò essentialiter, formale & *ut quo*. His præmissis, sit

Resolutio I.

CCXL. Dico 1°. definitum in definitione Universalium non est sola 1ª. intentio objectiva, sive subjectum, id est, natura secundum se, & ut voce, vel conceptu expressa.

CCXLI. Probatur, quia per illam definitionem non explicatur essentia 1æ intentionis objectivæ, sive subjecti ; sed definitum est illud, cujus essentia per definitionem explicatur ; ergò &c. probatur major, quia *animal* v. g. quod est subjectum generis; *homo* subjectum Speciei, non dicit pro essentia *esse unum aptum prædicari de multis*, &c. sed esse vivens sensitivum, animal rationale, &c. aliòqui dici posset *Bucephalus est genus*, non secus ac *Bucephalus est animal : Petrus est Species*, non secus ac *Petrus est homo*.

CCXLII. Confirmatur, in definitione Universalium definitur Universale in concreto ; atqui 1ª intentio objectiva, sive subjectum non est Universale in concreto, sed illius pars subjectiva tantùm ; ergò, &c. major patet ex qualibet definitione, in qua dicitur, *est unum aptum*, *&c.*

Resolutio II.

CCXLIII. Dico 2°. definitum in definitione Universalium non est etiam sola 1ª intentio formalis Universalificans, sive forma, Genereitas scilicet, Specieitas, &c.

CCXLIV. Probatur ut antè, quia per illam definitionem non explicatur essentia 1æ intentionis formalis in abstracto ; sed definitum est illud, cujus essentia per definitionem explicatur, ergò, &c. probatur major, quia 1ª intentio formalis in abstracto pro essentia dicit esse 1um egressum intellectus versùs suum objectum, non verò esse unum aptum prædicari de multis, id est, unum in multis, ergò, &c.

CCXLV. Confirmatur, in definitione Universalium definitur Universale in concreto, atqui 1ª intentio formalis Genereitas scilicet, Specieitas, &c. non est Universale in concreto ; sed illius pars formalis tantùm, ergò, &c. major patet ex qualibet Universalium in particulari definitione, in qua dicitur, *est unum aptum*, &c. in concreto.

Resolutio III.

CCXLVI. Dico 3°. definitum in definitione Universalium est subjectum & forma, sive natura secundum se, & voce, vel conceptu expressa, ut substans 1æ intentioni formali Universalificanti; sive concretum ex 1ª intentione objectiva & 1ª intentione formali Universalificante, significatum per hos terminos *Universale, Genus, Species, &c.*

CCXLVII. Probatur ex definitione uniuscujusque Universalis, in qua dicitur in concreto, *est unum aptum prædicari*, *&c.* ergò, &c.

CCXLVIII. Confirmatur 1°. in definitione Universalium est aliquod definitum ; non subjectum solum, neque forma sola ; ergò concretum ex utroque : antecedens patet ex Resolutione 1 & 2ª. Probatur consequentia; quia aliud non suppetit.

CCXLIX. Confirmatur 2°, quia quælibet definitio cujuslibet Speciei Universalis est definitio concreti accidentalis ; quod, sicut duo involvit, videlicèt subjectum in recto, & formam in obliquo; ità & illius definitio habere debet duo definita, videlicèt subjectum, quod dicitur definitum denominativè, accidentaliter & *ut quod* ; & formam, quæ dicitur definitum essentialiter, formaliter & *ut quo*; ità tamen ut 1ª intentio objectiva, sivè natura sit definitum *quod* & minùs principale; 1ª verò intentio formalis dicta, definitum *quo* & magis principale: quia, cùm in definitionibus concretorum accidentalium ipsa forma sit ratio, propter quam definitio subjecto conveniat, & ejus natura in concreto per definitionem explicetur ; non verò subjecti: nam quandò definitur *genus*, non explicatur natura animalis, licèt ei, ut genereitati substat, definitio generis denominativè & accidentaliter conveniat ; meritò forma dicitur definitum magis principale, subjectum minùs principale ; quod totum patet in definitione albi, quà definitur *disgregativum visus*, hæc definitio convenit quidem parieti, ut substat albedini, principaliùs tamen albedini, quàm parieti, ut patet. Ex his

CCL. Colliges 1° in definitione Universalium, subjectum, id est, naturam esse definitum accidentale, materiale & *ut quod*, ac proindè minùs principale ; 1am verò intentionem formalem Universalificantem esse definitum essentiale, formale & *ut quo*, ac proindè magis principale; quia, quandoquidem in definitione concretorum accidentalium ipsa forma sit ratio, propter quam definitio subjecto conveniat, & ejus natura in concreto per definitionem explicetur, non verò subjecti, licèt ei ut formæ substat, definitio denominativè & accidentaliter conveniat ; meritò forma dicitur definitum magis principale, subjectum minùs principale.

CCLI. Colliges 2°. definitionem concretorum accidentalium eodem modo convenire subjecto & formæ, quo sunt definitum ; formæ quidem essentialiter & ut definito *quo* ; subjecto verò non nisi accidentaliter & ut definito *quod*, & quia substat formæ, cui *ut quo* convenit essentialiter definitio.

CCLII. Objicies contrà præfatam conclusionem: ens per accidens non potest unâ definitione definiri, ut docet Aristoteles 7°. Metaph. cap. 4°. sed concretum ex natura & 1ª intentione formali Universalificante est ens per accidens, ergò nequit esse definitum in definitione Universalium.

CCLIII. Probatur minor, quia constat rebus diversorum prædicamentorum, subjecto scilicet pertinente ad prædicamentum substantiæ, & 1ª intentione

tentione formali pertinente ad prædicamentum qualitatis, ergò, &c.

CCLIV. Respondeo distinguendo antecedens: ens per Accidens, quod constat rebus diversorum prædicamentorum, æquè 1° & expressè, non potest unâ definitione definiri, ità ut utrumque sit definitum essentiale & ut *quo*, concedo antecedens; ratio est, quia res tantùm possunt esse diversorum prædicamentorum, eò quòd habeant diversas definitiones essentiales; undè si æquè 1° & expressè importentur, debent duabus definitionibus definiri: ens per Accidens, quod constat rebus diversorum prædicamentorum inæqualiter, ità scilicet, ut unam importet in recto per modum subjecti, & aliam in obliquo per modum formæ, non potest unâ definitione definiri, ità ut illa, quæ importatur in obliquo, dumtaxat sit definitum essentiale & ut *quo*, & alia, quæ in recto, definitum tantùm accidentale & ut *quod*, nego antecedens: id enim contingit in definitionibus omnium concretorum accidentalium; nec difficulter intelligitur, 1°. quià definitum *quod* sub illà definitione non est diversi prædicamenti à definito *quo*, sed sub propria definitione essentiali. 2°, quia ubi unicæ rei natura explicatur, sufficit unica definitio essentialis; hîc verò solius formæ in concreto natura explicatur, & non subjecti, licèt ei formæ definitio denominativè attribuatur, in quantum est ipsi denominativè attributa forma.

DVBIVM II.

Quid sit prædicari in quid, quale, & in quale-quid.

CCLV. PRædicari in *quid*, esse *prædicari per modum per se stantis*, definiunt Philosophi communiter, & nuperrimè P. Comptonus Disp. 33. Log. Sect. 8.

CCLVI. Sed contrà, obscura est ista definitio & explicatio: vel enim *prædicari per modum per se stantis*, 1o, est prædicari per concretum, cujus forma sit per se stans & substantialis? vel 2°, est prædicari per nomen substantivum, ut vult P. Arriaga? vel 3°, est prædicari per nomen substantivum essentiale, ut vult P. Oviedus? nihil horum dici potest, nec aliud apparet, quod esse possit.

CCLVII. Non 1um. quia *persona* respectu Petri & Pauli, item *aureum*, *argenteum*, &c. respectu hujus & hujus calicis, est tale concretum, & tamen de illis non prædicatur in *quid:* deindè omnes formæ accidentales, ut albedo, nigredo, &c. respectu suorum inferiorum prædicatur in *quid*, ut omnes fatentur, & tamen non sunt tale concretum, ut patet.

CCLVIII. Non etiam 2um: quia vel nomen substantivum ibi sumitur grammaticaliter, ut sit illud, cui præponi possit, vel *hic*, vel *hæc*, vel *hoc*? & hoc non, quià hoc dato, jam *persona*, *Lector*, *causa*, &c. utpotè substantiva grammaticaliter, prædicabuntur de Petro & Paulo in *quid*, quod dici non potest. Deindè *homineus*, *animalis*, *substantialis*, &c. utpotè non substantiva grammaticaliter, non prædicabuntur de Petro & Paulo in *quid*, cùm tamen reverà sint idem, quod *homo*, *animal*, *substantia*; quæ secundum omnes, prædicantur de illis in *quid*. Vel nomen substantivum sumitur Philosophicè, pro eo, quod aliis subsțat, & in alio non ſtat? & hoc etiam non; quià hoc dato, etiam *persona*, *Lector*, *causa*, &c. utpotè substantiva Philosophicè, in quantum aliis subsțant, & in alio non ſtant, prædicabuntur de Petro & Paulo in *quid*, quod dici non debet. Deindè nullæ formæ accidentales, cùm non sint talia substantiva, sed in solo subjecto ſtent, respectu suorum inferiorum prædicabuntur in *quid*, quod est apertè falsum.

CCLIX. Non etiam 3um, quià dilemma factum, contrà P. Arriagam, vim suam retinet: vel enim P. Oviedus sumit nomen essentiale substantivum, grammaticaliter, vel Philosophicè sensu dato? non prius, 1°, quia hæc adjectiva grammaticalia, *homineus*, *animalis*, *substantialis*, &c. non prædicarentur in *quid* de Petro, & Paulo, quod patet esse falsum ex dictis. Non etiam posterius, quià alioqui nullæ formæ accidentales respectu suorum inferiorum prædicarentur in *quid*, (ut vidimus) quod nec ipse Oviedus concesserit.

CCLX. Prædicari autem in *quale*, communiter definitur esse *prædicari per modum adjacentis*.

CCLXI. Sed contrà etiam est, quòd similiter obscura sit ista definitio & explicatio. Vel enim 1°, id est prædicari per concretum, cujus forma est adjacens & accidentalis? vel 2°, est prædicari per nomen adjectivum, ut vult P. Arriaga? nihil etiam horum dici potest, nec similiter aliud apparet, quod esse possit, ergò, &c.

CCLXII. Non 2um, quia, vel nomen adjectivum ibi sumitur grammaticaliter, ut sit illud, cui præponi non potest, *hic*, *hæc*, *hoc*? vel Philosophicè, ut sit illud, quod est in alio, sive alteri adjacens? Non prius, quià *homineus*, *animalis*, *substantialis*, &c. sunt adjectiva grammaticaliter, & non prædicantur in quale; & *persona*, *Lector*, *causa*, &c. non sunt adjectiva grammaticaliter, & prædicantur in *quale* respectu Petri & Pauli. Non etiam posterius; quià omnes formæ accidentales, cùm sint in alio, sive alteri adjacentes, sunt nomina adjectiva Philosophicè, & tamen de suis inferioribs prædicantur in *quid*, ut omnes fatentur. Hinc melius P. Oviedus dicit, prædicari in *quale* esse *prædicari per modum partis formalis*, puta, secundum quod prædicatum dicit in obliquo, sive secundum formam suam: consequenter tamen ad explicationem, quam dedit de prædicari in *quid*, debuisset dicere prædicari in *quale*, esse *prædicari per nomen adjectivum essentiale*, *vel accidentale*, quæ explicatio non est bona: quia, si sumat ly *adjectivum* grammaticaliter, *homineus*, *animalis*, &c. sunt adjectiva essentialia, & tamen non prædicantur in *quale*, sed in *quid*; si verò sumat Philosophicè, jam omnes formæ accidentales sunt nomina adjectiva accidentalia; & tamen de suis inferioribus non prædicantur in *quale*, sed in *quid*, ut sæpè dictum est. Deindè dantur nomina, *persona*, *Lector*, *causa*, &c. quæ prædicantur in *quale* de Petro & Paulo v. g. & tamen non sunt nomina adjectiva, sed substantiva.

CCLXIII. Non etiam 1um, quia *persona*, *aureum*, *argenteum*, &c. non sunt talia concreta, & tamen de suis denominatis prædicantur in *quale*: deindè *album* respectu hujus & hujus albi, est concretum cujus forma est adjacens & accidentalis, & tamen non prædicatur in *quale*, sed in *quid*.

CCLXIV. Dices ex R. P. Poncio Disp. 4. de Genere, alium superesse, *prædicari in quid*, *& in quale* explicandi modum; sic nempè, ut prædicari in *quid*, sit prædicari per modum determinabilis essentialiter; prædicari verò in *quale quid*, per modum determinantis essentialiter, ergò, &c.

CCLXV. Resp. negando assumptum, quià si prædicari

cari in *quid*, sit prædicari per modum determinabilis essentialiter, prædicari in *quale quid*, erit prædicari per modum determinativi determinabilis essentialiter; quià prædicari in *quale* est prædicari per modum determinativi, & prædicari in *quid* est prædicari per modum determinabilis essentialiter: id autem dici non potest; quià, cùm determinabile essentialiter sit Genus, & determinativum essentialiter Differentia, prædicari in *quale quid* esset prædicari per modum Generis & Differentiæ, quod est apertè falsum, ut patet. Quarè, pro meliori explicatione, sit

RESOLUTIO I.

CCLXVI. Dico 1°. prædicari in *quid* est prædicari essentialiter, sive per concretum, quod secundum formam, est de essentia ejus, de quo prædicatur; ità scilicet, ut hoc sinè illo nec esse, nec concipi possit.

CCLXVII. Probatur rejectione aliarum definitionum & explicationum, & hujus facilitate ac claritate, ergò, &c.

RESOLUTIO II.

CCLXVIII. Dico 2°. prædicari in *quale* est prædicari accidentaliter, sive per prædicatum, quod secundum formam non est de essentia ejus, de quo prædicatur, ità scilicet ut hoc sinè illo esse, & concipi possit. Ergò, &c.

CCLXIX. Probatur hæc Resolutio similiter rejectione aliarum definitionum, & explicationum, & hujus facilitate, ac claritate. Ergò, &c.

RESOLUTIO III.

CCLXX. Dico 3ò. prædicari in *qualequid* est prædicari essentialiter & accidentaliter respectu diversorum; ut rationale v. g. quod de Petro prædicatur in *qualequid*, sive essentialiter & accidentaliter; essentialiter quidem de Petro, quà rationali hoc; accidentaliter verò de Petro, quà animali hoc: quia secundum solam formam, sive rationalitatem est de essentia Petri secundum quod rationalis est, & non est de essentia ejusdem secundum quod animal est; siquidem de essentia animalis non est, esse rationale.

CCLXXI. Probatio Resolutionis satis colligitur ex duabus primis Resolutionibus.

DISPVTATIO TERTIA

De Genere.

DVBIVM I.

An Genus rectè à Porphyrio definiatur, unum aptum prædicari de pluribus Specie differentibus in quid.

RESOLUTIO.

CCLXXII. Dico contrà Scotistas, Thomistas, & P. Comptonum (qui dicit definitionem illam optimam esse, & ab omnibus probatam, sed immeritò, ut patebit legenti PP. Hurtadum, Arriagam, Oviedum, &c.) definitio illa Generis ex Porphyrio tradita, non est bona.

CCLXXIII. Probatur 1°, quia, cùm prius sit scire, quid Genus, quàm quid Species, & Specie differre; definitum ibi ingreditur suam definitionem, & idem explicatur per idem, ergò, &c. Consequentia patet; probatur antecedens, quia Species materialiter & 1° intentionaliter includit Genus materialiter, & 1° intentionaliter; Vniversale verò formaliter, dicitur Genus aut Species formaliter & 2°. intentionaliter à modo prædicandi Generis aut Speciei materialiter & 1°. intentionaliter sumptorum. Deindè quænam Specie differunt, nisi illa, quæ sunt dissimilis naturæ seu essentiæ, eo quòd sub eodem Genere sivè transcendentali, sivè prædicamentali habeant diversas definitiones? Vbi vides, notitiam Specie differentium præsupponere notitiam Generis, ergò, &c.

CCLXXIV. Probatur 2°, vel in illa definitione subaudiuntur particulæ *sive mediatè, sive immediatè, incompletè & per modum partis determinabilis*, vel non? si prius, definitionis Generis erit hic sensus, Genus est unum aptum prædicari *sive mediatè, sive immediatè* de multis Specie Differentibus *incompletè, & per modum partis determinabilis*: quo dato, æquè commodè fuisset definitum Genus, quod prædicatur *sive mediatè sive immediatè* de multis Genere differentibus in *quid*; quia æquè hoc modo à Specie & cæteris Vniversalibus distinguitur, ac isto modo: illa tamen definitio est omninò vitiosa. Deindè, si addantur ultimæ particulæ, *incompletè & per modum partis determinabilis*, frustrà & malè additur, *Specie Differentibus*; frustrà quidem, quia absque illis particulis Species sufficienter à Genere excluditur; malè autem, quia excludunt animal respectu Petri & Pauli, quod, cùm sit propriissimè Vniversale 1^um^ vel 2^um^; nec 2^um^ sit, 1^um^ dici debet. Si posteriùs, nonnisi alterutrum conveniet Generi videlicet, vel *prædicari mediatè*, vel *prædicari immediatè tantùm* de multis, &c. & per ly *mediatè* à definitione Generis excludetur prædicatio substantiæ respectu corporis & spiritus, & per ly *immediatè*, excludetur prædicatio substantiæ respectu duorum hominum, duorum leonum, &c. quæ sunt absurda. Deindè, si ultimæ particulæ non subaudiantur, Genus erit indifferens ad prædicari *completè*, vel *incompletè*; quo casu, Speciem non excludit; quod etiam est absurdum, &c.

CCLXXV. Confirmatur 1ò. si prædicari in *quid* de Specie differentibus & solo numero Differentibus, diversificet immediatè prædicabilia, idem dicendum erit de prædicari in *quale*, & prædicari in *quale-quid* de illis. 2° si prædicari in *quid*, *quale*, & *qualequid*, rectè contrahantur immediatè ad diversas Species per ly *Specie Differentibus*, & ly *solo numero Differentibus*; etiam rectè contrahentur immediatè ad diversas *Species* per ly *de substantiis* & *de accidentibus*; per ly *de primis* & *secundis substantiis*; *de primis accidentibus* & *de secundis*, &c. quæ augent Vniversalis, in membra æquè immediata, ac Porphyrius assignavit, sinè fine divisiones. Ergò, &c.

DV-

DVBIVM II.

Quæ sit Generis definitio essentialis.

RESOLUTIO.

CCLXXVI. DIco: Genus *est unum*, &c. *aptum prædicari de multis, ut pars materialis essentiæ Vniversalis.* Ly *unum*, &c. *aptum prædicari de multis*, est Genus definiti; cætera tenent locum differentiæ. Sumitur ex Mag. Nostro Bachone in 1^um^. Dist. 8. art. 2°.

CCLXXVII. Per ly *ut pars*, exclude Speciem, quæ prædicatur ut tota essentia Vniversalis.

CCLXXVIII. Per ly *ut pars materialis*, exclude differentiam, quæ prædicatur, ut pars formalis essentiæ Vniversalis.

CCLXXIX. Per ly *essentiæ Vniversalis*, exclude Vniversale concomitans, quod prædicatur ut pars materialis essentiæ singularis. Item Proprium & Accidens, quæ prædicantur ut accidentia essentiæ.

CCLXXX. Prædicari autem, *ut pars materialis*, est prædicari, ut natura determinabilis sive perfectibilis; & prædicari, *ut pars formalis*, est prędicari ut forma determinativa seu perfectiva: sicut enim materia, ad faciendum hoc vel illud compositum Physicum, determinatur à forma; ità Genus, ad faciendum hoc vel illud compositum Logicum, determinatur à differentia: & hinc verum est commune hoc Pronuntiatum, *Genus sumitur à materia.* Imitativè scilicet & analogicè; quia, si propriè Genus sumeretur à materia, in spiritualibus, v. g. Angelis, in quibus nulla datur materia, nulla dari etiam possent Genera, quod est falsum: nam substantiam spiritum, &c. habent pro Genere. Vndè dic, Genus propriè sumi à tota entitate individuorum, tam confuse conceptorum, quasi essent unum quid; intellectus v. g. sibi totam entitatem Petri & Pauli, vel Petri & Bucephali in ordine ad sensationem v. g. progressionem, &c. repręsentat, abstrahendo ab aliis operationibus, ratiocinatione scilicet, hinnitione, &c. & hoc ipso Petrus & Paulus, sive Petrus & Bucephalus fiunt animal; ac, per consequens, Genus per intellectum. Ita fere Bacho Noster loco cit. *Definitio indicat totam quidditatem rei: sed materia est pars quidditativa rei materialis: ergò definitio indicat materiale, & formale; ergò Genus, & Differentia, utrumque sumitur à materia & forma, vel unum à materia, reliquum à forma.*

CCLXXXI. Objicies 1ò. concreta accidentalia, quale est Genus, juxtà Aristotelem, debent definiri per subjectum & formam, & non per Genus & differentiam; sed allata definitio est per Genus & differentiam, ergò nulla est.

CCLXXXII. Respondeo, concreta accidentalia utroque modo rectè definiri; nam optimè definitur album, *res habens albedinem*; quæ est definitio per subjectum & formam; & coloratum *disgregativum visus*, quæ est per Genus & differentiam: Aristoteles autem ità unum affirmat, ut aliud fieri posse, non neget.

CCLXXXIII. Instabis, si Genus, definiatur per Genus & differentiam, dabitur processus in infinitum in Genere definiti; sed hoc est absurdum, ergò, &c. Probatur sequela, quia si detur hujus Generis Genus definiti, etiam dabitur istius Generis Genus definiti, & sic de aliis in infinitum, ergò, &c.

Pro Solutione hujus instantiæ

CCLXXXIV. Adverte, dari duplex definitum in allata definitione; unum essentiale, formale & *ut quo*, & est ipsa 1ª intentio formalis generificans; aliud accidentale sive denominatum, materiale & *ut quod*, quod est 1ª intentio objectiva affecta dictâ 1ª intentione formali, sive omne illud, quod est prædicabile *ut quod* de multis *in quid*, ut pars materialis, ut v. g. animal de homine & bruto. Hoc præmisso, ad Instantiam

CCLXXXV. Respondeo negando sequelam, ad ejus probationem Respondeo negando antecedens. Ratio est, quia Genus, quod hìc definitur, non tantùm est Genus denominativè ac *ut quod*, sed essentialiter, & *ut quo*; Genus verò definiti est tantùm Genus denominativè. Vndè Genus definiti & definitum non sunt adæquatè idem; nec proindè definitum ut definitum, ingreditur suam definitionem, tamquam Genus definiti; sed ut quidpiam à definito adæquato inadæquatè distinctum, scilicet ut Vniversale, factum denominativè Genus, in cujus Genere definiti non procedìtur in infinitum, sed sistitur in ente, ut consideranti patebit. Hinc

CCLXXXVI. Colliges unum & idem posse esse denominatum sive definitum accidentale in definitione alicujus concreti, & interim prædicatum illi essentiale & superius; nam id hìc contingit; siquidem Vniversale est denominatum sive definitum accidentale in definitione concreti *Genus*, & interim est prędicatum illi essentiale & superius, utpotè Genus definiti & pars definitionis illius. Idem contingit in ente respectu concreti *intelligibile*; ens enim est illius denominatum, & in definitione illius, quâ definitur ens, quod potest intelligi vel objici intellectui, est definitum accidentale, & interim est prædicatum illi essentiale & superius, utpotè Genus definiti & pars definitionis illius.

CCLXXXVII. Objicies 2° Genus non prædicatur ut pars materialis, &c. ergò malè definitur, unum aptum prædicari de multis ut pars materialis.

CCLXXXVIII. Respondeo distinguendo antecedens, non prædicatur *ut quod* ex parte utriusque definiti ut pars materialis, &c. concedo antecedens; imò ex parte formalis definiti numquam prædicatur *ut quod* ut pars materialis, &c. quià illud est hæc 1. intentio formalis generificans, quæ de nullo prædicatur *ut quod* ut pars materialis, &c. non prædicatur *ut quod* (puta aptitudinaliter modo infrà explicando) ex parte definiti accidentalis & *ut quod*; & ut *quo* ex parte definiti essentialis & *ut quo* ut pars materialis, &c. nego antecedens; id verò sufficit, nec quidpiam amplìùs requiri potest, cùm utrumque definitum prædicetur ut pars materialis, eo modo quo est definitum.

CCLXXXX. Objicies 3°. Genus non est Species; sed id quod definitur juxtà Aristotelem 7°. Metaph. cap. 1°. & 2°. & Poster. 14°. debet esse Species, ergo non potest definiri.

CCLXXXXI. Respondeo distinguendo majorem, Genus non est Species essentialiter sive 1° intentionaliter, & ut definitum *quo* Speciei, concedo majorem: accidentaliter sive 2° intentionaliter, & ut definitum *quod* Speciei, nego majorem; nihil verò amplìùs requirit Aristoteles, ut quidpiam definiri possit.

DUBIUM III.

An Genus sit 1um prædicabile sumptum in concreto, an in abstracto pro sua forma. Et quomodò de Specie prædicetur, an ut totum potentiale; an ut pars actualis; an ut æquale de æquali.

CCLXXXXII. Antè Resolutionem Suppono 1°, dubium procedere de definito *quod* & accidentali in definitione Generis, sive de Genere 1° intentionaliter sumpto, id est, pro materiali significato concreti *Genus*, ut v. g. pro animali, an ut animal, an ut animalitas sit 1um prædicabile.

CCLXXXIII. Suppono 2°, totum esse multiplex, unū Physicū, alterū Logicum sive Metaphysicum.

CCLXXXIV. Totum Physicum est, quod constat partibus Physicis; quæ, si essentiales sint, ut materia & forma; dicitur totum essentiale Physicum: si integrales, ut caput, pes, manus, &c. respectu corporis, dicitur totum integrale Physicum.

CCLXXXV. Totum Logicum sive Metaphysicum est, quod constat partibus Metaphysicis, quæ si actuales sint, id est, si totum actu eas contineat, dicitur totum actuale Metaphysicum; si potentiales, id est, si totum eas actu non contineat, sed ab illis abstractum, illis per affirmationem tantùm inexistere possit, dicitur totum potentiale Metaphysicum: sic animal, quià actu continet vivens sentitivum tamquam partes essentiales, dicitur totum actuale Metaphysicum respectu illarum: quià verò actu non continet rationale & irrationale, sive hominem & brutum, sed potentià tantùm, in quantum potest homini & bruto inexistere per affirmationem, respectu hominis & bruti est tantùm totum potentiale. Hinc patet 1°, unum & idem respectu diversorum posse esse totum actuale & totum potentiale simul: 2°. Genus esse partem actualem Speciei; nam animal v.g. continetur actu tamquam pars essentialis in homine: 3° è contrà Speciem esse partem potestativam Generis; nam animal ab homine præcisum, non dicit actu totum, quod dicit homo, & potest homini inexistere per affirmationem.

CCLXXXVI. Suppono 3°. ad verificationem propositionum sive prædicatorum, solùm attendi debere, an prædicatum & subjectum, secundum quod dicunt in recto sint idem, nihil curando de obliquo, an v.g. eorum formæ sint realiter inter se distinctæ, vel non nam hæc prædicatio est vera, *album est dulce*, quià rectū utriusq; est idē, scilicet res habēs albedinē & dulcedinē; licèt utriusq; formæ, scilicet albedo & dulcedo, sint inter se realiter distinctæ. Hinc

CCLXXXVII. Suppono 4° omnes prædicationes veras, semper esse æqualis de æquali (licèt non omnes prædicationes æqualis de æquali, ut in ligno, pedis A. de pede B. defectu identitatis, sint veræ) nam cùm omnes veræ dicant præcisè idem esse rectum prædicati & subjecti, debent esse ejusdem de eodem ac proindè æqualis de æquali; quia nulla magis æqualia, quàm eadem.

CCLXXXVIII. Suppono 5°, omnia concreta esse æqualia, secundum id quod dicunt in recto, etsi inæqualia sint, secundum quod dicunt in obliquo: ut *animal, homo, rationale*; *animal* enim in recto dicit rem habentem animalitatem, & *homo* rem habentem humanitatem; res & res verò ibi sistendo, sicut dicunt identitatem, ità & æqualitatem: *Animal* verò in obliquo dicit animalitatem, & *homo* humanitatem; animalitas autem minùs actu dicit, quàm humanitas: nam, non dicit rationalitatem, quam dicit humanitas. Vndè animal & homo, secundum quod dicunt in recto, sunt æqualia concreta; & inæqualia dumtaxat, secundum id quod dicunt in obliquo, ac proindè secundum formam abstractam. Itaque sit

RESOLUTIO I.

CCLXXXIX. Dico 1°. Genus 1° intentionaliter sumptum sive animal, non potest esse 1um prædicabile in concreto. Id omninò videtur D. Thomæ de ente & essent. cap. 7. & Opusc. 42. c. 19. ubi docet; *Solis abstractis tribui Generum & Specierum intentiones.* Et Mag. Nostri Bachonis in 3. D. 9. art. 3. ubi ait: *Sortes enim nihil aliud est, quàm animalitas & rationalitas.* Alios hujus sententiæ patronos nō legi, puto tamē, debere esse communē.

CCC. Probatur, quià in concreto non est unum, &c. aptum prædicari de multis in *quid* ut pars materialis: sed primum prædicabile debet esse tale, ergò, &c. Probatur major; quià in concreto non est aptum affirmari ut pars, sed ut totum & æquale de æquali tantùm, ut patet ex supposito 4°. ergò, &c.

CCC I. Confirmatur, animal v.g. in concreto importat ea omnia confusè, de quibus aptum est prædicari; sed illa non sunt apta prædicari de seipsis ut pars materialis, ergò nec animal in concreto est aptū affirmari de Petro v.g. & Bucephalo, ut pars materialis probatur consequentia, quià Petrus & Bucephalus sunt ex illis, de quibus animal aptum est affirmari. Minor patet; quià, sicut nihil est sibi ipsi pars, ità nihil de se ipso aptum est affirmari, ut pars.

CCC II. Objicies tamen 1°, licèt Genus 1° intentionaliter sumptum, animal v.g. non sit, secundum id quod dicit in recto, aptum affirmari de multis *in quid* ut pars materialis, est tamen secundum id quod dicit in obliquo; sed hoc sufficit, ut sit 1um prædicabile in concreto, ergò, &c.

CCC III. Respondeo, negando minorem; quià sicuti obliquum sive forma non sufficit ad faciendum se solà concretum illud, cujus est forma; ità ad hoc ut Genus 1° intentionaliter sumptum, dicatur in concreto aptum affirmari de multis *in quid* ut pars materialis, non sufficit illud esse aptum affirmari de multis *in quid* secundum obliquum, sive formam tantùm; sed debet esse aptum affirmari secundum rectum & obliquum, ut pars materialis. Vndè, sicut dicis, Genus secundum id, quod dicit in obliquo tantùm, esse aptum affirmari, &c. ut pars materialis; dic consequenter in obliquo tantùm, sive in abstracto esse 1um prædicabile & non in concreto.

CCC IV. Objicies 2°. definitio primi prædicabilis convenit animali, quatenus habet pro forma animalitatem; ergò in concreto: probatur antecedens; quià definitio albi, puta *esse disgregativum visus*, dicitur convenire albo in concreto, quià convenit illi quatenus habet pro forma albedinem, ergò, &c.

CCC V. Respondeo, negando antecedens: nam sicut animal quatenus habet pro forma animalitatem, non est animalitas; ità nec est definitum *quod* in definitione Generis, sive pars materialis, aut totum potentiale respectu eorum, de quibus aptum est prædicari, ut totū potentiale. Ratio est, quia non dicit minùs actu, quā illa, quod tamen ad hoc requiritur.

CCC VI. Ad antecendentis verò probationem, Respondeo esse disparitatem, quòd album, quatenus habens albedinem, sit definitum *quod* in allata definitione albi, nam illi, utpotè subjecto, quod est definitum *quod* in definitione con-re-

concretorum accidentalium, convenit ut *quod* tota allata albi definitio; non autem animali, quatenus habet pro forma animalitatem, definitio Generis, sed soli animalitati: quorum ratio esse potest, quià definitio Generis non est essentialis definitio animalitatis in concreto, sicut allata definitio albi, est definitio essentialis albedinis in concreto: quod patet à pari, quia si definiatur animalitas in concreto *vivens sensitivum*, statim hæc definitio conveniet animali, ut v. g. homini quatenus habet animalitatem, sicut ista definitio albedinis in concreto convenit albo: cum hoc tamen discrimine, quòd utrumque, homo scilicet & animalitas, in illa definitione sint definitum *quo* & essentiale, propter concretionem essentialem hominis cum animalitate: secus album & albedo in definitione albedinis in concreto; quia concretio albi cum albedine non est nisi accidentalis.

CCCVII. Objicies 2°, in definitionibus concretorum accidentalium est duplex definitum, *quo*, & *quod*. Ergò & in prædicationibus prædicatorum accidentalium est duplex prædicatum, *quo* & *quod*.

CCCVIII. Respondeo 1°. hoc toto gratis dato, nihil sequi contrà nos; quia ut summum sequitur prædicata habere prædicatum *quo* & *quod*; negamus autem Vniversalia denominativè ut talia Vniversalia, esse posse prædicata; & affirmamus, ut talia solùm esse posse prædicabilia.

CCCIX. Respondeo 2° negando consequentiam; quia est lata disparitas. 1°. quod rectè definiatur aliquid in abstracto ut tali, non tamen rectè (saltem formaliter) prædicatur, de abstracto ut tali; nisi transcendentale sit, juxtà dicta in præparam. Log. Disp. 4. Dub. 2°. quod definitum ut definitum (puta Metaphysicum) dicat partem materialem ut talem, & partem formalem ut talem; neque autem hæc, neq; ista ut talis (saltem formaliter) prædicatur. 3°. definitum *quo* est magis principale, non potest autem prædicatum *quo* esse prædicatum magis principale, imò nullo modo prædicatum esse potest, defectu identitatis & æqualitatis cum eo à quo abstrahitur, & de quo prædicatur, ut paulò antè vidimus. Ex his autem sequitur, hanc prædicationem, *Homo est animal rationale*, non esse in rigore, definitionis Metaphysicæ de definito Metaphysico, quia animal & rationale in concreto sunt æqualia cum homine, non verò Genus ut Genus, differentia ut differentia, quæ in definitione Metaphysica hominis essentialiter involvuntur. Quare definitio hominis sint animalitas & rationalitas, quæ tamen numquam ut definitio prædicentur de homine. Vndè malè dicitur, definitionem ut definitionem, debere converti per prædicationem formalem cum definito; quia hoc ipso, quòd definitum & definitio prædicantur formaliter de invicem, altera pars definitionis cessat esse pars, & fit æqualis definito: dici tamen potest, definitionem in concreto debere converti cum definito, propter quod, nos accommodando communi modo loquendi, qui sæpius concreta essentialia sumit in concreto, Genus & differentiam definimus in concreto.

CCCX. Instabis, in definitionibus Vniversalium communiter receptis, Genus & differentia definiti, sunt in concreto, ergò & in definitione hominis Genus & differentia definiti, possunt esse in concreto, ac proindè hæc prædicatio, *Homo est animal rationale*, est in rigore, definitionis Metaphysicæ de definito Metaphysico.

CCCXI. Respondeo, negando consequentiam, est enim disparitas, nempè quòd homo non sit concretum accidentale, cujus dantur duo definita *quo* & *quod*, ac proindè & duo Genera definiti *quo* & *quod*, & duæ differentiæ definiti *quo* & *quod*; Vniversalia autem sunt talia concreta. Hinc tamen non sequitur, ratione Generis definiti in concreto, aut ratione differentiæ definiti in concreto, Genus definiti aut differentiam definiti includere suum definitum, & definitum ingredi suam definitionem; quia Genus definiti in definitione Generis v.g. est res habens Vniversalitatem, definitum verò adæquatum in definitione Generis, non est res habens Vniversalitatem, sed Genus sive res habens talem Vniversalitatem, puta Genereitatem & Genereitas; alioqui animal esset tale definitum. Idem est de Genere definiti in definitione albi, quâ definitur, disgregativum visus; illud enim est res habens albedinem, quæ non est definitum adæquatum in definitione illa, sed album, alioqui paries aut cygnus esset definitum adequatum in definitione albi: deindè quià alioqui definitum in concretis accidentalibus non esset nisi unum, prout est in essentialibus.

Resolutio II.

CCCXII. Dico 2°. Genus 1°. intentionaliter sumptum, sive animal (& sic de cæteris prædicabilibus) *homo*, &c. est 1^um^ prædicabile in abstracto, sive sumptum pro animalitate, humanitate, &c.

CCCXIII. Probatur 1°. quià neque animal ut pars materialis essentiæ Vniversalis; neque homo ut tota essentia Vniversalis individuorum præcisè; neque rationale ut pars formalis essentiæ Vniversalis; neq; risibile in quale purè, sive ut accidens (& idem est de albo) in concreto est aptum affirmari de multis, sed in abstracto dumtaxat; quià in concreto non est nisi aptum affirmari ut idem, ut æquale de æquali, &c. secus verò in abstracto; ergò, &c.

CCCXIV. Confirmatur, quia illa in concreto important illa ipsa de quibus apta sunt affirmari, quæ, ut talia, non possunt esse pars materialis suæ essentiæ Vniversalis, tota sua essentia Vniversalis præcisè, &c. in abstracto autem illa non important; & illis in abstracto sumptis conveniunt Vniversalium definitiones. Vndè omnia Vniversalia in cōcreto sunt unum & eodem modo apta prædicari; scilicet ut idē, ut æquale de æquali, &c. non item in abstracto.

CCCXV. Probatur 2°: animal aliquo sensu est 1^um^. prædicabile, non in concreto ut Resol. 1ª vidimus, & alioqui quinque prædicabilia essent eodem modo prædicabilia, scilicet ut æquale de æquali; ergò in abstracto.

CCCXVI. Confirmatur animalitas est unum, &c. aptum prædicari de homine & bruto *in quid* ut pars materialis, ergò est 1^um^ prædicabile: consequentia tenet à definitione; major patebit Solutione argumentorum.

CCCXVII. Objicies 1°, animalitas numquam prædicatur de homine & bruto, nisi mediet concretio illius cum homine & bruto; ergò non est 1^um^ prædicabile in abstracto: consequentia videtur certa; probatur antecedens, quia falsa est prædicatio, *Homo est animalitas in abstracto, brutum est animalitas in abstracto*, ergò, &c.

CCCXVIII. Respondeo concesso antecedente, negando consequentiam, quā evidenter retorqueo in visum. Visus numquam videt objectum nisi apertis

palpebris, ergò, illis non apertis, nõ est completè visivus, negatur consequentia: sicut enim apertio palpebrarũ non se tenet ex parte potentiæ, sive ut potentia visiva sit completa; sed ex parte actus visionis, sive ut potentia sit videns: sic similiter concretio non se tenet ex parte prædicabilitatis sive aptitudinis ad prædicandum; sed ex parte prædicationis, quæ se habet ad 1um prædicabile accidentaliter contingenter, sicut visio ad potentiam visivam: quis enim attendens, dicet dormientem oculis clausis non esse completè visivum, licèt visio defectu apertionis palpebrarum, quam prærequirit, non sit proximè possibilis, quæ longè sunt diversa? nullus: ergò nec ullus dicere poterit, animalitatem abstractam ab homine & bruto sinè concretione non esse completè 1um prædicabile, licèt accedere debeat concretio ut prædicetur, sicut accedere debet oculorum apertio, ut visus videat; quia longè diversa sunt, esse prædicabile, & prædicari; esse visivum, & videre.

cccxix. Nec refert, quod positâ concretione videatur natura proximiùs prædicabilis, quàm eâ absente; quia id solùm verum est de proximiori prædicatione æqualis de æquali & identicâ; non autem de proximiori prædicatione naturæ ut naturæ taliter Vniversalis, Generis v. g.

cccxx. Instabis, frustrà est potentia, quæ non potest reduci ad actum; sed prædicabilitas generica animalitatis in abstracto non potest reduci ad actum, ergò, &c.

cccxxi. Respondeo distinguendo majorem, frustrà est potentia, &c. si non possit reduci ad actum, defectu alicujus se tenentis ex parte ipsius potentiæ, concedo majorem: ex defectu alicujus se tenentis ex parte ipsius actus, nego majorem; quià alioqui ea non essent possibilia, quæ Deus decrevit numquam producere, cùm tamen necessariò sint possibilia: frustrà esset aër illuminabilis à secundo sole, & terra calcabilis ab Anti-Christo, defectu existentiarum illorum. Item frustrà esset potentia visiva in tenebris, in dormiente oculis clausis, &c. Ad hoc enim, ut potentia non sit frustrà, & completa sit in ratione potentiæ, sufficit quòd actus sit possibilis, mediantibus iis, quæ actus ex parte sua requirit; & illa, ex parte suâ nihil requirat, ut exeat in actum, quod hic fit.

cccxxii. Vrgebis, conditiones requisitæ ex parte actus sunt requisitæ ex parte potentiæ; ergò, ubi actus non poterit poni, nisi certis quibusdam conditionibus requisitis ex parte actus positis, illa erit frustranea, quamdiu non ponentur.

cccxxiii. Respondeo negando antecedens; quià actus & potentia realiter distinguuntur, & potentia sæpè tempore, imò semper naturâ, est prior actu; undè conditiones requisitæ ad hoc, ut sit actus, non sunt conditiones requisitæ ad hoc, ut potentia sit. Quis enim dicet, lucem & colores conditiones requisitas, ut sit visio, esse conditiones requisitas, ut potentia sit visiva? Item, quis dicet existentiam secundi solis conditionem requisitam, ut sit illuminatio secundi solis, esse conditionem requisitam ad hoc, ut aër sit à secundo sole illuminabilis? idem est de terra, ut calcabili ab Anti-Christo. Vnde conditiones requisitæ, ut sit actus, sunt quidem requisitæ, ut potentia sit operans, & effectus operatus; non verò ut potentia sit operativa, & effectus operabilis: ac proindè & in proposito, concretio naturæ Vniversalis cum subjecto, quidem est conditio requisita, ut intellectus sit prædicans, & ipsa prædicata; non verò ut intellectus sit completè prædicativus, & ipsa completè prædicabilis.

Resolutio III.

cccxxiv. Dico 30, contrà R. P. Oviedum: Genus de Specie, v. g. animal de homine, non prædicatur ut totum potentiale, ut pars potentialis, & ut pars actualis, etiam hoc sensu, quòd prædicatio terminetur ad totum potentiale & partem potentialem, quæ per prædicationem constituatur actu componens & pars actualis.

cccxxv. Probatur, quia prædicatio neque terminatur ad totum potentiale, neque ad partem potentialem, ergò, &c. Probatur antecedens, quia, ex insinuatis suprà à num. 317. concretio est conditio requisita ex parte prædicationis; & reverà, cùm prædicatio sit identificatio prædicati cum subjecto, debet esse æqualis de æquali, sive concreti de concreto: sed nullum concretum est totum potentiale, aut pars potentialis respectu ejus, de quo prædicatur, ergò, &c. Probatur minor, quià alioqui, cùm totum potentiale & pars potentialis actu pauciora dicat, quàm id, de quo ut talia prædicantur, non essent illi æqualia; intelligi autem non potest, quomodò inæqualia possint esse idem per affirmationem; erunt enim, ut supponitur; non erunt, quià unum plus dicet, quàm aliud, ergò, &c.

cccxxvi. Dices fortè, prædicatio non terminatur quidem ad totum potentiale, aut partem potentialem, attento concreto, v. g. *animal*, quod prædicatur, secundum quod dicit in recto, sed benè secundum id, quod dicit in obliquo; sed hoc sufficit ut dicatur terminari ad totum potentiale & partem potentialem, ergò, &c.

cccxxvii. Respondeo, negando majorem pro 2a parte; quià prædicatio est quædam identificatio; sicut autem falsum est dicere, *Homo est animalitas: homo est id, quod minus dicit actu, quàm homo: homo est id, quod est inæquale homini*: ita falsum est dicere, prædicationem terminari ad concretum, secundum quod dicit in obliquo: nam concretum illud sive animal v. g. secundũ id, quod dicit in obliquo, est animalitas, est totum potentiale, pars potentialis, &c. Vndè prædicatio non terminatur ad concretum ut concretum, sed ad concretum secundum id quod dicit in recto, ut omnes fateri debent. Ex quo ulteriùs patet ad id, quod nonnulli alii dicunt, Genus, *animal* v. g. ex parte actus prædicantis non prædicari ut totum potentiale, benè ex parte apprehensionis præviæ ad prædicationem; sed illi non reflectunt, quòd ex parte talis apprehensionis animal non prædicetur, nec verè de Specie affirmetur, propter rationes jam datas; licèt verè de specie prædicetur id, quod ex parte apprehensionis præviæ, secundum quod dicit in obliquo, &c. est totum potentiale & pars potentialis; quia illa multùm differunt, ut consideranti patebit.

cccxxviii. Instabis 1o. veritas prædicatorum Vniversalium sumitur penes identitatem rectorum subjecti & prædicati; diversitas verò specifica penes diversitatem obliquorum sive formarum: ergò etiam suo modo prædicatio terminatur ad concreta secundum id, quod dicunt in obliquo, & suo modo affirmantur obliqua sive formæ, puta in ordine ad specificationem prædicatorum, licèt non affirmentur in ordine ad verificationem. Probatur consequen-

sequentia, quià alioqui omnes omninò prædicationes essent identicæ & ejusdem Speciei, quod nullus dixerit, ergò, &c.

CCCXXIX. Respondeo, negando antecedens pro 2ª parte, & retorqueo argumentum. Veritas hujus prædicationis, *album est dulce*, sumitur penes identitatem rectorum albi & dulcis; diversitas verò specifica illius propositionis ab hac, *album est album*, penes diversitatem obliquorum sive albedinis & dulcedinis, ergò suo modo affirmatur albedo de dulcedine, pura in ordine ad specificationem. Quis non videt hoc esse falsum, & omni sensu esse falsum, *albedo in abstracto est dulcedo in abstracto?* realiter enim distincta, ut sunt albedo & dulcedo, nequeunt de invicem affirmari.

CCCXXX. Deinde, sicut albedo in abstracto nullo sensu potest affirmari de dulcedine in abstracto, in ordine ad verificationem; ità nullo sensu, à fortiori, potest de illa affirmari in ordine ad specificationem: quià prius est, posse ad verificationem concurrere, quàm ad specificationem prædicationis veræ. Vndè quandò dicitur, diversitatem specificam prædicationum sumi penes diversitatem formarum, non est sensus, concreta de invicem aliquo modo affirmari secundum obliqua sive formas; sed diversitatem specificam prædicationum sumi à diversis Specie prædicatis & subjectis materialiter sumptis, ob diversitatem specificam obliquorum, sive formarum eorumdem (quæ sunt valde diversa) & habetur diversitas illa, licèt formæ nullo modo de invicem affirmentur.

CCCXXXI. Quarè firmum manet, quòd prædicatio non terminetur ad concreta, secundum quod dicunt in obliquo; item quod Genus in concreto non sit aptum affirmari de multis *in quid* ut totum potentiale, vel ut pars materialis secundum id, quod dicit in obliquo; licèt hæc prædicatio, *homo est animal*, distinguatur Specie ab hac, *homo est homo*, propter obliquum, quod *animal* habet diversum ab homine. Hinc ulteriùs patet, omnes propositiones non ideò fore identicas; nam sicut ad hoc, ut sint diversæ Speciei, sufficit diversitas specifica formarum prædicati vel subjecti, licèt hæ nullo modo de invicem affirmentur; ità à fortiori ad hoc, ut non sint identicæ, id sufficit.

CCCXXXII. Instabis 2º, prædicatio terminatur ad id, quod abstrahitur à subjecto; sed illud, quod abstrahitur à Specie, v. g. homine, est totum potentiale & pars potentialis respectu illius; ergò prædicatio Generis de Specie, v. g. animalis de homine, terminatur ad totũ potentiale & partem potentialẽ.

CCCXXXIII. Respondeo negando majorem; nam id quod abstrahitur à subjecto sive homine non est animal in concreto, sed animal in abstracto, sive animalitas: ratio est, quià illud quod abstrahitur, minus dicit, quàm id à quo abstrahitur; imò ideò dicitur abstractum, quia minus dicit: animal verò in concreto omninò eadem, & non pauciora, confusè dicit, quàm homo à quo abstrahitur; aliàs de homine prædicari non posset: prædicatio autem, ut sæpè dictum est, terminari debet ad animal in concreto. Hinc

CCCXXXIV. Colliges quòd, ubicumquedixìmus animal abstrahi ab homine & bruto, hominem à Petro & Paulo, animal esse totum potentiale respectu hominis & bruti, &c. dictum sit, secundum communem loquendi modum, & intelligendum de animali & homine sumptis in abstracto, (& sic de aliis) juxtà has Resolutiones, quarum hîc est proprius locus.

Resolutio IV.

CCCXXXV. Dico 4ª cum Magistro Nostro Bachone in 1ᵘᵐ Dist. 8ª. art. 2º. & PP. Complut. Disp. 5. *de Genere* q. 5. §. 2º. D. Thom. & aliis pluribus, quos ibi citant. Genus de Specie, v. g. animal de homine prædicatur tantùm ut æquale de æquali, licèt aliter repræsentetur, quàm Species, ob diversum formale significatum, quod habet à Specie distinctum: ex quo fit, prædicationem Generis de Specie non esse identicam.

CCCXXXVI. Probatur, quia Genus de Specie, sive animal de homine prædicatur tantùm in concreto, & secundum quod importat in recto tantùm: sed secundum quod Genus importat in recto, utpotè omninò idem cum Specie (nam Genus v. g. animal est res habens animalitatem, Species v. g. homo res habens humanitatem) prædicatur ut æquale de æquali, & non potest aliter prædicari, ergò, &c.

CCCXXXVII. Confirmatur, ut Genus legitimè prædicetur de Specie, debet esse identitas inter ipsum & Speciem, sive debet actu tantùm includere, quantum Species, nec plura; ergò debet de illa prædicari tantùm ut æquale de æquali. Probatur consequentia, quia, ut totum potentiale & pars potentialis, pauciora actu includit, quàm Species.

CCCXXXVIII. Objicies 1º. Genus non potest prædicari de Specie ut æquale de æquali, nisi secundum quod dicit in recto; sed in recto plura dicit, quàm Species, ergò nullo modo Genus potest prædicari de Specie, ut æquale de æquali.

CCCXXXIX. Probatur minor, quià animal v. g. in recto præter hominis individua (quæ tantùm dicit homo in recto) dicit brutum & omnes Species bruti, quas homo non dicit, ergò, &c.

CCCXL. Respondeo distinguendo minorem; sed Genus in recto, ut substat suppositioni, quæ prædicatum præcisè afficit, sive ut subest judicio prædicanti inadæquatè sumpto, & prout præcisè tendit in prædicatum, plura dicit, quàm Species, concedo minorem; nam animal v. g. ut sic, dicit omnia, quibus convenit habere animalitatem, quæ sunt sine numero plura, quàm ea, quibus convenit habere humanitatem: ut substat verificationi, quæ totam propositionem afficit, sive ut subest judicio prædicanti adæquatè sumpto, & prout tendit in totam propositionem, nego minorem; quià ut sic, per copulam determinatur (suppositio ulu jam recepto, in eo, quòd in prædicatione hominis *de* Petro, *Petrus est homo*, homo accipiatur personaliter, & confundatur cum Petro, juxta dicta Disp. 1ª. n. 30º. & Disp. 2. n. 227.) ad significandum illud idem, quod Species dicit in recto, quàdoquidẽ inter illud solũ & Speciẽ possit esse verificatio & identificatio.

CCCXLI. Objicies 2º. Genus prædicatur incompletè & ut pars materialis de suis Speciebus, ergò non prædicatur ut æquale de æquali.

CCCXLII. Respondetur communiter, distinguendo antecedens, Genus prædicatur incompletè & ut pars materialis, ex parte formalis significati, & secundum id, quod dicit in obliquo, conceditur: ex parte materialis significati, & secundum id quod dicit in recto, negatur. Verùm hæc responsio difficilis est, ut vidimus suprà n. 325. Sicut enim nulla est identitas aut æqualitas obliqui prædicati cum subjecto, ità nec prædicatum sive

Genus de suis Speciebus prædicatur, secundum id, quod dicit in obliquo. Quare aliter

CCCXLIII. Respondeo negando antecedens, Genus enim de suis Speciebus prædicatur completè ut totum actuale, & ut æquale de æquali; neque ipsum ab aliis Vniversalibus, aut omnia Vniversalia inter se, in actuali prædicatione distinguuntur, sed in aptitudinali: pro quo vide Resol. 2am.

CCCXLIV. Objices 3°. Genus, ut 1um prædicabile, est totum potentiale & pars potentialis respectu suarum Specierum; ergò de illis debet prædicari ut totum potentiale & ut pars potentialis. Probatur consequentia, quia debet prædicari eo modo, quo est prædicabile.

CCCXLV. Respondeo negando consequentiam, nam in abstracto tantùm est totùm potentiale, & pars potentialis respectu suarum Specierum, ut satis insinuant omnes Adversarii, cùm docent, Genus prædicari tantùm de suis Speciebus, ut totùm potentiale, & ut partem potentialem secundum id, quod dicit in obliquo; in abstracto verò de illis non prædicatur; quia sunt æqualitas, identitas, &c. ità concretio est conditio requisita ad prædicationem; & sicut prædicabile non prædicatur nisi in concreto, ità totum potentiale non contrahitur ad suas Species, in quibus potentiâ existit, nisi in concreto; nam contractio illa, quædam illius prædicatio est de suis Speciebus. Vndè de toto potentiali conformiter loquendum ad dicta de prædicabili. Hinc ad probationem consequentiæ distinguo assumptum: debet prædicari omni eo modo, quo est prædicabile, nego assumptum; alioqui cùm in abstracto & sinè prædicatione sit 1um prædicabile, deberet prædicari in abstracto & sinè prædicatione, quod est ridiculum: aliquo modo, id est, debet prædicari in concreto, prout est aliquo sensu (non secus ac cætera) prædicabile in concreto, & ut æquale de æquali, concedo assumptū. Idem assumptum retorquetur in potentiam visivam; *Potentia visiva debet eodem modo videre, quo est potentia visiva*; quod intelligi non potest de omni eo modo, quo est visiva; alioqui cùm sit visiva completè in tenebris & sinè visione juxtà dicta, Resol. 2a. deberet videre in tenebris & sinè visione, quod nullus dixerit: sed hoc modo, potentia visiva debet videre illuminato objecto & cum visione, sicut est visiva illuminato objecto & cum visione.

CCCXLVI. Objicies 4° genus prædicatur de Specie v. g. animal de homine, ut Genus definiti; sed ut Genus definiti, animal est pars actualis hominis; ergo genus prædicatur de sua Specie, ut pars actualis, & non ut æquale de æquali.

CCCXLVII. Respondeo negando majorem; non enim animal est Genus definiti in definitione hominis, sed animalitas: alioqui definitum ingrederetur suam definitionem; nam animal in recto, idem est quod homo; Genus enim definiti debet esse 1um prædicabile & totum potentiale, quale non est animal, sed animalitas tantùm. Deindè animal non est pars actualis hominis, ut diximus; sed est ipse homo secundum quod dicit in recto; undè sequeretur, hominem esse partem actualem sui ipsius.

CCCXLVIII. Instabis 1°, vera est hæc definitio hominis, *homo est animal rationale*: falsa hæc, *homo est animalitas rationalitas*, ergò animal est Genus definiti in definitione hominis, non animalitas; & animal est pars actualis hominis, non animalitas. Probatur consequentia quia Genus definiti de suo definito, & pars actualis Metaphysica de suo toto, rectè prædicatur; rectè autem dicitur *homo est animal*, non verò, *homo est animalitas*. Ergò, &c.

CCCXLIX. Respondeo distinguendo antecedens pro 1°. parte, vera est hæc definitio hominis, *homo est animal rationale*, si animal & rationale sumantur ut extrà propositionem, & præcisè considerentur secundum id, quod dicunt in obliquo, cōcedo antecedens; si sumantur ut in propositione, & secundum id quod dicunt in recto, vel secundum id quod dicunt in recto & obliquo, nego antecedens: ratio est, qua ad veram definitionem requiritur Genus & differentia, animal verò & rationale sunt tantùm Genus & differentia, præcisè considerata secundum id, quod dicunt in obliquo; & secundum id quod dicunt in recto, important ipsum definitum; undè si secundum id, quod dicunt in recto considerentur, definitum ingreditur suam definitionem, quod est vitiosum. Hinè dic 1°. definitiones omnes concreti essentialis in concreto datas, non esse veras definitiones, nisi considerentur præcisè secundum obliquum. 2°. *animalitatem rationalitatem*, veram esse definitionem hominis, sicut sunt verum Genus & vera differentia hominis: falsam tamē esse prædicationem *homo est animalitas rationalitas*; quia Genus ut Genus, differentia ut differentia de nullo verè prædicantur. Dic 3°. definitionē, ut legitimam definitionem concreti essentialis, sive ut includit Genus & differentiā, numquàm verè prædicari de suo definito; quia Genus & differentia debent sumi in abstracto; quod autem prædicatur, in concreto, ut toties probatum est.

CCCL. Nec dicas, Genus ut Genus, & differentiam ut differentiam numquàm quidem verè prædicari in abstracto; benè in concreto secundum quod dicunt in obliquo: quia illud nihil aliud est, quàm prædicari in abstracto, quod negas fieri, & meritò.

CCCLI. Instabis 2°. non est ratio cur potiùs rectè definiantur Genus & Species 2° intentionaliter sumpta per Genus definiti sumptum in concreto, quàm sumpta 1°. intentionaliter; sed sumpta 2°. intentionaliter ità definiuntur, ergò & sumpta 1°. intentionaliter.

CCCLII. Respondeo distinguendo majorem. Nō est ratio cur potiùs, &c. quàm sumpta 1°. intentionaliter, pro concretis accidentalibus, prout sunt Genus & Species 2° intentionaliter sumpta, concedo majorem: hæc enim, sicut etiam important duo definita sibi invicem accidentalia, ità debent importare duplex Genus definiti illis proportionata, *ut quod* scilicet, si definita *quod*; & *ut quo*, si definita *quo*; sicut verò non datur definitum *quod* & *quo*, nisi in concreto; ità nec datur Genus definiti *quod* & *quo* nisi in concreto; verumtamen ex tali genere definiti non sequitur definitum ingredi suā definitionē, quia quando definio *quale*, v.g. qualificativū subjecti; *Genus* Vniversale, &c. nec qualificativū immediatè significat in recto *quale*; nec Vniversale immediatè significat in recto *Genus*; alioqui, cùm omne concretū ordinatè affirmari possit de eo, quod immediatè importat in recto, ordinatæ essent hæ prædicationes, *qualificativū est quale*, *Vniversale est Genus*, quod nullus admiserit; sed qualificativum immediatè significat in recto rem immediatè *ut quo* vel *ut quod* sive essentialiter, vel accidentaliter & denominativè habentē qualificativitatem, quod

quali

quali non convenit, quia *quale* immediatè ut *quo*, sive essentialiter dicit qualitatem, & hàc mediante ut *quo*, sive essentialiter qualificativitatem. Loquere proportionaliter de Vniversali : res autem immediatè ut *quo* habens qualificativitatem, est ipsa qualitas. ut *quod*, est ipse paries v.g. Quamobrē ad alterum membrum distinctionis : non est ratio cur potius &c. quàm sumpta 1°. intentionaliter, pro concretis essentialibus, prout sunt animal, homo, &c. nego majorem ; quia cùm in illis sit unicum definitum, *quo* (silicet sivè essentiale, & res immediatè habens animalitatem, sit ipse homo sive humanitas (quia in concretis essentialibus rectum & obliquum idem sunt) si Genus definiti in definitione hominis poneretur in concreto, definitum ingrederetur suam definitionem.

CCCLIII. Si verò quæras, quarè potius in definitione concreti accidentalis sint duo definita, *quo* & *quod*, quàm in definitione concreti essentialis: Respondeo, quia per definitum *quod*, ut opponitur definito *quo*, intelligunt Philosophi definitum accidentale, cui ratione sui non convenit definitio, sed ratione formæ præcisè ; quod tantùm habetur, ubi forma est accidentalis ; non verò ubi forma est essentialis ; quia cùm ipsa & ipsius definitio subjecto conveniant ratione subjecti, subjectum non est definitum *quod* & accidentale in definitione ipsius in concreto, sed *quo* & essentiale : secùs ubi definitum est accidentale, cui definitio ratione subjecti non convenit, sed ratione formæ.

DVBIVM IV.

An Genus & qualibet natura Vniversalis maneat Vniversalis in actuali prædicatione.

CCCLIV. SVppono 1°. concretum *homo* v. g. ex rigorosa significatione, quam habet ex instituto, aliud esse, quàm complexum *hic homo*; licèt in hac propositione vera, *Christus est homo*, ex sensu rigoroso, quo Theologi & Philosophi ly *homo* de Christo verificant, sit idem, quod hic homo, ut probatum est Tract. 1°. Disp. 1ª. num. 30. Sed quod hîc explicandū restat, est, quod ibi diximus, nempè, *vocem* homo *in propositione vera non retinere rigorosam significationem, quam habet ex instituto, sicut Vniversalitatem non retinet, de quo infrà.* Vel enim sermo est de voce *homo* sumptâ, secundum quod dicit in recto, sic ut sit hic homo, Petrus, Christus, &c. & hoc modo clarum est, non retinere Vniversalitatem, quam habet secundum quod dicit in obliquo, ut abstrahens ab individuis, ut minus dicens in suo conceptu quàm individua, &c. quia autem hoc solo sensu est in propositione vera ; loco supra citato dictum est, vocem *homo* in propositione vera non retinere Vniversalitatem. Vel sermo est de voce *homo* sumpta, secundū quod dicit in obliquo, sic ut sit idem quod humanitas, quod abstrahens ab individuis, quod minùs dicens in suo conceptu, quàm individua, &c. & de voce *homo* hoc modo sumpta quæritur, an retineat Vniversalitatem in actuali prædicatione, quam ut sic habet.

CCCLV. Suppono 2°. quandò quæritur, an Genus, animal v. g. maneat Vniversale in actuali prædicatione, an retineat Vniversalitatem in propositione vera, &c. esse quæstionem de nomine : vel enim supponitur, illud esse in propositione verâ ut Vniversale ; & hoc non, quia suppositum istud est falsum, eò quòd Vniversale ut tale, semper sit aliquid superius, vel saltem commune multis ; superius verò ut superius, nequit verificari de inferiori : vel supponitur illud non esse in propositione vera, ut Vniversale, sed ut æquale tantùm, quod ex sæpiùs dictis omninò supponi debet ; quo dato, omninò manifestum est, naturam Vniversalem antè actualem prædicationem, non esse Vniversalem in actuali prædicatione, & hoc sensu, in actuali propositione verâ Vniversalitatem non retinere.

CCLVI. Suppono 3°. certum esse, naturam Vniversalem, ut substantem apprehensioni simplicis termini, quam præsupponit judicium illam prædicans de inferiori, manere Vniversalem eâdem propriâ suâ Vniversalitate ; & rectè dici, naturam ex parte illius Vniversalem prædicari: nam sicut talis apprehensio propter superveniens indicium prædicans, non magis mutatur, quàm si illud abesset, quia ab illo non attingitur ; ità nec natura Vniversalis, per ordinem ad illam, magis mutat Vniversalitatem, quàm si illud abesset. His suppositis, sit

Resolutio.

CCLVII. DIco, natura, quæ erat Vniversalis immediatè antè actualem de singulari prædicationem veram, non est Vniversalis in actuali prædicatione, & hoc sensu Vniversalitatem in actuali prædicatione non retinet : si tamen dicas, judicium naturam Vniversalem prædicans, illius Vniversalitatem non attingere, ac proindè naturam illam Vniversalitatem retinere ; tecum non contendam, modo tantùm velis, naturam, quæ est in actuali prædicatione, retinere Vniversalitatem sub apprehensione, de qua suppositio 3°. quomodò non est in actuali prædicatione ; & eam non retinere, sive non habere sub judicio prædicante, quomodò est in actuali prædicatione.

CCCLVIII. Probatur Resolutio, quia natura Vniversalis, ut subjicitur, non est Vniversalis, ut infrà de Specie subjicibili probabitur : ut autem verè prædicetur, debet esse æqualis subjecto, ut Dub. 3°. suprà probatum est, ergò, &c. consequentia patet ex præsuppositis.

DVBIVM V.

An Genus possit immediatè individuari sub conceptu.

CCCLIX. SEnsus dubii est, an possit intellectus ità confusè concipere plura individua, v. g. *hunc canem & hunc leonem*, ut non distinguat, an sint Specie distincta, nec ne ; sive ita ut ex parte sua non attingat prædicata, quibus inter se Specie distinguuntur. Hoc præmisso, sit

Resolutio.

CCCLX. DIco, potest Genus immediatè individuari sub conceptu. Probatur, quia, qui eminus videt *hunc canem* vel *hunc leonem* moveri motu progressivo, si illum confusè cognoscat, dicit ; *id, quod movetur, est hoc animal*, abstrahendo à prædicato, quo ab aliis Specie distinguitur ; atqui illo casu, Genus immediatè individuatur sub conceptu;

conceptu ; ergò, &c. Probatur minor, quia sub ipsius conceptu inter Genus & hæcceitatem nihil mediat : nam dicere non potest, an animal, quod videt moveri, sit latrabile & canis ; an rugibile & leo ; ergò, &c.

CCCLXI. Confirmatur 1°, ex communi modo loquendi ; sæpè enim dicimus, *hæc caro est bona, hic fructus est pulcher*, ignorando illius differentiam specificam, an v. g. caro sit bovina, an cervina; an fructus sit pomum, an pirum, ergò, &c.

CCCLXII. Confirmatur 2°. Genus potest immediatè individuari à partè rei, ut Dub. 7°. probabitur, ergò à fortiori sub conceptu.

CCCLXIII. Objicies tamen 1°, res non potest concipi sinè sua essentia ; sed Species est tota essentia individui ; ergò individuum non potest concipi sinè Specie, & consequenter Genus non potest immediatè individuari sub conceptu.

CCCLXIV. Respondeo distinguendo majorem : res non potest concipi sinè sua essentia, si ly *sinè* sumatur in actu signato, seu ex parte objecti ; quasi res ex parte sua esset sinè sua essentia integra, vel parte illius, concedo minorem : si ly *sinè* sumatur in actu exercito seu ex parte actus confusè in objectum suum tendentis, nego minorem : id enim fieri posse, ipsa experientia docet, neque id aliud est, quàm rem totam concipi confusè, & non distinctè.

CCCLXV. Objicies 2° inter Genus & quodlibet individuum interjacet conceptus specificus ; ergò Genus non potest immediatè individuari sub conceptu.

CCCLXVI. Respondeo distinguendo antecedens: inter Genus & quodlibet individuum interjacet conceptus objectivus specificus sive Species fundamentalis & ex parte objecti, transeat antecedens : negari enim potest 1°, quia inter Genus & individuum Genericum immediatè à parte rei individuatum, nullus interjacet conceptus objectivus specificus; 2°, quia conceptus specificus objectivus est objectivè saltem unus cum generico & individuali: undè propriè non interjacet : interjacet conceptus specificus distinctus formalis sive Species formalis & ex parte actus, nego antecedens ; contrarium enim experientia docet.

DVBIVM VI.

Quomodò Genus sit prædicabile de individuis genericis & sibi immediatis.

CCCLXVII. SEnsus dubii est, an animalitas v. g. (nam dubium procedit de denominatis Generis, quæ juxta dicta Dub. 3. sumi debent in abstracto) de hoc & hoc animali immediatè individuatis sit prædicabilis, ut Genus, an ut Species. Sed

Antè Resolutionem

CCCLXVIII. Suppono 1°, individuum esse duplex, genericum unum seu incompletum, quod est Genus restrictum per particulam *hoc*, & dicitur incompletum ; quia ex parte conceptus confusi, hæcceitas non conjungitur cum differentia media essentiali, ut v. g. hoc animal, ubi ly *hoc* non conjungitur cum rationali, vel irrationali, quæ est differentia media inter hoc vivens sensitivum sivè hoc animal, & vivens sensitivum sive animal ; nam animalium, aliud est rationale, aliud irrationale. Alterum specificum seu completum, ut hic homo, Petrus &c. quod est Species restricta per particulam *hoc* ; & dicitur completum ex parte conceptus, quia omnes gradus hæcceitate superiores includit, nam, ut patet, inter hunc hominem & hominem, nihil essentiale mediat.

CCCLXIX. Suppono 2°. quòd esse prædicabile ut Genus, sit esse unum aptum prædicari de multis *in quid* ut pars materialis, ut suprà Dub. 2°, dictum est. Item quòd prædicabile ut Species, sit esse unum aptum prædicari de multis *in quid*, ut tota essentia, id est, ità ut prædicabile totum actu dicat, quod dicunt illa multa, de quibus aptum est prædicari, exceptis hæcceitatibus ipsorum, quas Philosophi pro nihilo reputant ; quia solius essentiæ Vniversalis, sive ejus, à quo dimanant prædicata communia, habent rationem: in rigore tamen sunt aliquid distinctum ab essentia Speciei, & constituunt essentiam singularem; alioqui Species, respectu individuorum, non esset prædicabilis de multis. Vndè, hoc totum spectat ad modum loquendi Philosophorum, de quo aliquid dicemus disp. 4°. de Specie. His suppositis, sit

Resolutio.

CCCLXX. DIco Genus de individuis genericis, & sibi immediatis est prædicabile ut Species, & immediatè 1ª pars est contrà P. Mendozam. 2ª contrà P. Ioannem à Sancto Thoma & Thomistas communiter, item contrà P. Comptonum nuperrimè, Log. Disp. 33ª. Sect. 6ª.

CCCLXXI. Probatur: essè prædicabile ut Speciem, est esse unum aptum prædicari de multis *in quid*, ut tota essentia ; & esse prædicabile immediatè, est esse prædicabile nullo mediante prædicato essentiali ; sed animalitas respectu hujus & hujus animalis, est talis ; ergò, &c.

CCCLXXII. Confirmatur: animalitas se habet ad hoc & hoc animal, sicut humanitas ad Petrum & Paulū; sed humanitas de Petro & Paulo est prædicabilis ut Species & immediatè; ergò & animalitas de hoc & hoc animali.

CCCLXXIII. Objicies tamen 1°. Genus semper est quid incompletum & pars materialis respectu eorum, de quibus aptum est prædicari ; ergò non potest de illis esse prædicabile ut Species sive completè, & ut tota essentia.

CCCLXXIV. Resp. distinguendo antecedens, Genus ut Genus reduplicativè, & respectu individuorum specificorum ac mediatorum, semper est quid incompletum, concedo antecedens ; specificativè, & respectu individuorum genericorum ac sibi immediatorum sub conceptu, nego antecedens. Sic etiam Differentia, reduplicativè quidem ut Differentia, & respectu individuorum completorum, semper est quid incompletum, ut v. g. rationalitas respectu Petri & Pauli ; specificativè tamen, & respectu individuorum speciei incompletorum, ut v. g. rationalitas respectu hujus & hujus rationalis, est Species.

CCCLXXV. Instabis ex Patre Comptono : Genus ità prædicatur completè respectu individui incompleti, ut maneat aptum incompletè prædicari de Specie, ergò tam de individuis incompletis ac genericis, quàm de completis prædicatur ut Genus.

CCCLXXVI.

CCCLXXVI. Respondeo negando consequentiam, quia ex antecedente tantùm sequitur, de individuis completis & specificis prædicari ut Genus; non verò de incompletis & genericis, de quibus jam agimus.

CCCLXXVII. Objicies 2°. dum animal prædicatur, de hoc animali; prædicatur ut totum potentiale, ergò ut Genus. Probatur antecedens; quia prædicatur, ut non magis homo, quàm brutum, adeoque ut contrahibile per differentias oppositas, quod est, esse totum potentiale, ergò, &c.

CCCLXXVIII. Respondeo negando antecedens, juxtà dicta contrà P. Oviedum Resol. 3ª. Dub. 3°. Deindè, etiamsi animal de hoc animali prædicaretur, ut non magis homo, quàm brutum, non sequitur prædicari ut totum potentiale; nam hoc animal in hac prædicatione, *hoc animal est hoc animal*, prædicatur ut non magis homo, quàm brutum, quia non magis dicit rationalitatem, quàm irrationalitatem, sed ab utraque abstrahit, sive concipitur sinè utraque; non tamen prædicatur ut totum potentiale; quia totum potentiale minùs dicit actu essentialiter, quàm id, de quo aptum est prædicari ut totum potentiale; hoc animal verò, imò etiam animal non minùs dicit essentialiter (puta *Universaliter*, modo disp. 4ª. de Specie Dub. 5. explicando) actu, quàm hoc & hoc animal, sed ad illa se habet, sicut homo ad Petrum & Paulum.

CCCLXXIX. Objicies 3°. animalitas ità est prædicabilis de hoc & hoc animali, ut remaneat potentiâ homo & brutum; ergò est prædicabilis de hoc & hoc animali ut Genus, & non ut Species. Probatur consequentia, quia genus dumtaxat, & non Species, est potentiâ homo & brutum.

CCCLXXX. Respondeo distinguendo antecedens: animalitas ità est prædicabilis de hoc & hoc animali; ut remaneat potentiâ homo & brutum, spectata præcisè, ut prædicabilis de hoc & hoc animali, nego antecedens: nam sicut hoc & hoc animal non sunt potentiâ homo & brutum; ità nec animalitas spectata præcisè ut prædicabilis de illis, remanet potentiâ homo & brutum. Spectata secundum totam latitudinem suæ suppositionis, concedo antecedens; quia ut sic est prædicabilis, non tantùm de individuis genericis & immediatis; sed & de homine & bruto specie differentibus.

CCCLXXXI. Respondeo 2° & meliùs, concesso antecedente, negando consequentiam; ad ejus probationem distinguo; Genus dumtaxat, & non Species est potentiâ homo & brutum, si sit sermo de eo, quod est Species tantùm, concedo consequentiam; si sit sermo de eo, quod est Species respectu individuorum immediatorum, & Genus respectu hominis & bruti, sive specierum sibi inferiorum, nego consequentiam: animalitas verò est Species & Genus diverso respectu suprà allato.

DVBIVM VII.

An possit Genus immediatè individuari à parte rei.

CCCLXXXII. SEnsus Dubii est, an dari possit *hoc animal* v.g. (nam dubium procedit de denominatis Generis) sive *hoc vivens sensitivum*, separatum ab homine & bruto, à parte rei, id est, quod nec sit individuum humanum, nec brutale à parte rei; sic ut hæcceitas hujus animalis fundet negationem identitatis ab alio animali, prout Petreitas fundat negationem identitatis Petri ab alio homine. Quarè, dubium non procedit, an Genus ut Genus formaliter, possit immediatè individuari à parte rei; sed materialiter tantùm, an v. g. possint dari à parte rei in individuo prædicata essentialia animalis sinè differentia specifica intermedia, puta rationalitate, aut irrationalitate. Hoc præmisso, sit

RESOLUTIO.

CCCLXXXIII. DIco, contrà Recentiores communiter, & nominatim P. Poncium, qui hanc quæstionem in terminis hîc agitat. Potest Genus immediatè individuari à parte rei, saltem Divinitus.

CCCLXXXIV. Probatur 1o, quia, re bene examinatâ, in eo nulla apparet repugnantia, ut solutione Argumentorum patebit; atqui ea, in quibus nulla apparet repugnantia, sunt possibilia, ergò, &c. Minor probatur in Physica.

CCCLXXXV. Probatur 2°, non repugnat, dari hanc animam mediam inter rationalem & irrationalem, quæ sit hæc vivens sensitiva tantùm; ergò non repugnat dari hoc animal medium inter rationale & irrationale, quòd sit hoc vivens sensitivum tantùm; ac per consequens Genus immediatè individuatum à parte rei. Consequentia patet, quia talis anima esset tale animal, realiter & à parte rei; sicut hæc anima hominis, realiter & à parte rei, est hoc animal rationale: hæc anima bruti, realiter & à parte rei, hoc animal irrationale; eò quòd illa sit hæc vivens sensitiva rationalis; hæc verò anima bruti, hæc vivens sensitiva irrationalis.

CCCLXXXVI. Nec dicas, hanc animam non esse hoc animal; 1ò, quia hoc animal debet esse corporeum; 2°. quia Genus sumitur à materia, non autem à forma: nam

CCCLXXXVII. Ad 1^{um}. Respondeo hoc animal quidem, quatenus actu sentiens, debere esse corporeum; quia ut sic, includit organa corporea tamquam instrumenta sensationis, per quam denominatur actu sentiens; non tamen quatenus sensitivum, seu quatenus principium sentiendi, quomodò tantùm est realiter idem quod anima: nam principium sentiendi identificatur animæ, non corpori. Deindè, etiamsi daretur, quòd hoc animal deberet esse corporeum, optimè intelligitur, quòd hæc anima sit corporea, hoc ipso quòd habet partes extensas, & à corpore pendet tamquam à causa eductiva, prout pendet hæc anima bruti.

CCCLXXXVIII. Ad 2^{um} verò Respondeo, istius Axiomatis, *Genus sumitur à materia*, hunc sensum esse: Genus imitatur materiam, id est, Genus est determinabile per unam saltem differentiam communem Logicam; sicut materia per unam saltem differentiam Physicam; sive interim Genus realiter sit forma, sive materia.

CCCLXXXIX. Probatur antecedens probationis 2ª. tota realitas & essentia hujus animæ viventis sensitivæ salvari potest, positâ impossibilitate alterutrius animæ, rationalis vel irrationalis, ergò & positâ impossibilitate utriusque. Probatur consequentia, quia non magis à possibilitate unius, quàm à possibilitate alterius pendet: antecedens patet, quia

quia de facto tota in una earum reperitur; alioqui Petrus & Bucephalus includerent aliquid realiter idem, & per consequens, non distinguerentur realiter adæquatè, contrà experientiam; ergò, &c.

CCCLXXXX. Respondebis fortè, negando consequentiam, propter hanc rationem; quia licèt, ut videam, non magis pendeam ab oculo sinistro, quàm à dextro determinatè; pendeo tamen ab alterutro indeterminatè & confusè. Vndè hîc similiter, licèt tota realitas & essentia hujus animæ viventis sensitivæ salvari possit, posità impossibilitate alterutrius, animæ rationalis vel irrationalis; tamen, ut salvetur, pendet ab alterutra indeterminatè & confusè. Sed

CCCLXXXXI. Contrà 1°. disparitas est, quòd alteruter oculus sit instrumentum necessarium videntis; sicut unus omnium equorum, hic vel ille, est pars essentialis equitantis: rationale autem vel irrationale non est instrumentum necessarium, vel pars essentialis hujus animæ viventis sensitivæ, sive hujus animalis; nam rationale & irrationale se habent ad hanc animam viventem sensitivam, consideratam in statu possibili, sicut album & nigrum ad parietem; siquidem rationale & irrationale non minùs sunt extrà essentiam Physicam animæ viventis sensitivæ tantùm possibilis, quàm album & nigrum extrà essentiam Physicam parietis. Vndè sicut paries esse potest, & non esse albus aut niger, ità hæc anima vivens sensitiva possibilis potest produci, & non produci rationalis aut irrationalis.

CCCLXXXXII. Contrà 2ò, non est assignabilis ratio, ob quam dicatur hæc anima vivens sensitiva possibilis pendere à possibilitate alterutrius animæ viventis sensitivæ rationalis, vel irrationalis.

CCCLXXXXIII. Non hæc, nempè, quia alterutri identificatur; nam id solùm verum est de existente, non de possibili; imò de existente (saltem irrationali) satis dubium est, ut statim patebit.

CCCLXXXXIV. Neque hæc, nempè quia, ut existat, debet esse ens Physicè completum; nam anima rationalis existit naturaliter separatim ab omni subjecto, & materia separatim ab omni forma; natura tamen est ens Physicè completum.

CCCLXXXXV. Nec magis hæc, quia ab illis accipere debet singularitatem; nam cætera entia eam habent ab entitate propria; ergò & ipsa: nec ulla alia apparet ratio, ergò, &c.

CCCLXXXXVI. Probatur 3°. Materia 1ª (ut suppono ex Physica) potest naturaliter 1°. produci sinè omni forma, & naturaliter existere sinè omni forma. Item hæc anima vivens sensitiva potest existere naturaliter (ut constat ex statu separationis animæ rationalis à corpore) sinè omni corpore humano & brutali, ergò & hoc animal, sive hæc anima vivens sensitiva sinè rationalitate vel irrationalitate. Probatur consequentia, quia non magis à rationalitate vel irrationalitate pendet, quàm materia à forma, aut quàm hæc anima vivens sensitiva ab aliquo corpore, humano vel brutali, ergò, &c.

CCCLXXXXVII. Respondent nonnulli, esse disparitatem, videlicet, quòd gradus genericus identificetur specifico, animal v. g. huic homini vel huic bruto; non item materia formæ, vel anima sensitiva huic corpori humano aut brutali. Sed

CCCLXXXXVIII. Contrà, tales advertere debuissent dubium procedere de gradu generico animalis possibili, ejusdem rationis cum existente in Petro & Bucephalo; non verò de actuali & in illis realiter existente, quem satis constat illis identificari; ac proindè non posse ab illis separari. Numquid hoc ens consideratum ut possibile, licèt ut actu existens, de facto Petro v. g. realiter identificetur, potest realiter extrà Petrum, & à Petro separatim reperiri? nullus rationabiliter negabit; quia sicut de facto in hoc lapide extrà Petrum reperitur, ità & extrà Petrum à possibilitate ad existentiam trahi posset. Idem dic de anima illa sensitiva, & attende, nos solùm velle, Genus in nonnullis contrahi per differentiam specificam, in aliis per individualem immediatè.

CCCLXXXXIX. Addo tamen, istud animal, sive istam animam sensitivam tantùm, in casu conclusionis, non fore gradum Metaphysicum; sed ens incompletum Physicum; quia verè realiter & à parte rei existeret, & antè omnem intellectum. Vndè hoc dubium, non tam ad Logicam pertinet, quàm ad libros de Anima: licèt hîc communiter ab omnibus tractari soleat.

CCCC. Probatur 4°. secundum eos, qui admittunt animarum successionem in generatione hominis; embrio 1ò animatur animâ vegetativâ, quâ pereunte animatur animâ vegetativâ & sensitivâ simul, & nondum animâ rationali aut irrationali; sed illo casu, embrio est hoc animal, & non hic homo vel hoc brutum; ergò est Genus immediatè individuatum.

CCCCI. Responderet aliquis, embrionem esse Speciem quamdam animalis incompleti distinctam ab homine & bruto; sed frustrà, quia cùm Species illa incompleta nihil addat supra Genus, non distinguitur à Genere. Vndè respondere, embrionem esse speciem quamdam animalis incompleti distinctam ab homine & bruto, est respondere esse Genus distinctum à specie; quod frustrà respondetur, nec quidquam contrà probationem continet; sed potiùs illam confirmat, admittens hunc embrionem esse hoc Genus immediatè individuatum, sive individuum immediatum sub embrione, qui Genus est.

CCCCII. Confirmatur. Quodlibet Genus potest contrahi immediatè ad speciem aliquam per differentiam istius generis contrahibilium nobilissimam, ergò & per ignobilissimam, nempè hæceitatem. Assumptum probabitur in Physica Disp. de infinito Dub. 5°.

SOLVTIO OBIECTIONVM.

CCCCIII. OBjicies 1°. Achillem Adversariorum. Isti generi à parte rei immediatè individuato v. g. huic animali, repugnaret esse hic homo, vel hoc brutum, & nòn repugnaret; sed id contradictoriè repugnat; ergò & illud individuum dari à parte rei.

CCCCIV. Probabis majorem pro 1ª parte 1°, quia alioqui tale individuum non haberet essentiam in se certam & determinatam, sed in hoc homine tantùm vel hoc bruto; neque certas & determinatas operationes, sed esset indifferens ad operandum rationabiliter vel irrationabiliter. 2°. quia alioqui

posset

posset successivè esse aliud, quàm antè fuisset, puta hic homo, vel hoc brutum, & sic posset consequenter dari transitus de Specie ad Speciem, duæ Species in unam cõalescere, &c. quod favet hæresi dicenti, *in Christo Naturam humanam & Divinam in unam cõaluisse.*

CCCCIV. Probatur major pro 2ª. parte: quia, si repugnaret: vel repugnaret propter rationem animalis præcisè: vel propter Differentiam numericam sive propter illius singularitatem positivam: vel propter negationem hujus hominis & hujus bruti, in singularitate talis individui fundatam; vel in ratione animalis immediatè.

CCCCV. Non propter rationem animalis; quia ratio animalis ejusdem planè rationis, identificata in hoc homine, & hoc bruto sinè tali repugnantia reperitur.

CCCCVI. Non etiam propter singularitatem positivam; 1º quia illa solùm facit repugnare, ut, quod est hoc, non possit esse illud numero; non verò ut, quod est hoc, non possit esse hujus vel illius Speciei, *hic homo* v.g. aut *hoc brutum*; ut constat ex singularitatibus Petri & Pauli, ratione quarum inter se quidem repugnant, ne sint idem numero; non verò, ne sint ejusdem Speciei. 2º. quia si singularitas sive Differentia individualis faceret repugnare tale Individuum esse hunc hominem vel hoc brutum, non esset Differentia individualis; sed specifica: quia illa ratio, in qua conveniunt plura Individua, & per quam differunt à qualibet Specie, est Differentia specifica; sed Differentia individualis esset talis, ergò, &c.

CCCCVII. Non propter negationem hujus hominis & hujus bruti in singularitate talis Individui fundatam; 1º quia, cùm deberet potiùs exigere esse hic homo, vel hoc brutum, quàm id non esse; talem negationem non haberet. 2º quia repugnantia illa debet esse positiva, utpotè entis positivi.

CCCCVIII. Non denique propter negationem hujus hominis & hujus bruti in ratione animalis immediatè fundatam; quià ratio animalis secundum se est indifferens ut sit in homine vel bruto.

Solutio I.

CCCCIX. Resp. 1º retorquendo Achillem illum in Adversarios, qui admittunt, posse Genus immediatè individuari sub conceptu. Huic animali, Generi immediatè individuato sub conceptu, repugnaret esse hic homo vel hoc brutum sub conceptu, & non repugnaret: sed id contradictoriè repugnat; ergò & dari Genus immediatè individuatum sub conceptu.

CCCCX. Probatur major pro 1ª. parte, 1º quià alioqui tale Individuum non haberet sub conceptu essentiam in se certam & determinatam; sed, &c. 2º quià alioqui posset successivè esse sub conceptu aliud, quàm antè fuisset, &c. non enim minùs repugnat Individuum ut tale Individuum v.g. hoc animal, non habere essentiam determinatam sub conceptu, quàm à parte rei; esse successivè aliud sub conceptu, quàm antè fuisset: quàm esse successivè aliud à parte rei, quàm antè fuisset.

CCCCXI. Probatur major pro 2ª parte 1º. quià si id sub conceptu repugnaret: vel repugnaret propter rationem animalis præcisè: vel propter Differentiam numericam sivè illius singularitatem positivam: vel propter negationem hujus hominis, & hujus bruti, &c. Non propter rationem animalis, quià ratio animalis ejusdem planè rationis in Petro & Paulo sinè tali repugnantia sub conceptu identificata reperitur. Eodem modo applica cætera.

Solutio II.

CCCCXII. Respondeo 2º negando majorem pro 1ª parte: ad 1ªm autem probationem majoris prò 1ª parte Respondeo, quòd etiamsi istud animal posset Physicè inadæquatè fieri vel hic homo, vel hoc brutum; non ideò tamen haberet essentiam magis indeterminatam, quàm materia 1ª, aut quàm anima rationalis, vel irrationalis. Sicut enim, si materia 1ª conjungatur huic animæ rationali ex utraque fit hic homo; ità, si istud animal, sive ista anima vivens sensitiva tantùm, conjungeretur cum hac anima rationali tantùm, & hæc utraque cum hoc corpore, fieret hic homo. Pro hujus clariori intelligentia

CCCCXIII. Adverte, per Deum produci posse 1º hanc animam viventem tantùm. 2º hanc animam vegetativam tantùm. 3º hanc animam sensitivam tantùm: quidni & hanc animam rationalem tantùm; & denique hanc animam irrationalem tantùm? Ratio nostra est 1º quià in eo nulla apparet repugnantia, 2º quià sicut gradus substantiæ possibilis, sub præcisione ab hæcceitate & secundum se spectatus, modò producitur paucioribus, ut in Michaële, modò pluribus, ut in Petro, Differentiis contrahentibus essentialibus identificatus; ità similiter anima possibilis potest modò paucioribus, ut in hac arbore, modò pluribus, ut in Petro, Differentiis contrahentibus essentialibus identificata produci; ac proindè, modò identificata vitæ tantùm; modò vitæ & vegetativitati, modò vegetativitati tantùm, & sic de aliis: nam, si anima possit produci sinè Differentiis contrahentibus & inferioribus, quibus in alio ente identificata est; poterit & sinè superiorum aliqua, cui in alio ente etiam identificata est: quia anima non videtur ex natura sua habere majorem connexionem cum una Differentia ex illis, quàm cum alia.

CCCCXIV. Ad 2ªm probationem majoris pro 1ª parte Respondeo negando sequelam: non enim ex eo, quod hæc materia 1ª modò conjuncta cum hac anima rationali; modò cum hac anima irrationali, possit esse hic homo vel hoc brutum successivè; sequitur illam posse esse successivè aliud, quàm fuerit essentialiter; nam sive in composito, sive extrà, semper manet essentialiter eadem materia, licèt, adveniente hâc vel illâ formâ & unione, sit hic homo, vel hoc brutum inadæquatè essentialiter. Idem dic de hoc animali, sive de hac anima vivente sensitiva tantùm, in proposito, adveniente hâc vel illâ anima rationali vel irrationali tantùm, & corpore. Ad id verò, quod subjungitur, sic posse fieri transitum de Specie ad Speciem, duas Species in unam coalescere, &c. patet omninò esse falsum: nam neq; hæc materia 1ª, neque hæc anima mutat Speciem per hoc, quòd modò in uno composito; modò in alio sit: neque per hoc, quod hoc corpus & hæc anima faciant hunc hominem, cõalescunt in unam Speciem; licèt una Species completa ex illis remanentibus in sua Specie incompleta & ab invicem adæquatè realiter distinctis, fiat una tertia completa. Vndè nostra Responsio multùm distat ab hæresi Eutychetis, sive Eutychianismo, docente naturam humanam & Divinam in Christo factas unam realiter, per commutationem & de-

sitionem utriusque in tertiam ; cui nihil simile hîc docemus ; sed è contrà, utramque realiter distinctam remanere, & facere hunc hominem v.g. prout docet & definit Lateran. Cap. *Firmiter. Christum esse unam in Duabus Naturis Personam: Numquàm*, ut docet Calchedonense contrà præfatum Eutychetem, *sublatâ Differentiâ Naturarum propter unionem.*

ccccxv. Instabis, ad hoc, ut hoc animal sive hæc anima vivens sensitiva tantùm, foret hic homo, vel hoc brutum, simul cum cæteris compartibus; deberet informari hâc animâ rationali vel irrationali; & illâ informata conjungi corpori; sed hoc nullus admiserit, ergò, &c.

ccccxvi. Probatur minor, quià utraque anima, rationalis & irrationalis, dicit in suo conceptu hoc animal, sive hanc animam viventem sensitivam; undè si hæc anima vivens sensitiva informaretur hâc animâ rationali, vel irrationali, poneretur secundò in eo, quòd cum corpore componeret, quod est superfluum; & animal esset forma sui ipsius, quod est absurdum, ergò, &c.

ccccxvii. Respondeo, admissâ majore, negando minorem ; ad ejus probationem Respondeo, animam quidem rationalem hominis aliquandò existentis dicere in suo conceptu hoc animal, juxtà illud 8æ Synodi Constantinop. Generalis 4. *Apparet, quosdam id temporis in tantùm impietatis venisse, ut duas in homine animas imprudenter dogmatizent, quos omnes, & similia sentientes, cùm vetus, & novum Testamentum, & omnes Ecclesiæ Patres unam animam in homine rationalem asseruerint, Sancta Vniversalis Synodus anathematizat.* Vndè puto oppositam doctrinam esse erroneam, quidquid dixerit Pereira lib. 4°. in Genes. Nihil tamen simile de anima rationali alîus hominis merè possibilis, vel saltem de anima irrationali à SS. Patribus dictum, & multò minùs ab Ecclesia definitum, legitur : imò communis est doctrina Medicorum & Aristotelis lib. 2°. *De generat. animalium*, fœtum 1° vivere animâ sive vitâ plantæ ; posteà vitâ animalis, & tandem vitâ hominis. Vndè docuerunt Philipponus, & verisimiliter Okam Quodlib. 2°. in homine esse tres animas realiter distinctas, vegetativam scilicet, sensitivam & rationalem: quod de alio homine merè possibili, & fortè de bruto existente, sic ut in illo sit anima vegetativa tantùm, sensitiva tantùm & boativa tantùm v.g. verù puto: (de quo in Libris de Anima) de homine verò aliquando existente, erroneum, propter Authoritatem Ecclesiæ & SS. Patrum. Vndè patet ad Instantiâ; nempe, hanc rationalem animam merè possibilem, & aliam ab extituris aliquando in hominibus, & fortè hanc animam irrationalem de facto existentem, non dicere in suo conceptu hoc animal, sive hanc animam viventem sensitivam ; ac proindè si illa hanc informaret & simul cum corpore componeret, vel hunc hominem, vel hoc brutum, anima sensitiva non secundò, sed semel dumtaxat poneretur in hoc homine, vel hoc bruto.

ccccxviii. Vrgebis: saltem in eodem composito essent duæ animæ; sed hoc est superfluũ, ergò, &c.

ccccxix. Respondeo distinguendo majorem, saltem in eodem composito essent duæ animæ ejusdem rationis, completæ, totales, & non subordinatæ, nego majorem. Diversæ rationis, incompletæ, partiales & subordinatæ, concedo majorem: sed id non est magis absurdum & superfluum, quàm quòd in eodem corpore sint plures formæ partiales ossis, carnis, nervi, &c. uni totali subordinatæ, prout de facto naturaliter esse, communiùs admittitur. Nos autem solùm dicimus, id esse merè possibile, per Divinam potentiam (cui nihil sinè evidenti contradictione negandum est) non repugnare, &c.

Solutio III.

ccccxx. Respondeo 3° negando majorem pro 2ª parte, videlicet quòd non repugnaret. Ad ejus probationem Respondeo, quòd repugnaret ratione negationis communicabilitatis huic homini, vel huic bruto, immediatè fundatæ in objectiva & reali Physica entitate hujus animalis; quæ cùm sit intrinsecè indivisibilissima, est indivisibilissimè intrinsecè hoc animal ; nec intrinsecè habet aliquid, quod illam negationem fundet, & aliud, quòd illam non fundet, ut patet. Vndè licèt fortè argumentum illud pro parte ista vim habeat contrà Scotistas & Thomistas, contrà nos tamen nihil virium habet.

ccccxxi. Dices, ista anima sensitiva tantùm, & hæc anima sensitiva hujus animæ rationalis existentis, non sunt ejusdem rationis sive Speciei, ergò ista anima sensitiva tantùm, non est Genus immediatè individuatum à parte rei. Probatur consequentia, quià Genus illius non est contrahibile per Differentiam aliquam specificam, sive prædicabile ut pars materialis, quod requiritur ad Genus immediatè individuatum à parte rei. Probatur antecedens 1°. quià illa identificatur soli hæcceitati; hæc verò etiam rationalitati. 2° quià ista anima sensitiva tantùm, dicit sensitivum, cui repugnat ulterior Differentia specifica ; anima verò sensitiva hujus animæ rationalis existentis, dicit sensitivum, cui non repugnat ulterior Differentia specifica, ergò non sunt ejusdem rationis. Sumitur ex Doctissimis PP. nostris Complut. Disp. 6. de Specie q. 3.

ccccxxii. Respondeo negando antecedens, ad ejus probationem 1ªm Respondeo (præterquam quòd dici possit, gradum possibilem superiorem, talem esse, ut divisim identificari possit Differentiis specificis, vel individualibus tantùm: undè corruit totum argumentum; quod videtur falsò supponere, dari gradum communem indivisum & intrinsecè unum contrahibilem ad hominem & brutum v. g. cùm tota plurium in gradu communi unitas & indivisio sit ab intellectu ; ut Disp. 2ª vidimus, & natura una, non sit ex parte objecti identificabilis aliis, quàm Individuo, cui de facto ex parte objecti identificata est) gradus superiores non diversificari essentiâ sive Specie penes hoc, quòd pluribus vel paucioribus Differentiis contrahentibus identificentur, vel non identificentur: quia Differentiæ contrahentes sunt extrà essentiam illius, quod contrahitur. Deindè, si gradum superiorem identificari hæcceitati tantùm, & identificari rationalitati & hæcceitati, faciant gradus diversæ rationis ; identificari viventi vegetativo tantùm & hæcceitati, ut in arbore, & identificari viventi vegetativo sensitivo & hæcceitati, ut in hoc embrione, vel viventi vegetativo sensitivo rationali & hæcceitati, ut in Petro, facient gradum corporis Specie distinctum & diversæ rationis in hac arbore, & hoc embrione, & Petro; & gradum animalis in hoc embrione & Petro, quod cavebunt Adversarii.

ccccxxiii. Ad probationem 2ªm antecedentis distinguo, hæc anima sensitiva tantùm, dicit sensitivum, cui repugnat ulterior Differentia specifica,

ex repugnantia quadam in gradu communi fundata, nego: quià omnis gradus communis hujus animæ viventis sensitivæ tantùm, reperitur in homine & bruto. Ex repugnantiâ quâdam in gradu individuali sive hæcceitate fundatâ, concedo: tota enim repugnantia est 1°, quià sensitivum in hac anima vivente sensitiva tantùm, est indivisibiliter intrinsecè unum & idem cum hæcceitate, cui repugnat fieri non tantùm aliud numero, sed quidquid est in alio; ac proindè gradum specificum alius entis realiter distincti, quatenus ille est indivisibiliter intrinsecè unum & idem cum sua hæcceitate. 2°, quia repugnat, hæcceitatem unam fieri aliam, etiam in ipsorum sententia.

ccccxxiv. Nec dicas, hinc fore ut duarum similium animarum hæcceitates in eo conveniant, quòd fundent repugnantiam ad hoc, ut identificentur suprà sensitivum ulteriori Differentiæ specificæ; & à cæteris differant, quòd illa non fundent talem repugnantiam. Quià etiamsi hoc totum ultrò admitteremus, non tamen sequeretur, illas hæcceitates fundare Differentiam aliquam specificam, in qua convenirent inter se, & disconvenirent à cæteris (ut communiter objicitur) alioqui Petreitas & Pauleitas etiam fundarent Differentiam specificam distinctam à rationalitate (contrà suos Authores, qui docent rationale in homine debere ità sumi, ut illi repugnet ulterior Differentia specifica) nam in eo convenirent, quòd fundarent repugnantiam ad hoc ut identificentur Cajo & Titio, v. g. & à Cajo & Titio differrent, quòd ipsi non fundarent talem repugnantiam. Item in hoc convenirent, quòd ipsi non fundarent talem repugnantiam ad hoc, ut identificentur, suprà sensitivum, ulteriori Differentiæ specificæ, & in eo disconvenirent ab illis duabus animabus, de quibus antè, quòd talem repugnantiam fundarent. Hinc

ccccxxv. Colliges, Differentiam specificam distinctam ab hæcceitate, non esse quodlibet prædicatum fundans convenientiam inter aliqua entia, & disconvenientiam ab aliis; sed prædicatum aliquod ex parte actus præscindentis, commune positivum, in quo multa individua inter se sub conceptu conveniunt, & à cæteris sub conceptu disconveniunt; hæcceitas verò, & quidquid in hæcceitate fundatur, non potest esse tale prædicatum; alioqui, quod est præcisissima ratio disconvenientiæ, esset ratio convenientiæ, quod intelligi non potest. Deindè falsum est, quòd illæ hæcceitates conveniant in eo, quòd fundent repugnantiam aliquam à se distinctam, sed sunt ipsissima repugnantia: & sicut sunt à se invicem intrinsecè summè distinctæ, ità nullatenus in illa repugnantia inter se conveniunt, sed summè disconveniunt.

ccccxxvi. Objicies 2°. si posset unum Genus immediatè individuari à parte rei, posset quodlibet; si v. g. Posset dari hoc animal, quod nec esset hic homo, nec hoc brutum; posset dari hoc ens, quod nec esset realiter creatum, nec realiter increatum; nec substantia, nec accidens: item hæc substantia, quæ nec esset corpus, nec spiritus: hoc corpus, quod nec esset animatum, nec inanimatum: quæ sunt absurda, ergò, &c. Antecedens tenet ab omnimoda paritate rationis.

ccccxxvii. Respondeo, 1am sequelam esse falsam, cæteras veras, & sinè absurdo admitti posse: si enim gradus entis possit produci realiter sinè substantia, quidni & sinè accidente: si substantia sinè spiritu, quidni & sinè corpore, & sic de cæteris; præsertim, si attendas ad hoc, quòd Aristoteles & Medici, suprà, doceant, illos gradus vegetativum, sensitivum & rationale, inter se realiter distingui, & consequenter alios superiores inter se, ut v. g. gradum entis à substantia, substantiæ à corpore, corporis à vivente, &c. quia videtur esse paritas inter hos & illos, & id apertè confirmat nostram sententiam, dum solùm dicimus, talem distinctionem, (quam de facto in anima rationali & similibus negamus) dari saltem posse inter gradus entium merè possibilium, quod sinè absurdo admitti potest, ut suprà vidimus.

ccccxxviii. Dixi 1am *sequelam esse falsam*, quià illud Genus immediatè individuatum, vel esset Deus, vel esset immediatè individuatum à Deo? non 1um. quià Genus immediatè individuatum, est, saltem unâ perfectione, mancum; Deus verò summè & in omni Genere entis perfectus. Non 1um, quià esse à Deo immediatè individuatum, est esse creatum à Deo? Vndè necessariò deberet esse aliquid creatum; præsertim cùm inciperet esse realiter, & quidquid incipit realiter esse, necessariò realiter creatum sit. Deindè esse creatum, non ingreditur conceptum entis secundum se, sed entis creati tantùm: & dum petimus, an Genus possit immediatè individuari; quærimus an Genus entis creati possit immediatè individuari, sic ut ipsa creatio simul concurrat.

DISPVTATIO QVARTA

De Specie.

DVBIVM I.

Quotupliciter accipiatur Species, & quotuplex sit.

Resolutio I.

ccccxxix. Dico 1°. prætermissis variis Speciei acceptionibus, tam grammaticalibus, quàm Philosophicis: Species accipitur 1° Philosophicè, prout est correlativum Generis: cujus Porphyrius tres adfert definitiones, quæ vix aut nihil differunt; nec explicant naturam Speciei, ut prædicabilis; sed ut est inferius quoddam Generis.

ccccxxx. Prima, *Species est quæ sub assignato* (id est, capite 2° definito) *Genere collocatur.* Secunda, *Species est id quod subjicitur Generi.* Tertia, *Species est de qua Genus hoc ipso quid est prædicatur.* Ly *Vniversale* subauditum sub relativis *quæ, quod*, est Genus definiti; per quod exclude individuum: cætera tenent locum Differentiæ, per quæ exclude Differentiam; quia illa, nec sub Genere collocatur; nec ei subjicitur, puta in recta linea prædicamentali; nec Genus de illa *hoc ipso quid est*, prædicatur. Quòd verò Vniversale sit Genus definiti in allatis definitionibus, patet,

tum ex definitione ejusdem Speciei, quam immediatè subdit Porphyrius. *Amplius autem sic quoque Species est, quæ de pluribus numero Differentibus tantùm, in eo quod quid sit prædicatur.* Tum assignatum Genus, sub quo collocatur, definit: *Aptum, &c. prædicari de multis Specie Differentibus, &c.*

cccccxxxi. Nec dicas, in his definitionibus committi circulum; quia in illis definitur Species per Genus, & antè definitum est Genus per Speciem: nam, non tam Genus per Speciem, & è contrà, quàm per ordinem sui ad Speciem, & è contrà definitur; qui definiendi modus, licèt in absolutis non valeat, est tamen legitimus in relativis, uti sunt Genus & Species; optimè siquidem definitur pater per ordinem ad filium, & è contrà, dicendo, *Pater est qui genuit filium*, & è contrà, *Filius, qui genitus est à Patre*, qui ordines cùm sint diversi, idem non definitur per idem, & necessarium est correlativa ità definiri, cùm dicant essentialem respectum ad invicem, & unum intelligi non possit sinè alio, saltem in obliquo.

cccccxxxii. Accipitur 2° Species Philosophicè, prout est 2^um^ prædicabile, cujus Porphyrius hanc adfert definitionem. *Species est id quod de pluribus numero Differentibus hoc ipso quid est prædicatur.* Vt homo respectu Petri & Pauli. Subintelliges duplex signum, *solo* & *tantùm*, ut sit sensus, *Species est quæ tantùm prædicatur de multis solo numero Differentibus.* Vndè excludes Genus, v. g. animal respectu Petri & Pauli, quià etiam prædicatur de Specie Differentibus, homine scilicet & bruto.

cccccxxxiii. Adde, multos velle, allatam definitionem subintellectis duabus dictis particulis *solo* & *tantùm*, esse Speciei Specialissimæ sive atomæ: verùm, animal de hoc & hoc animali prædicatur ut Species Specialissima, & non *tantùm* de *solo* numero Differentibus; quià etiam prædicatur de bruto & homine Specie Differentibus: quare aptiorem & clariorem Speciei Specialissimæ definitionem trademus infrà.

Resolutio II.

ccccxxxiv. Dico 2°. Species est triplex. 1ª. subjicibilis tantùm; & est quæ respectu superiorum habet rationem Speciei, & non respectu inferiorum. Vbi adverte, communiter adferri pro exemplo Speciei subjicibilis tantùm *animal*, quod respectu corporis animati est Species & non respectu inferiorum; quià respectu illorum non prædicatur tantùm de solo numero Differentibus: sed malim dicere, nullam dari Speciem subjicibilem tantùm: nam, vel animal, v. g. talis Species esset, prout omnes communiter docent? Vel Deus, Michaël, &c. ut volunt Thomistæ?

ccccxxxv. Non 1^um^. quià cùm omne Genus possit immediatè individuari sub conceptu & à parte rei, omne Genus est Species Specialissima respectu individuorum sub se immediatè individuatorum; ac proindè non respectu superiorum dumtaxat habet rationem Speciei; sed etiam respectu inferiorum.

ccccxxxvi. Nec refert, quòd de individuis immediatè sub se individuatis non prædicetur tantùm: quia de illis reverà prædicatur ut Species specialissima. Vndè frustrà subauditur in definitione Speciei illa particula *tantùm*.

cccexxxvii. Non etiam 2^um^ quia Deus, Michaël, &c. sunt formalissimè individua, quæ à definitione Speciei subjicibilis per Genus definiti, sive Vniversale, excluduntur. Vide Dub. 6. infrà.

ccccxxxviii. Secunda est prædicabilis tantùm, & est quæ respectu inferiorum dumtaxat habet rationem Speciei; & non respectu superiorum: ut rationale respectu hujus & hujus rationalis.

ccccxxxix. Nec refert, quòd rationale ponatur sub Genere, sub animali v. g. quià, ob suam imperfectionem, solùm ponitur indirectè & ad latus; ac proindè non habet propriè superius.

ccccxl. Tertia subjicibilis & prædicabilis simul; & est quæ tam respectu superiorum, quàm respectu inferiorum est Species, ut homo qui respectu animalis est Species subjicibilis, respectu Petri & Pauli est Species prædicabilis. Item etiam quodlibet Genus respectu superiorum & individuorum immediatè sub se individuatorum.

DVBIVM II.

Quid Genus supremum & medium, & Species infima.

ccccxli. Hic tradit Porphyrius fragmentum lineæ prædicamentalis prædicamenti substantiæ, quod hîc etiam, utpotè ad intelligentiam Generis supremi & medii, & Speciei infimæ valdè conducens, præsentamus:

LINEA PRÆDICAMENTALIS.

Substantia	
Immaterialis	Materialis
Spiritus	Corpus
Corpus	
Inanimatum	Animatum
Corpus Inanimatum	Corpus animatum
Corpus animatum	
Insensitivum	Sensitivum
Planta	Animal
Animal	
Irrationale	Rationale
Brutum	Homo
Homo	
Hic	Iste
Petrus	Paulus.

Resolutio I.

ccccxli. Dico 1°. Genus generalissimum est, suprà quod nullum aliud Genus transcendit, vel, quod in idem recidit, quod Genus est, & non Species subjicibilis. Pro intelligentia definitionis

ccccxlii. Adverte 1°, hîc non agi de Genere generalissimo in communi; sed de Genere generalissimo prædicamentali; ac proindè, allatæ definitionis hunc esse sensum: Genus generalissimum est, suprà quod nullum aliud Genus prædicamentale transcendit. Per ly autem *prædicamentale*, excludes *ens*, *Vniversale*, denominationem *communis*, *Generis* ad omnia Genera generalissima, &c. quià non sunt certi prædicamenti; sed omnia suprema prædicamentorum Genera transcendunt, & supervagantur.

ccccxliii. Adverte 2°, *supremum*, sive *generalissimum*, non secus ac cætera superlativa posse bifariàm accipi. 1ò. positivè, ut sit illud, quod ità est suprà omne Genus, ut æquale non admittat. Sed non datur

tale

tale Genus prædicamentale. 2ò negativè, ut sit illud, quod quidem æquale admittit, nullum tamen habet aliud prædicamentale suprà se, ut substantia in prædicamento substantiæ, & quodlibet supremum cujuslibet prædicamenti.

Resolutio II.

cccexliv. Dico 2°. Genus medium sive subalternum, vel Species media sive subalterna est illa omnia, quæ sunt Genus & Species diverso respectu: puta Genus respectu inferiorum, & Species subjicibilis respectu superiorum, ut animal, quod respectu hominis & bruti est Genus, & respectu corporis animati, Species subjicibilis.

Resolutio III.

ccccxlv. Dico 3°. Species infima, sive specialissima definitur 1ò, *sub qua nulla alia prorsus Species collocatur.* 2°, *quæ ita Species est, ut possit esse Genus.* 3°, *quæ, Species cùm sit, in alias Species dividi nequit.* Vndè ab hac 3ª definitione, à nonnullis, dicitur Species *atoma* græcè, latinè *indivisibilis.* Verùm has definitiones intelliges de Specie formaliter, ut Specie; alioqui Species materialiter ut Species, ut v. g. substantia respectu hujus & hujus substantiæ, & quodlibet Genus, quod est Species respectu suorum immediatorum individuorum, *in alias Species dividi potest; est ità Species, ut etiam sit Genus respectu aliorum; sub ipsa collocantur aliæ Species,* &c. ut patebit consideranti lineam prædicamentalem, paulò antè n. 464. præsentatam.

Dvbivm III.

Quæ Regula Attributionum.

ccccxlvi. POrphyrius hîc tres adfert Regulas Attributionum, id est, prædicationum; nam *attribui* hîc, æquivalet *prædicari*; quæ, quia ad unicam commodè reducuntur; ne regularum multitudine ingenium humanum confundatur (quod ubique, quantum fieri potest, vitamus) sequenti contenti erimus. Quare sit

Resolutio.

ccccxlvii. Dico *Omnia superiora de inferioribus, tam mediatis, quam immediatis, semper dicuntur: nulla verò inferiora de superioribus, sive mediatis, sive immediatis, prædicantur:* supple 1° *Vniversaliter & tamquam de subjecto Vniversaliter sumpto;* nam rectè dicitur *aliquod animal est homo*, licèt dici non possit, *omne animal est homo.* supple 2° *ordinatè*; quià inferius de superiori inordinatè prædicatur, ut *animal est homo.*

ccccxlviii. Addo tamen, superiora ut superiora reduplicativè, numquam de inferioribus prædicari, benè ut æqualia de æqualibus, aut ut paria de paribus. Ratio nostra est, quia omnis prædicatio debet esse secundum rectum; omnia concreta in recto sunt æqualia, vel de invicem affirmari non possunt; nam illa dumtaxat de invicem affirmari possunt, quæ sunt idem; quæ verò sunt idem, sunt æqualia: cùm verò dicit Porphyrius, superiora de inferioribus semper dici, accipit ly *superiora* materialiter, ut sit sensus; ea, quæ sunt superiora secundum quod dicunt in obliquo, de inferioribus semper dicuntur, puta secundum quod dicunt in recto. Vide Dub. 3. Disp. 3ª.

Dvbivm IV.

An Species prædicabiles rectè à Porphyrio definiantur, id quod est prædicabile de pluribus numero differentibus in quid.

ccccxlix. AFfirmat R.P. Poncius, dicitque, id esse commune omnium: quia tamen contrarium manifestè constat ex PP. Hurtado, Arriaga, Oviedo & aliis, sit

Resolutio.

cccci. Dico: Species prædicabilis non rectè ut sic à Porphyrio definitur.

ccccli. Probatur, allatis probationibus suprà Disp. 3ª. Dub. 1°. & Responsione ad objectionem ultimam Dubii sequentis, ergò, &c.

Dvbivm V.

Quæ sit Speciei definitio essentialis.

Resolutio.

ccccliii. Dico: *Species est unum, &c. aptum prædicari de multis, ut tota eorum essentia Vniversalis.* Ly *unum*, &c. *aptum prædicari de multis*, est Genus definiti; cætera tenêt locũ Differentiæ.

ccccliii. Per ly *ut tota eorum essentia*, exclude Genus & Differentiam, quæ nonnisi ut pars essentiæ apta sunt prædicari. Item Proprium & Accidens, quæ neque ut tota, neque ut pars essentiæ apta sunt prædicari; sed ut quidpiam accidentale, & rei jam essentialiter completæ conveniens. Non addidi in definitione *in quid:* quia certum est quòd prędicari *ut tota essentia*, sit prædicari *in quid*; additum est tamen in definitione Generis, & addetur in definitione Differentiæ; quià nec omnis pars materialis, nec omnis pars formalis est essentialis. De parte formali patet; quià in omnium sententia Proprium & Accidens sunt pars formalis accidentalis. De parte verò materiali probatur; quià corpus in intelligente, materia 1ª in calido, est pars materialis non essentialis, sed accidentalis; quià optimè concipitur anima rationalis intelligens sinè corpore; item & forma ignis calida sinè materia 1ª.

ccccliv. Objicies 1o. Species non est tota essentia individuorum, ergò malè definitur *unum, &c. aptum prædicari de multis ut tota eorum essentia.* Probatur antecedens, quià est totum potentiale respectu individuorum; & individua suprà Speciem dicunt Differentias individuales tamquam partes ipsorum essentialiter constitutivas, ergò, &c. Pro Solutione hujus argumenti

ccccliv. Adverte, individua posse dupliciter considerari, 1°. secundum Vniversalem essentiam, quæ illis convenit. 2o. secundum essentiam singularem, quæ etiam illis convenit. Essentiam autem Vniversalem voco prædicatam Vniversalia, quæ prædicantur de individuis essentialiter, ut *animal, homo, rationale*, &c. Essentiam singularem verò prædicata singularia, quę prędicantur de individuis essentialiter, ut *hoc animal, hic homo, hoc rationale*, &c. Hoc prœmisso, ad argumentum

ccccliv. Respondeo distinguendo antecedens:

Species non est tota essentia individuorum spectatorum secundum essentiam Vniversalem, quæ illis convenit, nego antecedens; nam reverà est tota essentia Vniversalis, quæ illis convenit: spectatorum secundum essentiam singularem, quæ illis convenit, concedo antecedens: neque hoc sensu volumus, Speciem esse aptam prædicari de multis ut totam essentiam; imò, isto sensu non potest; alioqui deberet esse apta prædicari de multis *in quid* ut singularis, quod implicat. Per hoc autem quod sit apta prædicari de multis ut tota essentia Vniversalis, quæ illis convenit, satis distinguitur à Genere & cæteris Vniversalibus.

CCCCLVII. Ad probationem verò antecedentis similiter distinguo: Species est totum potentiale, respectu individuorum spectatorum secundum essentiam Vniversalem, quæ illis convenit, nego; quia est totum actuale respectu individuorum ut sic consideratorum; nam Petrus v. g. spectatus secundum essentiam Vniversalem, est homo, qui est Species respectu plurium, & totum actuale respectu sui ipsius: respectu individuorum spectatorum secundum essentiam singularem, concedo; sed non dicimus, speciem prædicari ut totam essentiam individuorum spectatorum secundum essentiam singularem; sed ut totam essentiam eorum spectatorum secundum essentiam Vniversalem. Vndè consequenter dic, individua, spectata quidem secundum essentiam singularem, dicere differentias numericas tamquam partes ipsorum essentialiter constitutivas; non verò spectata secundum essentiam Vniversalem; nam differentiæ numericæ sunt accidentales essentiæ Vniversali, non secus ac rationale animali.

CCCCLVIII. Respondent communiter alii distinguendo antecedens: species non est tota essentia propriè dicta individuorum, negant: impropriè dicta, concedunt: vocant autem essentiam propriè dictam prædicata, sinè quibus individua concipi non possunt, & à quibus emanant aliquæ proprietates communes, ut *rationale*, sinè quo Petrus concipi non potest, & à quo emanat *risibilitas*, hominis proprietas: impropriè verò dictam, prædicata essentialia, sinè quibus individua concipi non possunt; ab eis tamen nullæ emanant proprietates, ut sunt hæcceitates. Vndè similiter dividunt totum potentiale in propriè dictum, & est illud (inquiunt) quod perfici potest per prædicatum propriè essentiale; & in impropriè dictum, & est (inquiunt) quod perfici potest per prædicatum impropriè tantùm essentiale. Verùm hæc responsio videtur mihi difficilis; nec video, cur potiùs rationale constituat essentiam propriè dictam, sive cur potiùs sit prædicatum essentiale propriè dictum respectu Petri, quàm Petreitas; imò puto, Petreitatem esse prædicatum essentiale magis propriè dictum respectu Petri, quàm rationale: quia soli Petro convenit, & est id, quo Petrus ultimò in essentia constituitur; non item rationale, quia etiam Paulo convenit, & nisi accedat Petreitas, per rationale non habetur Petrus. Confirmari potest ex Aristotele, qui 7°. Metaph. dicit, Differentiam esse totam essentiam speciei, quia speciem ultimò complet, ergò similiter Differentia numerica sive Petreitas dici poterit tota essentia Petri, quia eam ultimò complet. Vndè sicut, ex mente Aristotelis, rationale est prædicatum magis propriè essentiale respectu hominis, quàm animal, utpotè id de quo dicit, esse totam essentiam, quia illam ultimò complet, non de animali; ità, ex mente ejusdem, Petreitas erit prædicatum magis propriè dictum essentiale respectu Petri, quàm rationale, quia ultimò complet Petrum, non verò rationale.

CCCCLIX. Adde, gratis & sinè fundamento requisitum, ad prædicatum essentiale propriè dictum, ut ab eo emanent aliquæ proprietates communes, sive ut sit radix aliquarum proprietatum communium; sed sat esse, quòd res, cujus essentiam constituit, non possit concipi sinè illo. Numquid *ubi* est prædicatum essentiale propriè dictum respectu concreti *ubicatum*, etiam supposito, quòd non sit operativum, aut radix aliquarum proprietatum? Rectè inficiabitur nullus; quia tam propriè est de essentia illius concreti, quàm *albedo* de essentia *albi*: cur hoc tamen, nisi quia *ubicatum* concipi non potest sinè *ubi*, & non quia ab eo emanant aliquæ proprietates; nam supponitur, nullas emanare? Ergo omninò gratis id requisitum est ad prædicatum strictè essentiale; &, quod diximus de prædicato isto essentiali Physico, extendendum ad Logicum sive Metaphysicum. Hinc.

CCCCLX. Colliges, hominem respectu Petri & Pauli, & quamlibet speciem, respectu suorum individuorum consideratorum secundum essentiam singularem, quæ illis convenit, esse totum potentiale propriè dictum; totum verò actuale essentiale, respectu eorumdem consideratorum, secundum essentiam Vniversalem, quæ illis convenit.

CCCCLXI. Instabis, si species non sit tota essentia individuorum consideratorum secundum essentiam singularem; sed totum potentiale respectu illorum ut sic consideratorum; respectu illorum, ut sic consideratorum, erit Genus & totum potentiale, secundum quod dicit in obliquo, & non species; sed hoc nullus dixerit, ergò, &c. Probatur sequela, quia erit determinabilis per hæcceitates, quod est, esse pars materialis, & hæcceitates actu non dicet, quod est esse totum potentiale, ergò, &c.

CCCCLXII. Respondeo negando sequelam, ad eius probationem, distinguo sequelam majoris pro 1ª. parte: erit determinabilis per hæccetiates, quod est esse pars materialis essentiæ singularis, concedo sequelam; quod est esse pars materialis essentiæ Vniversalis, nego sequelam; Genus verò est unum aptum prædicari de multis *in quid*, ut pars materialis essentiæ Vniversalis, sive ut pars materialis individuorum consideratorum secundum essentiã Vniversalem; & non ut pars essentiæ singularis: 1°. quia Genus eodem sensu est aptum prædicari ut pars materialis, quo Species est apta per dicari ut tota essentia, & differẽtia ut pars formalis: Species verò nõ est apta prædicari de multis ut tota essẽtia singularis, quia singularis nõ est; sed ut tota essentia Vniversalis: & differentia non est apta prædicari de multis ut pars formalis essentiæ singularis; quia illa est ipsamet hæcceitas, quæ non est apta prædicari de multis; sed ut pars formalis essentiæ Vniversalis; ergò & Genus ut pars matèrialis essentiæ Vniversalis. 2°. si Genus esset aptum prædicari de multis ut pars materialis essentiæ singularis, non distingueretur à differentia; nam etiam differentia, v. g. rationale in Petro, utpotè determinabile per hæcceitatem sive petreitatem, esset aptum prædicari de multis ut pars materialis essentiæ singularis. 3°. denique, quandò Adversarii nostri dicunt, Genus esse

esse aptum prædicari de multis, ut partem materialem essentiæ propriè dictæ; speciem verò ut totam essentiam propriè dictam; idem prorsus dicunt, quod nos; nam ab essentia propriè dicta excludunt hæcceitates (licèt malè, propter quod, ipsorum modum loquendi refugimus) quibus exclusis, manet sola essentia Vniversalis individuorum; ac proindè, secundum ipsos, esse aptum prædicari ut pars materialis essentiæ propriè dictæ, est esse aptum prædicari ut pars materialis essentiæ Vniversalis. Et sic proportionaliter de Specie.

CCCCLXIII. Ad probationem sequelæ, similiter distinguo pro 2ª parte: Speciem hæcceitates actu non dicit, quod est esse totum potentiale respectu essentiæ singularis, sive respectu individuorum consideratorum secundum essentiam singularem, concedo: quod est esse totum potentiale respectu essentiæ Vniversalis, sive respectu individuorum consideratorum secundum essentiam Vniversalem, nego; totum verò potentiale, quod est Genus, debet, esse totum potentiale respectu essentiæ Vniversalis, sive minùs actu dicere, quàm individua considerata secundum essentiam Vniversalem; & non sufficit, illud esse totum potentiale respectu essentiæ singularis; alioqui Species & Differentia, cùm non dicant actu totam essentiam singularem, essent totum potentiale, quod est Genus, quod ipsi negant. Deindè, quandò Adversarii nostri ad totum potentiale, quod est Genus, requirunt ut sit determinabile per Differentiam essentialem propriè dictam; idem dicunt, quod dicimus; nam à Differentia essentiali propriè dicta excludunt hæcceitates (sed malè) quibus exclusis, manet sola essentia Vniversalis; ac proindè, secundum ipsos, esse totum potentiale, quod est Genus, est esse determinabile per Differentiam essentiæ Vniversalis; & consequenter minùs actu dicere, quàm individua considerata secundum essentiam Vniversalem.

CCCCLXIV. Vrgebis 1º, Species est apta prædicari de multis individuis, consideratis secundum essentiam singularem; sed non ut species, quia non prædicatur ut tota essentia eorum ut sic consideratorum; ergò ut Genus. Probatur consequentia; quia prædicatur ut totum potentiale, & ut pars materialis determinabilis per hæcceitates: Genus autè prædicatur ut pars materialis determinabilis, &c.

CCCCLXV. Respondeo 1º. hoc argumentum ab omnibus solvendum; quia in omnium sententia, Species non est tota essentia individuorum ut individuorum, sive non dicit actu individuorum hæcceitates, quibus, ut individua: constituitur; ac proindè de individuis ut per eas constitutis, debet, secundum omnes, prædicari ut totum potentiale, & pars materialis determinabilis per eorum hæcceitates.

CCCCLXVI. Respondeo, admisso toto antecedente, negando consequentiam: ad probationem ejus respondeo, Speciem non esse aptam prædicari ut Genus; quia non omne, quod est aptum prædicari ut totum potentiale, & ut pars materialis, est aptum prædicari ut Genus; sed illud dumtaxat, quod est aptum prædicari de multis ut totum potentiale, & ut pars materialis essentiæ Vniversalis; sive ut totum potentiale contrahibile per Differentiam Vniversalem, & ut pars materialis determinalis per Differentiam Vniversalem, qualis non est hæcceitas. Ratio nostra est; quia alioqui, ut suprà ostensum est, Genus non distingueretur à Specie & Differentia, nam hoc ipso, quod Species est prædicabilis de multis ut tota essentia Vniversalis, est prædicabilis de multis ut pars materialis essentiæ singularis: & Differentia similiter, hoc ipso, quod est prædicabilis de multis ut pars formalis essentiæ Vniversalis, est prædicabilis de multis ut pars materialis essentiæ singularis. Species igitur de individuis, ut consideratis secundum essentiam singularem, erit prædicabilis ut sextum quoddam Vniversale (de quo latiùs infra Tract. 3. n. 25.) quod vocamus Vniversale Concomitans, eò quòd tres 1as Vniversalis Species, Genus scilicet, Speciem, Differentiam semper concomitetur. Definiri autem potest, *unum aptum, &c. prædicari de multis individuis tantùm, in quid, ut pars materialis eorum, ut consideratorum secundum essentiam singularem.*

CCCCLXVII. Objicies 2º. non est ratio recedendi à definitione, quâ Porphyrius definit Speciem specialissimam, *Vnum aptum prædicari tantùm de multis solo numero differentibus, hoc ipso quid est.* Et claram continet differentiam Speciei à Genere, quod definit, *Vnum aptum, &c. prædicari de multis Specie differentibus hoc ipso quid est.* Nec aliam adferre possumus, nisi fingendo sextum Vniversale, ergò, &c.

CCCCLXVIII. Respondeo negando assumptum, multæ enim rationes nos movent, ad recedendum ab allata definitione.

CCCCLXIX. 1º. quia per ly *tantùm*, in definitione Speciei specialissimæ positum, excludis animal & quodlibet Genus, quod reverà est Species specialissima respectu individuorum immediatorum; & tamen *non prædicatur tantùm de solo numero differentibus hoc ipso quid est*, sed etiam *de Specie differentibus.* Quod verò Genus quodlibet respectu illorum sit Species specialissima, patet; quia cùm non sit unum ex aliis quatuor Vniversalibus, Genere scilicet, Differentia, Proprio & Accidente, oporteret sextum admittere, quod à nobis fingi, malè objicitur.

CCCCLXX. 2º. *Si prædicari de multis Specie differentibus hoc ipso quid est; & prædicari tantùm de multis solo numero differentibus hoc ipso quid est*, diversificent prædicabilia essentialiter: quidni ea essentialiter diversificabunt, 1º *prædicari de multis Specie differentibus hoc ipso quale quid est*, ut sensitivum de homine & bruto; *Et prædicari tantùm de multis solo numero differentibus hoc ipso quale quid est*, ut rationale respectu Petri & Pauli? 2º quidni ea essentialiter diversificabunt, *prædicari de multis Specie differentibus hoc ipso quale est tantùm*, ut albedo respectu chartæ & cygni; *Et prædicari tantùm de multis solo numero differentibus in quale tantùm*, ut albedo respectu Petri & Pauli? 3º quidni præterea essentialiter ea diversificabunt, *Prædicari de multis Specie subalternâ differentibus hoc ipso quid est*, ut corpus animatum respectu plantæ & animalis; *& prædicari tantùm de multis solâ Specie atomâ differentibus hoc ipso quid est*, ut animal respectu hominis & leonis? 4º deniq; quidni diversificabunt prædicabilia essentialiter, *prædicari de multis genere differentibus hoc ipso quid est*, ut corpus animatum respectu cedri & hominis; *& prædicari tantùm de multis Specie & non de multis genere differentibus hoc ipso quid est*, ut substantia respectu corporis & spiritus? Iuxta id autem, quod 3º. & 4º allatum est, diversificare potes prædicabilia *in quale quid*, & *in quale tantùm*; & sic sinè fine Vni-

versalia multiplicare; quod in nostra sententia vitatur; nec satis apparet, quid ad hoc solidè respondere possint Adversarii, nisi ad nostras definitiones confugiant.

DVBIVM VI.

An Species subjicibilis, ut subjicibilis, sit Vniversalis.

CCCCLXXI. ANte Resolutionem Suppono, ly *ut Subjicibilis* posse tripliciter sumi: 1°. specificativè, ut sensus dubii sit, an Species, quæ est subjicibilis, sit Vniversalis, 2o. reduplicativè, ut sensus sit, an Speciei subjicibilitas sit forma concreti, *Vniversale*, sive ipsa Vniversalitas. 3o. causaliter, ut sensus sit, an subjicibilitas sit causa Vniversalitatis, sivè id, à quo Vniversalitas emanet, tamquam proprium ab essentia. Hoc supposito, sit

RESOLVTIO I.

CCCCLXXII. DIco 1°: species subjicibilis ut subjicibilis specificativè, semper est Vniversalis. Ita plurimi, quos sequuntur PP. Complut. & Ioan. à S. Thom. Probatur, quia, ut profundè notat R. P. Ioan. à S. Thom. q. 8. de Specie. Genus definiti, in definitione speciei subjicibilis, est Vniversale. Quod confirmant, RR. PP. Complut. disp. 6ª. de Specie q. 1ª. ubi sic definitionem Speciei subjicibilis explicant: *Species subjicibilis est, quæ sub assignato Genere ut Genere collocatur.* Quæ explicationes bonæ sunt; quia alioqui individua essent species subjicibilis, & animal respectu hujus & hujus animalis Genus; ergo, &c.

CCCCLXXIII. Objicies tamen 1°. Deus, Michaël, &c. sunt Species subjicibiles, & tamen formalissimè individua; ergò Species subjicibilis non est Species Vniversalis. Probatur antecedens, quia Deus & Michaël distinguuntur Specie inter se, & ab aliis, ergò, &c.

CCCCLXXIV. Respondeo 1°. negando antecedens pro 1ª. parte; repugnat enim, aliquid esse Speciem subjicibilem (cujus genus definiti est Vniversale) & formalissimè individuum: nam illud esset Vniversale & individuum formalissimè. Ad probationem verò antecedentis, Respondeo imprimis, Michaëlem esse individuum alicujus Speciei Angelicæ prædicabilis, quia natura Angelica (ut suppono ex Tract. de Angelis) est multiplicabilis sinè fine, in individua solo numero distincta. Quod verò ad Deum attinet, dicitur distingui Specie, ab Angelo & aliis; nō quòd sit alicujus Speciei prædicabilis, aut Species subjicibilis; sed, vel quia ab illis differt notabiliter. & plusquam solo numero: quod tamen, sicut non est esse Vniversale; ità nec est esse alicujus speciei prædicabilis, aut species subjicibilis: vel quia ab illis differt Specie extrinsecâ, in quantum non est Speciei illorū, non item Specie intrinsecâ, quia, secundum intrinseca, nullius est Speciei: Deus enim est individuum immediatè sub genere, quod nec genericum dici debet, quia perfectius omni genere & Specie; nec specificum, quia nullius Speciei; sed perfectissimum sub Genere dici debet. Profectò scirem libenter, quō titulo Deus, Persona Patris in Divinis v. g. sit species subjicibilis, potiùs quàm Petrus; quià illa non minùs est hæc persona, quàm Petrus hic homo.

CCCCLXXV. Resp. tamen 2°. distinguendo assumptum: Deus, Michaël, &c. sunt Species subjicibiles, si sint, respectu inferiorum, Logicè Species prædicabiles, quòd infrà examinabimus, concedo assumptum: verùm, hoc dato, non sunt formalissimè individua; sed Species prædicabilis, ut patet: si secus, nego assumptum.

CCCCLXXVI. Si verò dicas, esse disparitatem, eò quòd Petrus nihil præter hæcceitatem dicat immultiplicabile; secus verò Persona Patris, quia inter Personam & hæcceitatem, dicit talitatem personæ immultiplicabilem; quæ, cùm supponatur abstracta ab hæcceitate, & non sit Species prædicabilis, debet esse subjicibilis tantùm.

CCCCLXXVII. Respondeo cum distinctione: vel talitas illa consideratur ex parte objecti; vel ex parte actus eam præscindentis? si ex parte objecti, est indivisibiliter ipsa hæcceitas; ac proindè, non magis Species subjicibilis, quàm Petrus: si ex parte actus, (præterquam quòd eadem sit ratio talitatis istius, quæ hæcceitatis, cùm utraque individua sit, quidquid detur, quòd una sit hæc, alia non) fortè non tantùm est Species subjicibilis, sed & Logicè prædicabilis, modo, quō infrà dicemus, Naturam Divinam fortè esse Speciem prædicabilem Logicè, sed non Logicè & Physicè simul.

CCCCLXXVIII. Objicies 2o. formæ oppositæ non possunt eidem convenire; sed subjicibilitas & Vniversalitas sunt formæ oppositæ, ergò nequeunt simul eidem naturæ convenire.

CCCCLXXIX. Respondeo distinguendo minorem: sed subjicibilitas ut subjicibilitas materialiter & Specificativè, & Vniversalitas opponuntur, nego minorem: subjicibilitas ut subjicibilitas formaliter & reduplicativè, & Vniversalitas opponuntur, concedo minorem; verùm hic non est talis subjicibilitas, ut patet.

RESOLVTIO II.

CCCCLXXX. DIco 2o. Species subjicibilis ut subjicibilis reduplicativè, non est Vniversalis. Ita communiter.

CCCCLXXXI. Probatur, quia subjicibile ut subjicibile reduplicativè, & Vniversale eodem modo sumptum opponuntur; sed opposita nequeunt simul eidem convenire, ergò, &c. Probatur antecedens, quià subjicibile, ut sic formaliter, respicit superiora; Vniversale ut sic formaliter, inferiora; sed hi respectus opponuntur, non secus ac superiora & inferiora ut talia formaliter, à quibus specificantur; ergò, &c.

CCCCLXXXII. Objicies tamen, Species subjicibilis ut subjicibilis, est abstracta ab inferioribus: probatur assumptum; quia ut subjicibile non potest esse singularis; inter Vniversale autem & singulare, non datur medium, ergo, &c.

CCCCLXXXIII. Confirmatur ex Porphyrio suprà. Species subjicibilis pro Genere definiti dicit Vniversale, ergò ut subjicibilis est Vniversalis.

CCCCLXXXIV. Respondeo distinguendo assumptum Species subjicibilis ut subjicibilis reduplicativè, est abstracta ab inferioribus, nego assumptum; quià ut sic nihil dicit, nisi respectum ad superiora, similem illi, qui est individui ad speciem; sicut verò respectus ille non est abstractio, ità nec Species, ut redupilcativè dicit illum respectum, est abstracta,

cta, ac per consequens nec Vniversalis: ut subjicibilis specificativè concedo assumptum; & hoc sensu Resolutione 1ª dictum est, esse Vniversalem. Ad probationem assumpti Respondeo, ut subjicibilem reduplicativè, nec esse Vniversalem nec singularem; licèt enim non daretur medium absolutè inter Vniversale & singulare, daretur tamè respectivè; nam sicut, licèt Petrus absolutè necessariò, sit sanus vel æger, neutrum tamen est ut rufus: sic similiter, licèt absolutè natura necessariò esset singularis vel Vniversalis, neutrum tamen est formaliter ut respicit superiora, ut ab uno tantùm abstracta, &c.

CCCCLXXXIX. Ad confirmationem vero Respondeo, Speciem ut subjicibilem reduplicativè; non dicere pro Genere definiti Vniversale formaliter, sed materialiter; ut subjicibilis autem materialiter, est Vniversalis, ut statim dictum est.

Resolutio III.

CCCCLXXXX. Dico 3º Species subjicibilis ut subjicibilis causaliter, non est Vniversalis. Ita Doctissimi PP. nostri Complut. Disp. 6. de Specie. q. 3. & multi, quos ibidem citant, contra Cajet. Arauz. Tolet. &c.

CCCCLXXXXI. Probatur, quia à subjicibilitate non manat Vniversalitas, 1º quià illa est Genus definiti subjicibilitatis. 2º. quia alioqui omne Vniversale præsupponeret subjicibile à quò manaret; non apparet autem à quo subjicibili possit Genus generalissimum manare, cùm nec ipsum ulli Generi prædicamentali subjiciatur. 3º quia subjicibilitas & prædicabilitas sunt respectus oppositi, qui ab invicem haud magis manant, quàm oppositа, calor à frigore v. g.

DVBIVM VII.

An Genus in una Specie tantùm, Species in uno individuo tantùm, cæteris impossibilibus, salvari possit.

CCCCLXXXXII. Antè Resolutionem Suppono 1º, Genus & Speciem dupliciter spectari posse: semel 1º intentionaliter, & pro materiali significato, quod important sumpta in concreto; sive pro naturis, quæ denominantur Genus, ut *animal*; vel Species ut *homo*: & semel 2º intentionaliter & concretim, sive pro natura tamquam subjecto, & 1ª intentione formali Generis aut Speciei tamquam formâ, quò, sensu diximus, Vniversalia definiri.

CCCCLXXXXIII. Suppono 2º, Genus 1º intentionaliter sumptum (& idem est de Specie) habere perfectiones duplicis Generis, actuales scil. seu Metaphysicè essentiales, & potentiales seu Metaphysicè accidentales. Actuales sunt ipsa prædicata essentialia Metaphysica; potentiales sunt illa, quæ per contractionem ad inferiora superveniunt, ut differentiæ Specificæ v. g. *rationale & irrationale*, & numericæ, ut *hoc* & *hoc* respectu Generis; & solæ numericæ respectu Speciei. His suppositis, sit

Resolutio I.

CCCCLXXXXIV. Dico 1º. Genus 1º intentionaliter seu materialiter sumptum, v. g. animal, quoad perfectiones actuales seu Metaphysicè essentiales, potest salvari in una Specie possibili, aliâ impossibili; imò & in unico individuo possibili, aliis impossibilibus. Ita Scotus hic q. 18. Item Lovanienses hic similiter P. 4.

CCCCLXXXXV. Probatur, quia tota actualis & Metaphysicè essentialis perfectio animalis, est esse vivens sensitivum & non aliud; sed id salvari potest in unica Specie, v. g. homine, aliâ impossibili scilicet bruto: imò & in Petro possibili, cæteris hominis individuis impossibilibus, ut patet; nam adhuc eo casu Petrus esset vivens sensitivus; ergò, &c.

CCCCLXXXXVII. Confirmatur: Natura generica sic est in inferioribus, ut sit divisim tota in singulis; ergò, &c. Probatur antecedens, quia prædicatur tota de singulis divisim, ut constat ex præmissis, & D. Thoma 1ª. p. q. 77ª. art. 1º. ad 1ᵘᵐ. *Totum Vniversale adest cuilibet parti, secundum totam suam essentiam & virtutem.* puta actualem; ergò, &c.

Resolutio II.

CCCCLXXXXVIII. Dico 2º, Genus 1º intentionaliter sumptum, quo ad perfectiones potentiales seu Metaphysicè accidentales, si sit multiplicabile in plures Species, ut v. g. *animal* in hominem & brutum, non potest salvari in unica specie, v. g. animal in solo homine. Ita nostri Carm. Comp. hic Disp. 5ª. q. 2ª. & plures, quos ibi citant, & sequitur R. P. Ioan. à Sᵗᵒ Thoma, etiam hic. q. 8.

CCCCLXXXXIX. Probatur: quia rationale reperitur in homine; sed rationale non est tota perfectio potentialis seu Metaphysicè accidentalis animalis, ergò, &c. Minor patet, quia sicut potest fieri homo & brutum, ità & rationale ac irrationale.

D. Confirmatur, sic se habet Genus multiplicabile respectu differentiarum contrahentium, seu perfectionum potentialium & Metaphysicè accidentalium; sicut materia 1ª. sublunaris respectu formarum; sed illa non habet omnem suam perfectionem potentialem sub una forma; ergo nec Genus in plures Species multiplicabile, sub una differentia Specifica.

DI. Dixi, *si sit multiplicabile in plures Species*; alioqui si supponatur unica Species esse possibilis, sicut hæc sola erit ejus perfectio potentialis, ità in hac sola possibili salvabitur. Ex his

DII. Colliges multò minus Genus quoad perfectiones potentiales salvari in unico individuo, si supponantur, plura esse possibilia.

Resolutio III.

DIII. Dico 3º. Genus ut est 1ᵘᵐ prædicabile concretim sumptum, sive ut est definitum adæquatum in definitione Generis, potest salvari in unica Specie possibili, aliâ impossibili. Hæc Resolutio, vix ab ullo examinatur tamè.

DIV. Probatur, quia esse Genus ut sic sumptum nihil aliud est, quàm esse unum, &c. aptum prædicari de multis ut pars materialis essentiæ Vniversalis; sed, posito solo homine possibili & bruto impossibili, animal respectu Petri & Pauli esset unum aptum, &c. ergò, &c.

DV. Con-

DV. Confirmatur conclusio, & probatur minor solutione argumentorum.

DVI. Objicies 1° Aristotelem 4°. Top. cap 4°. ubi sic habet: *Cùm autem omnis Generis, multæ Species sint, considerare oportet an altera Species esse nequeat propositi Generis, nam si non sit altera Species, patet non posse omninò esse Genus quod dictum est.* Ergo, &c.

DVII. Respondeo Aristotelem nihil loco citato habere contrà nos; nam procedit ex alia hypothesi, scilicet, quòd Genus sit prædicabile de multis Speciebus, sive quòd omnis Generis multæ sint Species, ut constat ex postremis verbis, *quod dictum est*, quæ referri debent ad priora hæc, *cùm autem omnis Generis multæ Species sint*. Vndè ibidem definit Genus, *quod de Speciebus prædicatur*. Et c. 1° ait: *De pluribus enim Genus, quàm Species prædicatur.* Nos verò ex hypothesi quadam, fortè impossibili, an v.g. si animalis, per impossibile, esset unica Species, puta *homo*, animal posset adhuc Genus esse: à qua hypothesi omnino abstrahit Aristoteles: unde nego consequentiam. Eodem ferè modo intelliges D. Thomam 1° Post. lectione 12ª ubi sic habet: *Non est possibile invenire aliquod Genus, cujus una tantùm sit Species.* Sensus est. Non est de facto invenire aliquod Genus, cujus unica sit species. An autem animal, supposito per impossibile, quòd solus homo, ejus Species esset possibilis, remaneret Genus, non tangit; quod hîc facimus. Vndè, cùm dicit, Genus dividi per Differentias oppositas, agit de Genere materialiter, & possibili, vel de facto existente, non verò de Genere secundum nostram hypothesim. Item agit de Genere juxtà suas & Aristo elis definitiones, non verò juxta nostras: Clarius tamen responde, Aristotelem & D. Thomam loqui probabiliter, non omninò certò; solùm enim volebant, oppositum Resolutionis esse probabile, quod, sistendo in ipsorum authoritate, admittimus; non verò simpliciter.

DVIII. Objicies 2°: isto casu animal reverà esset Species vel Differentia; & non Genus: ergò, &c. Probatur antecedens pro 1ª parte; nam isto casu animal prædicaretur ut tota essentia hominis; siquidem rationale esset tantùm proprietas animalis, ab eoque fluxu rationis emanaret, sicut modò risibile à rationali, ergò, &c.

DIX. Probatur antecedens pro 2ª parte, quia isto casu, animal obiret omnia munera Differentiæ; nam divideret Genus, videlicet corpus animatum; ejus indifferentiam tolleret; Speciem adæquatè constitueret, & à quolibet alio, non secus ac rationale, distingueret; ergò reverà esset Differentia, ergo, &c.

DX. Confirmatur quia Genus aptum esset prædicari de multis ut pars materialis, sive ut determinabile per Differentiam Vniversalem; sed, isto casu, non erit tale, ergò, &c. Probatur minor, quia omne determinabile debet latiùs patere suo determinativo; alioqui non esset ratio, cur potiùs esset determinabile, quàm determinativum, ergò, &c.

DXI. Respondeo 1° negando antecedens pro 1ª parte; ad ejus probationem, nego, quòd isto casu animal prædicaretur ut tota essentia hominis; nam rationale, quod in animali actu non concluditur, adhuc esset de essentia hominis; nisi velis dicere, quòd, si per impossibile brutum fuisset impossibile, homo non habuisset eamdem essentiam, quam modo habet; quod est absurdum: nam sicut homo esse & concipi potest, nec existente, nec concepto bruto possibili; ità habet essentiam suam omninò independentem à bruto possibili; ac proindè, sive brutum sit possibile, sive impossibile, rationale semper est de essentia hominis, & non proprietas tantùm; præsertim cùm reperiatur animal sinè rationalitate, in hoc animali immediatè individuato, & dici non possit, hoc animal esse hunc hominem immediatè individuatum; quod posset, si animal esset tota essentia hominis.

DXII. Respondeo 2°, negando etiam antecedens pro 2ª parte, ad ejus probationem nego assumptum: illo enim casu animal v.g. ratione Differentiæ, quam includit, divideret quidem corpus animatum, & ejus Differentiam constitueret; sed non ratione sui, & multò minùs ratione sui Speciem adæquatè constitueret; alioqui animal, illo casu, esset tota essentia hominis, quod est absurdum, ut monstratum est: quòd autem hominem à quolibet alio distingueret, non secus ac rationale, per accidens foret; quià videlicet per accidens essent impossibilia ea, à quibus homo jam per rationale præcisè distinguitur. Vndè solùm sequitur, differentiam hominis constitutivam, per accidens cessare esse distinctivam quoad nos, & extrinsecè respectu eorum, quæ per accidens supponuntur impossibilia; quia rationale remanet Differentia hominis constitutiva & distinctiva secundum omnia intrinseca sua, ut jam; quoad se tamen & intrinsecè, remaneret eadem, quæ modò est.

DXIII. Addo tamen, adhuc Differentiam remansuram distinctivam hominis Specie ab hoc animali immediatè individuato à parte rei, ad hoc que esse necessariam; cùm reverà homo sit Species ab hoc animali realiter distincta; imò etiam adhuc fore divisivam Generis in Speciem; quià remanet Genus divisibile in Speciem unam, vel individuum immediatum. Si verò non sit amplius futurum divisibile in multas Species, & Differentia ejusdem distinctiva ab altera Specie, est hypothesis posita, ut patet.

DXIV. Ad confirmationem: Respondeo negando minorem: & ad ejus probationem distinguo assumptum: omne determinabile, secundum indifferentiam ad diversas formas, vel Differentias positivas, debet latiùs patere suo determinativo, concedo assumptum: determinabile secundum indifferentiam ad unam formam, vel Differentiam positivam, & aliam negativam, sivè privationem illius, nego assumptum: nam materia 1ª cælestis, in probabili sententia docente, esse capacem unius formæ dumtaxat, est determinabilis per illam formam, & tamen non latiùs patet illâ formâ; id est, non potest reperiri in aliquo composito substantiali completo, in quo illa forma non sit. Sed

DXV. Gravis difficultas est, cur potiùs illo casu materia sit futura determinabilis, quàm determinativa; & consequenter, cur potiùs animal sit futurum determinabile, quàm determinativum. Responderet aliquis: quià proprium est formæ, esse determinativum, subjecti verò (uti est materia) esse determinabile: sed, ut docebimus in Physica, materia & forma sunt simul naturâ sibi invicem subjectum & forma denominatio-

nis

nis, &c. quia sicut intelligi non potest, materiam esse unitam formæ, quin simul intelligatur, formam esse unitam materiæ; ità intelligi non potest, materiam esse à forma informatam, quin simul intelligatur, formam esse à materia materietatam. Quarè aliter

DXV. Ad propositam difficultatem Respondeo, cum distinctione: non est ratio cur potiùs materia cælestis sit determinabilis in *esse* subjecti informationis, quàm forma, concedo: in *esse* subjecti sustentationis, nego. Nam illud est determinabile in *esse* subjecti sustentationis, quod præsupponitur alteri, & ex quo aliud educitur; forma verò cælestis educitur ex materia cælesti, non secus ac omnes aliæ sublunares ex materia sublunari. Hinc dic, in proposito Resolutionis, Genus potiùs futurum determinabile, quàm Differentiam: quia (cùm præsupponatur Differentiæ, juxtà Aristotelem 5° Metaph. Text 33°. ubi dicit, *Genus esse* 1^um. *in rationibus*, id est, 1^am partem in definitionibus, quod & ratio suadet, quià est minùs recedens à nudo conceptu entis, quàm Differentia; nam prius est sentire (ut constat ex naturâ fœtus) quod est actus animalis, quàm ratiocinari aut ridere, quod est actus rationalis) imitatur materiam cælestem consideratam secundum esse subjecti sustentationis, secundum quod *esse*, est potius determinabilis, quàm determinativa; non verò materiam secundum *esse* subjecti informationis; quia materia secundum *esse* subjecti informationis considerata, sivè habeat plures formas, sivè non, non est magis determinabilis, quàm forma, sed simul naturâ sunt materia & forma respectu invicem determinabiles & determinativæ, nam ab invicem denominantur ac informantur, & se invicem denominant ac informant, ut latiùs ostendemus in Physica Disp. 2ª.

DXVI. Instabis, ideò intellectivum & volitivum non se respiciunt ut determinabile & determinativum, & consequenter nec ut Genus & Differentia; quia æquè latè patent; sive quia intellectivum non est determinabile per volitivum & unam aliam Differentiam positivam: ergò similiter, si animal & rationale æquè latè pateant, sive si animal non sit determinabile per rationale & unam aliam Differentiam positivam non se respicient ut Genus & Differentia.

DXVII. Respondeo 1° retorquendo argumentum in materiam 1^am cælestem formæ tantùm cælestis capacem, ut suppono: illa enim non magis latè patet quàm sua forma; & tamen, ut probatum est, illa se habet ut determinabilis, hæc ut determinativa.

DXVIII. Respondeo 2°, negando assumptum: quòd enim intellectivum & volitivum non se respiciant ut determinabile & determinativum, non est, quià æquè latè patent, sive quia intellectivum non est determinabile per volitivum, & unam aliam Differentiam; sed quià se non respiciunt, saltem ut materia & forma cælestis; nam sicut voluntas non se habet ad intellectum, ut formâ ad subjectum, sed ut ad alteram potentiam & formam ejusdem animæ, non secus ac visus, tactus, olfactus, &c. ita volitivum non se habet ad intellectivum ut determinativum ad determinabile; sed sicut ad alterum determinativum ejusdem animæ viventis ad esse volitivam & intellectivam; non secus ac visivum, tactivum, olfactivum, &c. si tamen velis, volitivum se habere ad intellectivum, ut formam ad subjectum, ut perfectionem ad perfectibile, (quod sinè absurdo dici potest) nego, intellectivum & volitivum se non respicere ut determinabile & determinativum; ac proindè ut Genus & Differentiam compositi Metaphysici intellectivi & volitivi.

DXIX. Adde ex majori vel minori late-patentia, quam habeat Differentia, non diversificari prædicabilia; alioqui tot essent prædicabilia, quot forent majores vel minores late-patentiæ: & Genus supremum, subalternum & infimum facerent tria Genera Specie diversa: Differentia suprema, subalterna & infima tres Differentias Specie diversas: Proprium supremi Generis subalterni & infimi tria Propria Specie diversa; quæ sunt parum fundata; sed ex modo prædicandi *per modum partis materialis* aut *formalis in quid*, *& in quale*, *&c.* Ex his

DXX. Collige, non esse de essentia Generis, esse totum potentiale contrahibile per plures Differentias Vniversales, sed per unicam tantùm, & plures numericas: nam id sufficit ad hoc ut sit *unum aptum prædicari de multis in quid ut pars materialis essentiæ Vniversalis.*

Resolutio IV.

DXXI. Dico 4°. Species 1° intentionaliter sive materialiter sumpta, ut v. g. homo, quoad perfectiones actuales seu Metaphysicè intrinsecas, salvatur in uno Individuo, cæteris impossibilibus.

DXXII. Probatur, quià tota actualis & Metaphysicè intrinseca perfectio hominis est animal rationale, & non aliud; sed id salvatur in Petro v.g. cæteris hominis Individuis impossibilibus; ergò, &c.

DXXIII. Confirmatur. Natura specifica sic est in omnibus suis Individuis, ut sit divisim tota in singulis; ergo, &c. Probatur antecedens; quia prædicatur tota de singulis divisim, ergo, &c.

Resolutio V.

DXXIV. Dico 5°. Species 1° intentionaliter sive materialiter sumpta, ut v. g. homo, quoad perfectiones potentiales seu Metaphysicè extrinsecas (si nempè sit multiplicabilis in plura individua) non potest salvari in unico Individuo, aliis impossibilibus.

DXXV. Probatur, quia omnes hæcceitates omnium Individuorum humanorum, ut Petreitas, Pauleitas, Ioanneitas, &c. non reperiuntur in unico Individuo hominis, verbi gratia, Petro, ergò, &c.

DXXVI. Confirmatur, sic se habet Species ad hæcceitates, sicut Genus ad Differentias Vniversales contrahentes; sed, si illud sit multiplicabile in plures Species, non habet omnem suam perfectionem potentialem sub una Differentia Vniversali contrahente, ergò nec Species sub una hæcceitate. Major tenet à pari. Minor probata est Resol. 28.

DXXVII. Dixi.

DXXVII. Dixi; *Si nempè sit multiplicabilis in plura Individua*; alioqui si supponatur, unicum Individuum esse possibile; sicut illud unicum ens erit ejus perfectio potentialis; ita in illo unico possibili, & aliis impossibilibus, salvabitur.

RESOLUTIO VI.

DXXVIII. DIco 6°. probabile videtur, quòd Species, ut est 3um prædicabile concretim sumptum, sive ut est definitum adæquatum in definitione Speciei, possit, præcisè sistendo in ratione, salvari in unico Individuo Physicè possibili, alio Physicè impossibili; sic nempè ut Deus (de quo potissimum difficultas) sic sit Physicè immultiplicabilis numero, ut tamen præcisè sistendo in ratione, non obstante suâ Physicâ immultiplicabilitate, sit Vniversalis Logicè tantùm. Huic Resolutioni occasionem 1um videtur dedisse Cajetanus cap. 4° de ente & essentia, & c. 4°. de Specie, ubi asserit naturam Michaëlis, licèt Physicè immultiplicabilem, esse Speciem Logicam. Quoad naturâ Michaëlis, Thomistæ nobis adstipulantur, & quidem sic, ut PP. nostri Comp. hîc. q. 6a dicant, *nec censendum esse Thomistam, qui oppositum senserit*. Quoad Deum autem minimè; esse tamen inter utrumque paritatem, probabiliter suadere intendimus.

Sed antè probationem

DXXIX. Suppono 1° Scripturam, Concilia & Fidem, circa ea, quæ hanc Resolutionem tangere videntur, aliud non convincere, quàm quod Deus sit realiter & Physicè unicus, intrinsecè realiter & Physicè immultiplicabilis; quidquid sit de multiplicabilitate extrinseca & rationis, sive sub præcisione formali, ad quam ista non extenduntur.

DXXX. Suppono 2° naturæ multiplicationem esse duplicem, juxtà duplicem naturæ multiplicabilitatem univocam in multa inferiora: si enim naturæ multiplicabilitas sit Physica & Logica simul, uti est naturæ humanæ abstractæ per mentem ab individuis hominis; multiplicatio naturæ est Physica & Logica simul; Physica quidem, quia, ut omnes fatentur, Physicè & realiter de facto in Petro, Paulo, & cæteris individuis hominis multiplicatur; Logica verò aut ratione & sub præcisione formali, quia humana natura ratione & per prædicationem de Petro, Paulo, &c. est in Petrum, Paulum, &c. ut sic multiplicabilis; si autem naturæ multiplicabilitas sit Logica tantùm, uti est naturæ Michaëlis, in sententia Thomistarum, eò quòd sub sola præcisione formali ab hæcceitate sit multiplicabilis, utpotè carens fundamento immultiplicabilitatis præcisivæ videlicet hæcceitate; multiplicatio non est Physica, sed Logica tantùm.

DXXXI. Suppono 3°, inter eos, qui Nominalium sententiam sequuntur, jam, saltem ut probabile, esse receptum, quòd Deus purâ extrinsecè & ratione nostrâ formali extrinsecâ componatur ex Genere & Differentia, & ut sic definiatur; idque de facto tuentur PP. Hurtadus, Arriaga, Oviedus, &c. Neque in eo est ullum absurdum, ut infrà Tractat. 4°. de Ante-prædicamentis, probabitur: cùm verò Divus Thomas 1. parte quæst. 13. artic. 5. & quæst. 7. De pot. artic. 3. negat, Deum esse in Genere, sive constare Genere & Differentia, ac proinde definiri posse, id solùm negat de Deo ex parte sui sive objecti spectato, non verò ex parte actus sive rationis nostræ extrinsecæ; quæstione etenim 3a citatâ excludit à Deo Genus, quod ex parte objecti non est ens simpliciter; ut consideranti patebit articulum 5um citatum in corpore; quod, cùm aliud non sit, quàm excludere à Deo Genus, substantiam v. g. quâ parte est objectivè ens simpliciter, verissimum est, & omninò consonum Magistro Nostro Ioanni de Bachone in 1um dist. 9. quæst. 1a. art. 1o. *Deus est in Genere sic, quod extra Genus, id est, Deus est sic in Genere in quantum Genus prædicatur de Deo sicut Genus de suo inferiori, quòd nihilominus est illimitatus & infinitus*: & ad mentem D. Thomæ, qui sicut à Deo distinctiones ratione nostrâ extrinsecâ non excludit, ita nec perfectibilitates eâdem ratione nostrâ extrinsecâ. Vnde cùm hîc & infra quæst. 13. art. 9. à Deo excludendo gradum genericum, excludit consequenter rationem Speciei; consequèter intelligi debet de ratione Speciei, quatenus ex parte objecti nõ est ens simpliciter, sed entia per participationem; non verò quatenus ex parte objecti est ens unicum simpliciter, licèt ratione nostrâ præcisè sit multa, ut statim dicetur. Ex his autem li quet, quid PP. nostris Comp. loco infra citando, P. Ioan. à S. Thoma & aliis respondendum, dum ajunt ista loca obstare, ne Deus sit Species Logica tantùm; licèt id concedatur naturæ Michaëlis.

DXXXII. Probatur 1° authoritate D. Thomæ, 1a parte q. 13a. art. 4° ad 3um. ubi expresè agnoscit plures Deos sub conceptu sive ratione nostrâ, ajens: *Deus est unus re, & plures secundum rationem, quâ intellectus noster multipliciter apprehendit Deum*; puta semel cum hæcceitate & semel finè; semel in ordine ad actus bonitatis, semel in ordine ad actus sapientiæ correspondentes, &c. semel autem dato, quòd Deus sit præcisus ratione nostrâ à sua hæcceitate, potest tunc considerari in ordine ad actus bonitati respondentes, & posteà in ordine ad actus sapientiæ respondentes, & tunc habemus Deum bonum & Deum sapientem ratione nostrâ diversos: quæ omninò confirmant Doctissimi nostri Complut. Disp. 6. de Specie q. 4. *Licèt hoc nomen* Deus *ut à nobis apprehenditur, sit communicabile multis secundum rationem, ut inquit* D. Thom. citatâ. q. 13. art. 9. *& propterea ex parte modi concipiendi nostri sit terminus communis, ut frequenter docent Thomistæ ibidem.* Ita illi: nec in præmissis à nobis apparet vel minima repugnantia, cùm ab istis duobus Dijs solâ ratione nostrâ multiplicatis præscindatur ratio Dei univoca utrique, in quo salvabitur 3um prædicabile concretim sumptum, ergò, &c. Probatur minor pro 3a parte, in qua sola difficultas, quià erit prædicabilis de multis univocè cum sui multiplicatione Logicâ tantùm, ad 3um autem prædicabile planè impertinens est, an multiplicatio sit Logica tantùm, an Physica simul, ut consideranti patebit, ergò, &c.

DXXXIII. Confirmatur, non est cur potiùs ad Vniversale Logicè tantùm, plura objectivè Physicè & unum ratione nostrâ requiratur, quàm unum objectivè Physicè & multa ratione nostrâ.

DXXXIV. Respondebis, communem Authoritatem stare pro potiori ratione. Sed

DXXXV. Contrà, imprimis non est in contrarium communis Authoritas; nam Thomistæ in

in natura Michaëlis oppositum defendunt communiter: deindè definitiones Vniversalium nihil habent in contrarium, nec Aristoteles aut Porphyrius circa illam multiplicationem, an Logica & Physica simul, an Logica tantùm esse debeat, quidquam expresserunt; ab Authoritate autem negata, nullum est argumentum.

DXXXIV. Probatur 2°. ad 3^um^. Vniversale concretim sumptum sufficit Logica multiplicabilitas univoca naturæ in multa, & præcisio formalis ab illis; atqui Naturæ Divinæ præcisæ à suâ hæcceitate convenit talis multiplicabilitas univoca in multa; & quamdiu per prædicationem non contrahitur ad illa, est præcisio formalis ab illis, cùm aliundè supponatur esse actu sub præcisione, ergò, &c. Probatur minor pro 1^a^. parte, ex dictis suppositò 2°. & 3°. & D. Thoma supra allato, ergò, &c.

DXXXV. Objicies 1°. non apparet quid esse possint illa Individua Logicè possibilia, & Physicè impossibilia: vel enim realia sunt, vel ficta? non realia, quia ut supponitur, nec sunt, nec esse possunt Physicè; ergò ficta esse debent, quia illud ens est fictum, quod non est reale & apprehenditur ut possibile, vel, quod est tantùm objectivè in intellectu, uti tantùm sunt illa Individua.

DXXXVI. Respondet Cajetanus (& plures Thomistæ post ipsum) cap. 4°. de ente & essentia, & cap. 4°. de Specie, esse non repugnantiam ex parte naturæ abstractæ ab hæcceitate ad prædicari de multis, si essent. Verùm hoc non est, naturam esse Vniversalem; sed futuram Vniversalem, si essent multa, de quibus posset prædicari. Deindè ex parte naturæ abstractæ ab hæcceitate, absolutè est repugnantia ad prædicari de multis, quæ absolutè non sunt; ergò natura abstracta ab una hæcceitate Michaëlis tantùm, non esset absolutè Vniversalis. Quarè aliter

DXXXVII. Respondeo: illa Individua fore Individua Logica prout opponuntur Physicè existibilibus; & Logicè tantùm realia, id est possibilia ex modo essendi præcisè, quem natura abstracta ab una hæcceitate habet sub abstractione; ex parte enim illius, talia Individua non involvunt in suo conceptu duo contradictoria; nec impossibilia Physicè concipiuntur in actu signato ut possibilia Physicè, quod, ut sint ficta, requiritur, sed tantùm in actu exercito ut possibilia Logicè, prout sunt Logicè possibilia; habentque esse reale Logicum in natura ut abstracta ab hæcceitate sua: ac proindè, licèt habeant esse impossibile Physicum, propter quod sunt Physicè chymærica, & consequenter natura respectu illorum nonnisi chymæricè Vniversalis Logicè & Physicè; non habent tamen esse impossibile Logicum; quia habent esse possibile Logicum ex modo essendi naturæ sub abstractione, &c. vt dixi. Hinc ens reale omninò in communi definies; *Id, quod est, vel esse potest Logicè vel Physicè*: aut *Id, quod est, vel esse potest*, subauditis particulis *Logicè* vel *Physicè*.

DXXXVIII. Instabis, vel multitudo Logica Individuorum Dei, habet fundamentum in Deo, vel non? si 1^um^. ergò Deus est intrinsecè multiplicabilis: si 2^um^. ergò, sunt ficta.

DXXXIX. Respondeo, non habere fundamentum in Deo absolutè & secundum se; sed relativè & comparativè considerato, quatenus scilicet ut unum objectivè & Physicè subest abstractioni, sive quatenus dicit non repugnantiam ad concipi conceptu confuso abstrahente formaliter naturam Divinam à sua hæcceitate.

DXL. Objicies 2°. natura abstracta ab uno Individuo tantùm, non est nisi Vniversalis negativè, id est, non exprimitur illius singularitas: sed per Vniversale simpliciter, omnes Philosophi intelligunt Vniversale positivè, & à multis positivè abstractum, ergò, &c. Ità P. Comptonus Logic. Disp. 34. Sect. 4^a^.

DXLI. Respondeo distinguendo majorem: natura abstracta ab uno Individuo tantùm, non est nisi Vniversalis negativè respectu Individui Physici à quo abstracta est, concedo majorem: respectu Individuorum Logicorũ, in quæ natura abstracta ex modo essendi, quem habet sub abstractione, est Logicè multiplicabilis, nego Majorem: dum enim Natura Divina à Deo formaliter abstrahitur, ex modo essendi, quem habet sub conceptu, est una infinitè multiplicabilis sub conceptu, sicut natura humana, in Sententia Scotistarum, ex modo essendi, quem habet antè intellectum, una est infinitè multiplicabilis ante intellectũ; quia videlicet, sicuti sub hoc modo essendi non habet principium repugnantiæ multiplicabilitatis antè intellectum; ità nec sub isto modo essendi sub conceptu habet principium repugnantiæ multiplicabilitatis sub conceptu. Modum autem, quo natura ista sit Logicè tantùm Vniversalis, assignavimus probatione 1^a^.

DXLII. Instabis, suprà hujus Tract. Disp. 1. Dub. 8°. negatum est, naturam abstractam, à Petro tantùm, esse prædicabilem de Paulo, à quo positivè abstracta non est; ergò Natura Divina abstracta à sua hæcceitate tantùm, non est, prædicabilis de hoc & illo Deo Logico, à quibus positivè abstracta non est.

DXLIII. Respondeo distinguendo assumptum: suprà negatum est, naturam abstractam à Petro tantùm, esse prædicabilem de Paulo à Petro Physicè & realiter distincto, concedo majorem; & ratio est, quia prædicatio supponit identitatem realem: negatum est, naturam abstractam à Petro, esse prædicabilem de Paulo à Petro solâ præcisione formali distincto, nego majorem. Hanc autem prædicationem omnes agnoscunt: hìc enim admittere oportet naturæ humanæ duplicis Generis esse posse Individua; aliqua Physica sivè Physicè possibilia, aut Physicè existentia; alia Logica tantùm, quæ necessariò sequuntur naturam per præcisionem formalem omni hæcceitate nudatam; & de his natura humana prædicari potest, hoc ipso, quòd est abstracta ab omni hæcceitate; quia illa realiter aliud non sunt, quàm hæc natura; realiter autem eadem de invicem prædicari possunt.

DXLIV. Vrgebis 1°. ex eodem P. Comptono & aliis: ipso facto, quòd concipit quis rationem Dei communicabilem aliis, non format conceptum Dei; quia Deus ex conceptu suo intrinsecè est unus, & essentialiter negans consortium aliorum; eo ipso proindè, quòd concipitur, ut alium secundum Deum admittens, non concipitur Deus; sed chymæra; ergò, &c.

DXLV. Respondeo distinguendo assumptum: ipso facto, quòd concipit quis rationem Dei communicabilem aliis, non format conceptum Dei ut entis Physici & Physicè ac realiter existentis, concedo majorem; ut entis Logici, & ratione nostrâ multiplicabilis, nego majorem. Ad probationem autem majoris, Respondeo ista intelligi de Deo ut ente Physico, &c. quia de Deo ut ente Logico & ratione nostrâ multiplicabili, omninò contrarium patet ex D. Thoma in probatione Resolutionis citato.

DXLVI. Vr-

DXLVI. Vrgebis 2o. ex Patre Poncio Disput. 3a. de Vniversali ut sic, Quæst. 4. Si, quòd Individuum non possit numero multiplicari à parte rei, non impediat, nè sit Vniversale; quòd Species infima non possit Specie multiplicari à parte rei, non impediet ne sit Genus per abstractionem: sed hoc est absurdum: ergò, &c. Probatur sequela majoris; quia prout illa est Vniversalis, eò quòd in ea jam ab hæcceitate præcisa nullum sit principium repugnantiæ multiplicabilitatis in Individua; ita nec ullum est principium repugnantiæ multiplicabilitatis in Species, ergò, &c.

DXLVII. Respondeo 1o. negando minorem, quia ut infrà ostendemus, natura humana possibilis, respectu Individuorum Physicorum possibilium potest se habere ut Genus, de illis tamquam de Specie differentibus prædicari, &c. quod patet à fortiori de Logicè tantùm possibilibus.

DXLVIII. Respondeo 2o. majorem negando, quia, supposito, quòd detur Species infima, ad multiplicabilitatem illius Logicam in multas Species Logicas tantùm, non sufficit præcisio ab hæcceitate; quia hæc est principium solius repugnantiæ in multa Individua Logica, cujus cum præcisione stat Differentia Speciei infimæ, quæ est principium repugnantiæ in multas Species Logicas, à qua si præscindas, in homine v. g. non video cur Logicè multiplicari non possit in multas Species, quia illo casu non est aliud, quàm animal multiplicari in multas Species Logicas tantùm, ut considerànti patebit; in eo autem quòd animal sit multiplicabile in Individua Logica tantùm, sub præcisione, & aliundè in realia realiter, nulla est repugnantia, ut patet ex Responsione ad Objectionem 2am.

Resolutio VII.

DXLIX. Dico 7o. sistendo in authoritate & communi sensu Doctorum, mihi longè probabilius est, 3um prædicabile, sive Speciem Logicam, salvari non posse in unico Individuo Physico possibili, alio Physicè impossibili.

DL. Probatur, quia imprimis, quòd Deus non sit Vniversalis, Species Logica, &c. unanimis est omnium Theologorum & Philosophorum consensus; eò quòd Deus sit essentialiter *hic*, sive ex parte actus nostri, sive ex parte objecti; quia sive ex parte actus nostri, sive ex parte objecti, accipi debet ut immultiplicabilis. Deindè quòd natura Michaëlis non sit similiter Vniversalis, Species, &c. videtur (supposità illius Physicà immultiplicabilitate) sequi à pari ex natura Divina; quæ sicut est essentialiter hæc, quia, sive ex parte actus nostri, sive ex parte objecti, accipi debet, ut immultiplicabilis; ità natura Michaëlis est essentialiter hæc, quia, sive ex parte actus nostri, sive ex parte objecti, accipi debet, in illa hypothesi, ut immultiplicabilis; repugnat enim illam accipi ut *immultiplicabilem*, & non accipi ut *hanc*; & quocumque sensu isto modo accipitur, hoc modo accipi debet; & quocumque sensu acciperetur ut *multiplicabilis, ut non hæc*, &c. eodem sensu Deus sive natura Divina accipi deberet ut *multiplicabilis, ut non hæc*, &c. ut Resolutionem 6am consideranti patebit, ergò, &c.

DISPVTATIO QVINTA
De Individuo.

DVBIVM I.

Quid Individuum Physicum, Metaphysicum & Logicum.

DLI. ANtè Resolutionem Suppono 1o. varias à Porphyrio hîc (quia, cùm Individuum sit correlativum Speciei, de eo hîc agendum videbatur) Individui definitiones adferri. 1a. *Quod de uno solo particulari dicitur*, puta univocè, quia de multis æquivocè dici, non est Dubium. 2a. *Quod constat proprietatibus* (id est accidentibus, duobus subjectis Hexametris contentis) *quarum idem* (puta Specie) *aggregatum numquam fiet* (supple naturaliter, quia supernaturaliter fieri posse, patet) *in alio*. Hexametra autem sunt hæc:

Forma, figura, locus, tempus cum nomine, sanguis,
Patria, sunt septem, quæ non habet unus & alter.

Breviùs alii post Boëtium:

Forma, figura, locus, stirps, nomen, patria, tempus.

DLII. *Forma* est colorum corporis dispositio: *figura* partium: *locus* extensio localis: *stirps* parentes: *tempus* duratio; cætera patent. Ista tamen definitio essentialis non est; sed descriptiva, eaque valdè imperfecta, quia accidentia rei, non essentiam explicat: nec omnia Individua comprehendit; sed ex sanguine sive ex Parentibus tantùm (qui, præterquam viventibus non assignantur, etsi in aliis quâdam latiori acceptione assignentur) statim patet, nullam esse definitionem, quia duo terræ Individua (& sic de aliis inanimatis) omninò in proprietatibus istis convenientia naturaliter proferre, nihil vetat; ut tamen definitio nulla censeatur, sufficit, quòd supernaturaliter produci possint duo homines, quibus illa omnia conveniant; posse autem, nullus ambigit.

DLIII. Suppono 2o. Individuum posse, ut Vniversalia, dupliciter accipi: semel 1o. intentionaliter, sivè secundum ea, quæ habet independenter ab intellectu; & semel 2o. intentionaliter, sivè secundum ea, quæ habet dependenter ab intellectu. De quibus Tract. 1o. *de Ante-Vniversalibus*, Disp. 1a. Dub. 1o.

DLIV. Suppono 3o. Individuum ordinariè assignari quadruplex. 1um determinatum ex nomine proprio, ut Paulus. 2um ex demonstratione, puta eò quòd sit nomen commune affectum pronomine demonstrativo, ut hic homo. 3um ex suppositione, puta eò quòd sit nomen commune, ex suppositione facta, uni soli conveniens; ut Philosophus pro Aristotele; Apostolus pro Paulo; Filius Virginis Mariæ pro Christo. 4um est Individuum vagum; eò quòd sit nomen commune affectum signo particulari, ut aliquis homo: quod Individuum, ideò vagum dicitur, quòd in cognitione ita vagetur, ut in ipsa nihil sit determinatum; licèt in se, (utpotè sæpius existens) plerumque sit determinatum. His autem suppositis, sit

Resolutio I.

DLV. Dico 1o. Individuum Physicum est ens 1i intentionale, *quod est Individuum in se*, &

& divisum à quolibet alio, ut Petrus. Ità D. Thomas 1ª. parte quæst 29. artic. 4. id est, Individuum est illud, quod habet Differentiam intrinsecam nulli alteri communicabilem, sic ut ratione illius, illi repugnet dividi in plura, quorum unumquodque sit adæquatè idem cum ipso. Vndè clarè patet 1º. quòd Vniversale non sit Individuum; quià omne Vniversale genericum & specificum in Species aut Individua, tamquam adæquatè eadem cum ipso, dividi & distrahi potest. 2º. quòd *Petrus* v.g. maneat Individuum, licèt in animâ & corpus dividi possit: (& idem est de ligno Bipedali, quod in unum & alterum pedem dividi potest) quià in illa non dividuntur tamquam in adæquatè eadem cum diviso.

DLVI. Petes, quomodo inter se distinguantur divisibile, indivisibile, unum & Individuum.

DLVII. Respondeo, *divisibile*, esse omne illud, quod in partes dividi potest. *indivisibile*, quod in partes dividi non potest *unum* rectè confunditur cum *individuo*; quod definitum est, *id cui repugnat dividi in plura, quæ sunt adæquatè idem cum ipso*, sive interim sit *divisibile* in partes suas, sivè *indivisibile*.

Resolutio II.

DLVIII. Dico 2º. Individuum Metaphysicum est ens 2º. intentionale, *quod est indivisum in se, & divisum à quolibet alio*, id est, est prædicatum commune restrictum per particulam *hoc*. ut *hoc animal*.

Resolutio III.

DLIX. Dico 3º. Individuum Logicum est, *ens unum*, &c. *aptum prædicari de uno tantùm*. Quia tamè Individuum Physicum, antecedenter ad omnè intentionem prædicabilificantè est, proximè de uno prædicabile; (nam comparatio ipsius ad seipsum, sivè secundum identitatem illius secum, ad prædicationem requiritur, non ad prædicabilitatè ut suprà Tract. 1º. Disp. 3ª. vidimus) omne Individuum Physicum ut tale (& idem est de Metaphysico ut tali) est Individuum Logicum: secus tamen si Individuum Logicum per actum, & non per aptitudinem, hoc modo definias: Individuum Logicum est, *quod de uno solo univocè prædicatur*; quià illud solùm est Individuum Logicum ut sic, quod de facto de uno solo prædicatur, sivè quod de facto ab actu intellectus prædicante determinatur, ad esse prædicatum de uno solo, quod Individuo ut Physico, vel Metaphysico, &c. non convenit, ut patet; licèt illis per denominationem à tali actu prædicante, & prout illi tamquam subjecta denominationis subsunt, conveniat. Loquere proportionaliter de hac definitione Individui per aptitudinem. *Individuum est, quod est subjicibile Speciei:* & alterà per actum, *Individuum est, quod subjicitur Speciei*. Vndè patet, contrà P. Comptonum Logic. Disp. 35. Sect. 2ª. Individuum Logicum esse 1ª. vel 2ª. intentionis, prout definitur per aptitudinem vel actum.

DLX. Objicies 1º. juxtà Aristotelem 1º. Metaph. cap. 15. Individuum definiri non potest: ergò tres in istis Resolutionibus allatæ Individui definitiones sunt nullæ.

DLXI. Respondeo 1º. Aristotelem solùm velle, Individua Physica & Metaphysica, ut talia, definiri non posse rigorosâ aliquâ definitione, id est constante Genere & Differentiâ, propriè dictis (quidquid sit, an prout ens definitur, definiri non possint; quod negandum non videtur,) non verò Individua Physica aut Metaphysica, ut definita materialia definitionis Individui Logici traditæ per actum, sivè ut denominata hujus definitionis, *Individuum est, quod de uno solo univocè prædicatur*: quià, semel dato, quòd Petrus & Paulus de uno solo univocè prædicentur, sunt hoc, *quod de uno solo prædicatur*, & hoc, *quod de uno solo prædicatur*: si verò ab utroque præscindas hæcceitates, & sic, *quod de uno solo univocè prædicatur*, ab utroque abstrahas, habebis, *quod de uno solo prædicatur*, cõmune univocè Individuis Physicis aut Metaphysicis, ut definitis materialibus definitionis Individui Logici, traditæ per actum: & speciem consequẽter habebis prædicabilem respectu illorũ. Vndè Respondeo 2º. distinguendo assumptũ. Individuum ut Individuum, & in particulari, definiri non potest, concedo assumptum; Individuum Logicum ut Species, & in communi, nego assumptũ.

DLXII. Instabis: Individuum in communi prædicatur de multis, ergò vel definitio non est Individui in communi, vel non valet.

DLXIII. Respondeo, distinguendo antecedens: Individuum in communi prædicatur de multis denominativè & accidentaliter, concedo antecedens: formaliter & essentialiter, nego antecedens: idem enim hîc contingit, ac dum Genus abstractũ ab hoc & hoc Genere, fit denominativè & accidentaliter Species; licèt sit formaliter & essentialiter Genus, prout est concretum ex 1ª. intentione objectiva, & 1ª. formali generificante; nam Individuum ut concretum ex 1ª. intentione objectiva, & 1ª. intentione formali Individuante, est formaliter & essentialiter Individuum, & prædicatur de uno tantùm; ut abstractum verò ab hoc & hoc tali concreto, est denominativè & accidentaliter Species, & prædicabile de multis.

DLXIV. Vrgebis 1º. Individuum in communi, est prædicabile essentialiter de multis, ergò solutio nulla. Probatur antecedens, quià hæc prædicatio *hoc Individuum est Individuum*, non est minùs essentialis, quàm hæc, *Petrus est homo, hoc animal est animal*, &c. quæ, apud Omnes, sunt essentiales, ergò, &c.

DLXV. Respondeo distinguendo antecedens, ut antè: Individuum in communi, est prædicabile de multis essentialiter, id est, essentialiter habet, quòd sit prædicabile de multis, nego antecedens: nam id habet à 1ª. intentione formali Speciei quà accidentaliter afficitur, non secus ac homo habet esse aptum prædicari de Petro & Paulo v.g. essentialiter, hæc enim non includuntur in definitionibus ipsorum: id est, postquam accidentaliter accepit à 1ª. intentione formali Speciei, esse prædicabile de multis: est prædicabile in actu exercito de multis essentialiter, concedo antecedens; sed hoc non est habere essentialiter, èsse aptum prædicari, ità ut ly *essentialiter* appellet *habere*. prout habet Genus, Species, &c. in concreto; sed habere accidentaliter, esse aptum prædicari essentialiter; ità ut ly *essentialiter* appellet *prædicari*, prout habet Genus, Species, &c. materialiter sumpta pro denominatis.

DLXVI. Vrgebis 2º. Definitum in definitione Individui, est oppositum definito in definitione Vniversalis; sed Individuum non est illi oppositum, ergò &c. Probatur minor; quià est Vniversale, & Vniversale est tale definitum.

DLXVII. Respondeo distinguendo majorem, definitum *quo* & formale Individui, est oppositum definito *quo* & formali in definitione Vniversalis,

concedo majorem: nam illud est 1ª. intentio formalis dans prædicari de uno tantùm; hoc 1ª. intentio formalis dans prædicari de multis, quæ sunt opposita: definitum *quod* & materiale Individui, est oppositum definito *quod* & materiali in definitione Vniversalis, nego majorem: licèt enim non omne definitum *quod* in definitione Vniversalis sit definitum in definitione Individui; sed solùm esse conceptum conceptu Individuante, sive abstractum ab hoc & hoc concepto conceptu Individuante; hoc tamen est unum ex definitis *quod*, in definitione Vniversalis.

DLXVIII. Objicies 2º, Individua sunt primæ substantiæ; sed primę substantiæ de nullo prædicantur juxtà Aristotelem cap. de Substantia; ergò, &c.

DLXIX. Respondeo distinguendo minorem: sed 1ª. substantiæ de nullo prædicantur prædicatione ordinatâ, id est, superioris de inferiori vel totius de parte subjectiva, concedo minorem: prædicatione identicâ, æqualis de æquali; vel etiam formali (quia ad prædicationem formalem solùm requiritur prædicatum paulò clariùs exprimi, vel aliud significare, quàm subjectum) nego majorem. Nec aliud negat Aristoteles; alioqui, cùm 1º. Prior. cap. 28. dicat: *Individuum posse prædicari, ut quandò dicitur, hoc album est Socrates*, sibi contradiceret.

DLXX. Addo tamen, concedi posse; Individuum de nullo prædicari simpliciter; quià *prædicari simpliciter*, loquendo ex hypothesi & anthonomasticè, est prædicari de multis, seu prædicatione Vniversali.

DVBIVM II.

An ab Individuis possit abstrahi ratiò communis Vnivoca.

ANte Resolutionem

DLXXI. Suppono 1º. Dubium procedere de Individuis Physicis, Metaphysicis & Logicis, ut definitis materialibus in definitione, quâ Individuum definitur, *Quod de uno solo univocè prædicatur*; idque sub duplici eorum consideratione, materialiter scilicet, & secundum totum quod dicunt, & formaliter sivè præcisivè secundum suas Differentias individuales.

DLXXII. Suppono 2º. istorum Individuorum duplicem posse assignari rationem; unam 1º. intentionalem & intrinsecam, & est prædicatum quodlibet Individuis conveniens antè 1ᵘᵐ actum intellectus ab illis realiter distinctum: alteram 2º. intentionalem secundum se, vel secundum modum significandi. 2º. intentionalis secundum se, est omne prędicatum cujus forma est intentio illis extrinseca. 2ò. intentionalis verò secundum modum significandi, omne prædicatum significans & præsupponens prædicatum 2º. intentionale secundum se, juxtà dicta Tract. 1º. de Antè-Vniversalibus Disp. 1ª. Dub. 1º. His suppositis, sit

Resolutio I.

DLXXIII. Dico 1º. Ab Individuis Physicis materialiter sumptis nulla ratio 1º. intentionalis, intrinseca & in actu signato abstrahi potest, quæ sit illis positivè aut etiam negativè communis univoca; benè aliqua 2º. intentionalis secundum modum significandi extrinseca & in actu exercito.

DLXXIV. Probatur 1ª. pars: quià omnis ratio Individuorum Physicorum materialiter sumptorum 1º. intentionalis, intrinseca & in actu signato, est objectivè indivisibiliter, ac proindè formalissimè *hoc*; ergò ab Individuis Physicis materialiter sumptis nulla potest abstrahi ratio, &c. Probatur consequentia, quià ab hoc & hoc formalissimè sumptis nulla talis ratio magis potest abstrahi, quàm dari possit *hoc* formalissimè sumpti, conceptus inadæquatus quoad intrinseca. Antecedens patet, ex præmissis Tract. 1º. Disp. 2ª. contra talis rationis distinctionem objectivam Thomisticam.

DLXXV. Confirmatur: si ab Individuis Physicis materialiter sumptis aliqua similis ratio abstrahi posset, maximè ratio entis, substantiæ, &c. abstrahi posset; sed hæ rationes non sunt 1º. intentionales intrinsecæ & in actu signato, ergò, &c. Major patet: probatur minor, quià ens, substantia, &c. sunt rationes 2º. intentionales extrinsecæ, saltem ex modo significandi & in actu exercito; nam ens v.g. non est nisi in actu exercito conceptus Individuorum tam confusè, ut solùm appareant distincta à non ente: similiter substantia non est nisi in actu exercito conceptus Individuorum tam confusè, ut solùm appareant distincta ab accidente; quæ verò tantùm sunt in actu exercito ipsius conceptus, ut esse conceptum, Vniversale, unum, commune, &c. non sunt prædicata 1º. intentionalia, intrinseca & in actu signato; sed 2º. intentionalia; vel secundũ se, ut esse conceptum, vel secundum modum significandi tantùm, ut homo, ens, & similia, quæ significant & necessariò præsupponunt conceptum. De quibus fusè & ex professo Tract. 1º. Disp. 1ª. & 2ª.

DLXXVI. Objicies tamen 1º: à Petro & Paulo abstrahitur per 1ᵃᵐ intentionem formalem ratio communis univoca entis, animati, albi, &c. ergò illa sunt rationes seu prædicata 1º. intentionalia & intrinseca Petro & Paulo. Probatur consequentia; quia 1ª. intentio formalis tendit in rem secundum ea, quæ habet antè intellectum.

DLXXVII. Respondeo concesso antecedente, negando consequentiam. Ad ejus probationem, distinguo assumptum: 1ª. intentio formalis tendit in rem secundum ea, quæ habet antè intellectum, ità ut illam in actu exercito non mutet extrinsecè, & ex parte ipsius intellectus, nego assumptum; nam dum 1ª. intentio formalis Petrum & Paulum confusè cognoscit, in ordine ad sensationem & ratiocinationem, abstrahendo ab hæcceitatibus facit Petrum & Paulum extrinsecè & ex parte actus hominem & Speciem prædicabilem: ità ut illam in actu exercito mutet extrinsecè & ex parte ipsius intellectus, concedo assumptum; hoc autem sufficit ut à Petro & Paulo abstrahat rationem entis, animati, albi, &c. nam licèt hoc album, hoc animatum, &c. sint rationes 1º. intentionales & extrinsecæ respectu Petri & Pauli; album tamen & animatum, utpotè quidpiam commune & indifferens ad multa, cui nihil datur simile antè intellectũ, sunt rationes 2º. intentionales & extrinsecæ secundum modũ significandi: imò nec Petrus est hoc ens 1º. intentionaliter & antè intellectum (nam hoc ens est Genus transcendentale immediatè individuatum per intellectum) sed tantùm hoc ens & simul indivisibiliter intrinsecè cæteri gradus ipsius Metaphysici, considerati ex parte objecti: hinc 1º, sicut falsa est hæc prædicatio, *Petrus est Vniversale 1º. intentionaliter & antè intellectum*, ità hæc, *Petrus est ens 1º. intentionaliter & antè intellectum*: 2º, sicut falsa est hęc

prædi-

prædicatio, *Petrus est Genus immediatè individuatum* 1°. *intentionaliter & antè intellectum*; ità hæc, *Petrus est hoc ens* 1°. *intentionaliter & antè intellectum*.

DCLXXVIII. Instabis, vera est hæc prædicatio, *Petrus est ens, ente personaliter sumpto*, ergò etiam hęc, *Petrus est ens*, sumpto ente 1°. intentionaliter & antè intellectum. Probatur consequentia, quià ens, ente personaliter sumpto, est ens sumpto ente 1°. intentionaliter & antè intellectum.

DCLXXIX. Respondeo concesso antecedente distinguendò consequens: ergò etiam hæc est vera, *Petrus est ens sumpto ente* 1°. *intentionaliter & antè intellectum*, si ly 1°. *intentionaliter & antè intellectum* appellet ly *Petrus*; ità ut sit sensus, *Petrus* 1°. *intentionaliter & antè intellectum est ens*, nego consequentiam; alioqui hæc etiam esset vera, *Petrus* 1°. *intentionaliter & antè intellectum est quid indifferens ad multa, commune*, &c. si ly 1°. *intentionaliter & antè intellectum* appellet ly *ens*, ut sit sensus, *Petrus est ens* 1°. *intentionaliter & antè intellectum*, concedo consequentiam; sed hoc est idem ac si diceretur Petrus est ens, ente personaliter sumpto. Sic patet ad probationem consequentiæ.

DCLXXX. Probatur 2ª. pars conclusionis, quià à Petro & Paulo v. g. potest abstrahi ratio hominis, animalis, substantiæ, entis, &c. sed illa est 2°. intentionalis & extrinseca secundum modum significandi, ut sæpè vidimus, ergò &c.

DCLXXXI. Objicies 2o, potest dari ratio Individui incompleti communis omnibus Individuis quantumvis inter se dissimilibus; sed ratio individui incompleti est 1°. intentionalis intrinseca & in actu signato; ergò, &c. Probatur major, quia Individuum incompletum est idem ac unum transcendentaliter, quod convenit prædicatis superioribus, ac proindè commune multis Individuis prout ipsum prædicatum superius.

DCLXXXII. Respondeo negando minorem, ratio enim Individui incompleti, sivè unius transcēdentaliter, prout idem est ac prædicatum superius, nihil est 1°. intentionale, magis quàm ipsum prædicatum ut in actu exercito superius; posse autem ab Individuo abstrahi rationem aliquam 2°. intentionalem, extrinsecam & in actu exercito univocè communem multis, statim dicetur.

Resolutio II.

DCLXXXIII. Dico 2°. ab Individuis Metaphysicis formaliter sumptis secundum suas hæcceitates, nulla potest abstrahi ratio communis univoca 2°. intentionalis secundum modum significandi tantùm v. g. ratio entis, substantiæ, Accidentis, unius transcendentaliter, &c. Est Nominalium contrà RR. PP. Hurtadum, Oviedum, Comptonum & Thomistas communiter.

DCLXXXIV. Probatur, quià hæcceitas est præcisissima ratio differendi sivè ultima Differentia distinctè cognita ut ultima; sed à duabus præcisissimis rationibus differendi, sive à duabus ultimis Differentiis distinctè cognitis ut ultimis, non potest abstrahi ratio communis entis, substantiæ, &c. ergò, &c. Probatur minor; quià alioqui essent rationes præcisissimæ differendi sinè ullo modo conveniendi, Differentiæ ultimæ distinctè cognitæ ut ultimæ, &c. & non essent; quæ contradictionem implicant: essent ut supponitur; non essent, quià essent ratio conveniendi; nam in ratione entis inter se convenirent; ac proindè accipi non possent ut condistinctæ à Differentia communi vel specifica; sed illam simpliciter in se includerent.

DCLXXXV. Dices ex P. Comptono Disput. 35. Logic. Sect. 12. à terminis æquivocis potest in actu exercito abstrahi ratio communis univoca termini æquivoci, ergò & in actu exercito ab hæcceitatibus, Individuis, terminis, &c. ratio communis univoca hæcceitatis, Individui, unius, &c.

DCLXXXVI. Respondeo rationem univocam termini æquivoci ab illis ut sunt æquivoca 1°. intentionaliter, non abstrahi; sed prout sunt 2°. intentionaliter definita materialia definitionis æquivocorum; ab hæcceitatibus autem, Individuis, unis, &c. prout sunt 2°. intentionaliter definita materialia definitionis Individui secundum actum, posse abstrahi rationem communem, diximus dub. 4. & fusiùs probabitur Resolutione sequenti. Vndè nego consequentiam ad sensum hujus Resolutionis; si enim à duabus hæcceitatibus possit abstrahi una hæcceitas communis univoca; à duabus humanitatibus, prout humanitas condistinguitur contra hanc humanitatem, poterit abstrahi una humanitas communis univoca, & sic de aliis, quæ sunt absurda.

DCLXXXVII. Confirmatur, hæcceitates ut sunt præcisissimæ rationes differendi, sivè Differentiæ ultimæ distinctè cognitæ ut ultimæ, condistingui debent adæquatè ab ente, formaliter quidem in sententia Scoti; objectivè in sententia Thomistarum; ex parte actus tantùm, in Nominalium & nostra sententia: ergò ab illis ut talibus (quomodò hîc sumi debent) non potest abstrahi ratio communis entis; probatur consequentia; quià ut tales, utpotè adæquatè distinctæ ab ente, non sunt ens: probatur antecedens, 1°. quià alioqui essent præcisissimæ rationes, &c. & non essent, ut probatum est n. 605. 2o. quia contrahens & contractum debent adæquatè condistingui; alioqui daretur processus in infinitum; nam contractum utpotè inadæquatè semper inclusum in suo contrahente, semper & ab omni contrahente posset in infinitum abstrahi; aliàs, si vel unum assignes à quo adæquatè distinguatur, idem debes dicere de omnibus: sit exemplum, si animal v. g. sit inadæquatè inclusum in rationali à quô contrahitur, poterit à rationali abstrahi; quô dato, vèl in rationali, quod remanet post abstractionem, adhuc inadæquatè includitur ex parte actus, vel non? si 1ᵘᵐ. iterum poterit abstrahi, & sic in infinitum; si non, ergò ab initio adæquatè distinguebatur à rationali suo contrahente, & sic de aliis. 3°. si hæcceitas includat ens, potest inadæquatè concipi secundum quod est ens, & inadęquatè secundum quod dicit distinctum ab ente; hoc supposito, sic argumentor; hæcceitas concepta inadæquatè secundum quod est ens, non est præcisissima ratio differendi, sed conveniendi; non est ultima Differentia cognita distinctè ut ultima, sed cōvenientia, ergò inadæquatè tantùm concepta secundum quod dicit distinctum adæquatè ab ente, est talis; ac proindè non potest à diversis similibus abstrahi ratio communis entis.

DCLXXXVIII. Objicies 1°. ens includitur in omni ente positivo, ergò essentialiter includitur in omni hæcceitate, etiam formaliter & præcisissimè sumptâ: ergò potest ab omni hæcceitate, etiam præcisissimè sumptâ, abstrahi ratio communis univoca entis. Probatur hæc consequentia; quià, etiam ut sic, est ens reale positivum.

DLXXXIX. Respondeo distinguendo antecedens, ens includitur essentialiter in omni ente positivo sumpto objectivè, materialiter & ut subjacet conceptui adæquato ultimo, concedo antecedens; nam ut sic est idem quod omnes gradus Metaphysici in individuo inclusi: sumpto formaliter, & ut subjacet cõceptui inadæquato ultimo, nego antecedens; sicut enim Petrus potest ità inadæquatè concipi ex parte actus, ut distinctè repræsentetur ut rationalis tantùm, abstrahendo an sit animal, nec ne: ità hæcceitas cujuslibet Individui potest sic inadæquatè ex parte actus concipi, ut ex parte ejusdem distinctè tantùm repræsentetur ut est præcisissima & ultima ratio differendi, abstrahendo an sit ens, nec ne; hæcceitas verò ut sub illo inadæquato conceptu ultimo, non includit ens, nec est, nec non est, ens positivum; sicut Petrus ut sub inadæquato conceptu rationalis & specifico ultimo, non includit ex parte actus animal, nec est, nec non est, animal.

DLXXXX. Instabis: inter ens & nihil, non datur medium; sed hæcceitates ut ultimæ rationes differendi non sunt nihil; ergò sunt ens.

DLXXXXI. Respondeo distinguendo majorem: inter ens & nihil non datur medium objectivè distinctum, concedo majorem; distinctum formaliter & ex parte actus repræsentativi, nego majorem; verum quidem est, quòd, quidquid objicitur intellectui, sit ex parte sua sivè objecti ens, vel nihil; nõ verò formaliter & ex parte actus, quo repræsentatur; quià potest per illum, tam confusè repræsentari, ut sub repræsentatione non appareat esse ens, aut nihil; quod in proposito contingit, dum mihi repræsento hæcceitatem præcisè, ut est ultima ratio differendi; item perfectè ut est Differentia contrahens ens ad substantiam, &c. Vndè hæcceitas ut ultima ratio differendi, dicit quidem aliquid formaliter oppositum chymeræ, puta ens ex parte objecti; non tamen ex parte actus, sed à tali opposito abstrahit. Quarè, si per impossibile poneretur à parte rei id, quod se tenet ex parte actus, quo hæcceitas præcisè repræsentatur ut ultima ratio differendi, ità poneretur, ut nec esset ens, nec chymera, sive non ens; si verò poneretur id, quod se tenet ex parte objecti, poneretur, non tantùm ens, sed & omnes gradus Metaphysici ejusdem Individui; quia sunt unum quidpiam objectivè indivisibile, ut sæpè dictum est.

DLXXXXII. Vrgebis: hæcceitas Petri v.g. sive Petreitas ex parte actus inadæquati & ultimi, est ultima ratio differendi, & hæcceitas Pauli etiam, sive Pauleitas; ergo in illa saltem ratione conveniunt ut subsunt conceptui confuso; licèt disconveniant ut subsunt distincto; ac per consequens, licèt ab illis, ut subsunt conceptui distincto, abstrahi non possit aliqua ratio ultimæ rationis differendi; poterit tamen, ut subsunt conceptui confuso.

DLXXXXIII. Respondeo distinguendo, consequens, ergò in illa saltem ratione conveniunt æquivocè, concedo consequentiam: univocè, nego consequentiam: non enim magis conveniunt univocè, quàm conceptus distinctus Petreitatis ut talis, & Pauleitatis ut talis; nec conceptui confuso ut tales subesse possunt, magis, quàm id, quo Petrus ultimò differt à Paulo, possit esse id, quo Paulus ultimò differt à Petro; quod tunc fieret; aut magis, quàm præcisissima ratio disconvenientiæ ut talis, possit esse ratio convenientiæ; quod etiam fieret.

DLXXXXIV. Deindè Petreitas & Pauleitas ità per conceptum in proposito attinguntur, ut faciant ultimò differre, & ultimò inter se differant; nam cùm faciunt subjecta sua ultimò differre, faciunt se ultimò differre; conceptus autem talis necessariò est distinctus, & non confusus.

DLXXXXV. Superurgebis, Differentiæ individuales Petri & Pauli magis conveniunt, quàm Petri & Bucephali, Petri & hujus albedinis, &c. sed id contingit ratione alicujus communis univocè; ergò, &c.

DLXXXXVI. Respondeo distinguendo majorem; Differentiæ individuales Petri & Pauli magis conveniunt formaliter & ex parte actus, nego majorem; materialiter & fundamentaliter, in quantum Petrus & Paulus (à quibus ut sic non distinguuntur) sunt per plures actus, & in ordine ad plures operationes fundamentaliter simile, inter se confusibiles, quàm Petrus & Bucephalus, Petrus & hæc albedo, &c. concedo majorem; sed de Differentiis individualibus hoc modo sumptis non procedit dubium.

Resolutio III.

DLXXXXVII. Dico 3º, ab Individuis Logicis, prout sunt definita materialia in definitione Individui secundum actum, potest abstrahi ratio aliqua cõmunis univoca 2º. intentionalis secundum se. Probatur, quià omnia in eo conveniunt; quòd sint concepta 1ª. intentione formali individuante; quod sint unum unitate singulari extrinsecâ 1ª. intentionis formalis individuantis, sive quòd de uno tantùm prædicentur; sed illæ rationes sunt 2º. intentionales secundum se, ergò, &c. Hinc

DLXXXXVIII. Colliges, omnia Individua Logica ut sic, convenire in ratione univoca Individui Logici, ut sic ab illis per conceptum confusum abstracti; non item individua Physica in ratione Individui Physici, aut Metaphysica in ratione Individui Metaphysici, quia dicunt ultimò differre; ab hac autẽ & illa ultima Differentia, non potest abstrahi una ultima Differentia communis univoca, ut patet ex dictis; & ratio clara est, quià alioqui ultima Differentia esset totalis convenientia, quod est ridiculum & implicans.

DLXXXXIX. Nec dici potest, illam esse ultimam Differentiam ut sub conceptu distincto, & ex parte Petreitatis, v.g. Pauleitatis, &c. non verò ut sub conceptu confuso, & ex parte abstractionis: nam de ratione ultimæ Differentiæ est, ut sumatur Species ut sub conceptu distincto; quia ut sub confuso, ne quidem esset Differentia, quomodò igitur ultima?

DC. Objicies tamen, si ab Individuis Logicis posset abstrahi, ratio aliqua communis univoca 2º. intentionalis secundum se, contrahi deberet per duas hæcceitates ad Individua Logica, à quibus etiam posset abstrahi ratio communis univoca 2º. intentionalis secundum se, quæ ad illas contrahi deberet per duas alias hæcceitates, & sic in infinitum, quod est absurdum, ergò, &c.

DCI. Respondeo distinguendo majorem: si ab Individuis Logicis, &c. deberet per duas hæcceitates Metaphysicas contrahi ad Individua Logica concedo majorem: per duas Logicas, nego majorẽ: sicut enim differentia contrahens rationale ad Petrum, debet ex parte actus condistingui à rationali,

&

& Differentia individualis contrahens naturam Vniversalem ad Individuum, non debet esse Vniversalis, sed ab ea adæquatè distincta, aliàs idem contraheret seipsum, & iretur in infinitum; ità Differentia contrahens individuum Logicum ad hoc Individuum Logicum, debet condistingui ab Individuo Logico; ac proindè non potest esse Individuũ Logicum, sed hæcceitas Metaphysica, ex qua & Individuo Logico constituitur hoc Individuum Logicum: quia hoc Individuum nihil aliud est, quàm hoc conceptum conceptu sivè 1a. intentione formali individuante, per ly *hoc* intelligendo hæcceitatem Metaphysicam, vel entitatem Physicam Individui Physici ut talis.

DCII. Instabis hæc & hæc singularitas Logica sunt ultimæ Differentiæ individuæ Logicæ; sed sicut, ab ultimis Differentiis Metaphysicis non potest abstrahi ratio communis univoca; ità nec ab ultimis Differentiis individuis Logicis; ergò, &c.

DCIII. Respondeo 1o. retorquendo argumentum in Differentiam specificam atomam; rationale & rugibile v. g. sunt differentiæ ultimæ specificæ, ergò sicut ab ultimis Individuis non potest abstrahi ratio communis univoca; ità nec ab ultimis specificis: est enim lata disparitas, quòd Differentia ultima specifica, ità sit ultima, ut sit in ratione Differentiæ specificæ, communis, huic & huic Differentiæ specificæ; Differentia verò ultima individua Metaphysica, ità est ultima, ut non sit communis huic & huic Differentiæ ultimæ individuæ Metaphysicæ; undè sicut Differentia ultima specifica est communis univoca multis; ità ab ultimis differentiis specificis potest abstrahi ratio communis univoca illis.

DCIV. Respondeo 2o. concessâ majore, negando minorem; est enim disparitas, quòd differentiæ individuæ Metaphysicæ ita sint ultimæ, ut in ratione Differẽtiæ individuæ Metaphysicæ nõ conveniant; è contrà Differentiæ ultimæ Logicæ, quià in hoc univocè conveniunt, quòd sint Individuum Logicum, prædicabiles de uno solo, quòd sint conceptę 1a. intentione formali individuante, &c. deindè non sunt rationes differendi, undè dicere possunt convenientiam, sed rationes prædicandi de uno solo, distinctæ solo numero sub prædicabili de uno solo definito in communi, tamquam sub specie.

DVBIVM III.

An Individuum vagum sit Vniversale, vel saltem Individuum propriè dictum.

Resolutio I.

DCV. Dico 1o. Individuum vagum, ut v. g. aliquis homo, quidam leo, &c. non est Vniversale; sivè à mente Porphyrii, ad Vniversale requirentis terminum simplicem, abstrahas, sivè non.

DCVI. Probatur 1o. quià, spectatâ mente Porphyrii, à definitione Vniversalis excluduntur termini complexi & voces complexæ significatione, qualis est Individuum vagum, ut patet, ergò, &c.

DCVII. Probatur 2o; quià abstrahendo à mente Porphyrii, Individuum vagum v. g. aliquis homo, non est multa realiter, & unum sub conceptu confuso; ergò non est Vniversale; consequentia patet ex præmissis; probatur antecedens pro 1a. parte, quia ly *aliquis homo* significat unum Individuum determinatum in se, & solùm indeterminatum in cognitione, & non determinatè plura in se; nam si unus tantùm homo, quem non cognoscam, fuerit locutus, & dicam, *unus tantùm homo fuit locutus*, verum dicam; si verò plures homines fuissent locuti, falsum dicam, ergò, &c.

DCVIII. Probatur antecedens pro 2a. parte: quià, qui apprehendit hoc complexum aliquis homo, non apprehendit multos homines instar unius, sed unum ex multis, quos inter se distinguit formaliter, utpotè tendens in particulam distinctivam *vel*, quæ mediare debet inter distincta & distincta, ergò, &c.

DCIX. Objicies tamen 1o. Individuum prædicatur de multis univocè, ergò est Vniversale; probatur antecedens, quià aliquis homo v. g. prædicatur univocè de Petro, & Paulo, ergò, &c.

DCX. Respondeo 1o. negando antecedens; quià cùm Individuum vagum significet unum hoc determinatum in se, licèt indeterminatum in cognitione, non potest magis, quàm unum hoc, ut Petrus v. g. prædicari de multis univocè: & hæc responsio sufficit, si abstrahatur à mente Porphyrii, pro conditionibus dictis; si secus,

DCXI. Respondeo 2o. non sufficere prædicari de multis univocè; alioqui animal rationale respectu Petri & Pauli esset Vniversale, cùm tamen ex mente Porphyrii ab Vniversali excludatur per ly *unum*.

DCXII. Objicies 2o. totum quod obstare posset, quò minùs Individuum vagum sit Vniversale, est, quòd significet unam Differentiam individualem confusè; sed hoc non obest, ergò, &c. Probatur minor, quià ly *homo*, ut est Vniversalis, significat confusè Differentias individuales Petri, Pauli, &c. ergò, &c.

DCXIII. Respondeo distinguendo majorem, totum quod obstare posset, &c. est, quòd significet unam Differentiam individualem in se determinatè, & non plures, concedo majorem; id enim ipsum est, quod obstat: quòd significet unam & simul etiam plures in se determinatè, prout significat ly *homo*, nego majorem, nam id non obstat, sed necessariò requiritur ad hoc, ut natura sit Vniversalis.

Resolutio II.

DCXIV. Dico 2o. Individuum vagum est propriè dictum Individuum Logicum: probatur, quià prædicatur de uno tantùm univocè, licèt æquivocè de multis, ut Petrus, prædicari possit, ergò, &c.

DCXV. Confirmatur, ideò Petrus est Individuum Logicum propriè dictum, quià prædicatur de uno tantùm, licèt, æquivocè de multis prædicari possit, ergò & Individuum vagum.

DISPVTATIO SEXTA

De Differentia.

DVBIVM I.

Quid Differentia in Genere, & quomodò dividatur.

Resolutio I.

DCXVI. Dico 1°. Differentia in Genere est forma, quâ unum ab alio, vel à seipso differt.

DCXVII. Dixi *ab alio, vel à seipso*, putà, vel positivè, nam Belga per formam positivam, scilicet albedinem, ab Æthiope habente nigredinem differt: vel negativè, nam per formam negativam, non agens à se ipso agente differt.

Resolutio II.

DCXVIII. Dico 2°. Differentia in Genere, dividitur in communem, propriam & propriissimam. Cōmunis est Differentia secundum formam accidentalem contingentem: sic paries albus à nigro differt. Propria est Differentia secundū formam accidentalem propriam & connaturalē: sic homo risibilis ab æquo hinnibili differt. Propriissima est Differentia secundum formam specificam: sic homo per rationale à bruto irrationali differt. Per hanc duo per se differunt, & sunt aliud & aliud: per duas 1as. non nisi per accidens, & sunt alterum & alterum.

CDXIX. Adde 1°. officia Differentiæ propriissimè quatuor præcipua numerari; scilicet dividere Genus; constituere Speciem; de Specie prædicari; unius Speciei Individua ab alterius speciei Individuis essentialiter distinguere. Vndè dicitur divisiva Generis, constitutiva speciei, de Specie prædicabilis, & distinctiva unius Speciei Individuorum ab Individuis alterius Speciei.

DCXX. Adde 2°. Pleraſque Differentias propriissimas nominibus negativis, defectu positivorū exprimi: ut irrationale, inanimatum, &c. supponi tamen pro realibus & positivis: facit enim sæpenumero penuria vocabulorum, ut positiva explicemus per negationem.

DVBIVM II.

Quænam sit definitio essentialis Differentiæ 3i. prædicabilis, & respectu quorum sit 3um. prædicabile.

ANtè Resolutionem

DCXXI. Suppono, Porphyrium hîc Differentiam prædicabilem definire, *Id, quod prædicatur de multis differentibus Specie in quale quid*. Verùm, præterquam quòd hæc definitio tradatur per prædicari actu, quod est accidentale Differentiæ, non secus ac visui actu videre, non convenit Differentiæ atomæ, quæ de solo numero differentibus prædicatur in quale quid. Vndè dicendum ly *differentibus Specie*, addi explicationis gratiâ, hæcque sola, ut summum, verba esse definitioni essentialia, *Differentia est, quæ prædicatur de pluribus in quale quid*, sicque definitio Differentiæ conveniet Differentiæ atomæ & aliis. Verùm pro clariori & præmissis conformiori definitione, sit

Resolutio I.

DCXXII. Dico 1°. Differentia *est unum*, &c. *aptum prædicari, de multis ut pars formalis essentiæ Vniversalis*. Per Genus definiti exclude Individuum. Per ly *ut pars formalis* Genus, per ly *essentiæ*, Proprium & Accidens: per ly *Vniversalis* Speciem. Pro quorum clariori intelligentia, vide dicta suprà de Genere & Specie. Indè autem

DCXXIII. Colliges, cur Differentia Generica, quæ *de multis Specie differentibus in quale quid*; & specifica, quæ *tantùm de multis solo numero differentibus* dicuntur; non constituant duo diversa prædicabilia, sicut Genus & Species: hujus enim ratio est, quià utraque de suis inferioribus eodem mòdo prædicatur, scilicet *in quid ut pars formalis essentiæ Vniversalis*; nec prædicari de Specie vel numero differentibus, diversificare potest prædicabilia essentialiter, ut Disp. 3a. de Genere dub. 1°. vidimus. Vndè dic allatas definitiones, Differentias genericam & specificam non diversificare in ratione Differentiæ, sed in ratione genericæ & specificæ; nam Differentiæ, quibus Differentia ad genericam & specificam contrahitur, Differentiam non dividunt in duas diversas Species; sed unam eamdemque in duo Accidentia Specie diversa, prout dividitur homo in album & nigrum, ut consideranti patebit.

Resolvtio II.

DCXXIV. Dico 2°. Differentia non est 3um. prædicabile respectu Speciei vel Generis simpliciter sumpti: Ita PP. Ioan. à S°. Thoma. Complut. nostri Log. Disp. 7. & alii contra Cajet. Sotum & Tolet.

DCXXV. Probat P. Comptonus Log. Disp. 36. Sect. 2a. Quià conceptus Vniversalis formaliter, est conceptus superioris formaliter; sed respectus Speciei non est aliquid superius, sed tantùm æquale, ergò &c. Ita ferè omnes alii, nominatim PP. Complut. & Ioann. à S. Thoma.

DCXXVI. Contrà: ista probatio mihi omninò nulla est; quià (quidquid sentiam, conceptum Vniversalis, semper respectu aliquorum, esse conceptum superioris) si per duos conceptus semel homo à Petro & Paulo abstrahatur, & semel à Caio & Titio, & posteà rationale ab istis duobus hominibus abstractis abstrahatur, respectu illorum erit Vniversale, non tamen superius, ut patet, magis quàm si ab uno istorum abstrahatur respectu unius sit superius. In eumdem errorem incidunt alii, qui ad Vniversale requirunt ordinem unius superioris ad multa inferiora. Quarè aliter

DCXXVII. Probatur, quià quod est 3um. prædicabile debet esse unum & multa ut multa, sed rationale

tionale respectu Speciei, hominis v. g. sensitivum respectu Generis, animalis v. g. non est unum & multa ut multa, ergò, &c. Probatur minor, quià Species & Genus simpliciter accepta, sunt plura Individua concepta per modum unius, ut sæpè dictum est, ergò, &c.

DCXXVIII. Objicies tamen 1°. Differentia est 3^um. prædicabile respectu ejus, respectu cujus est Differentia, sed est Differentia respectu Speciei vel Generis simpliciter sumpti, ergò &c. Probatur minor quià si specifica, Speciem constituit & distinguit à quolibet alio; si generica, Genus constituit & distinguit à quolibet alio, ergò, &c.

DCXXIX. Respondeo distinguendo majorem. Differentia est 3^um. prædicabile respectu ejus, respectu cujus est Differentia prædicabilis, concedo majorem: respectu ejus, respectu cujus est Differentia Metaphysica; id est constitutiva & distinctiva, nego majorem: quià illa ut talis, cùm etiam ut talis in Individuis reperiatur, non potest esse Universalis.

DCXXX. Objicies 2°. proprium est Differentiæ ut est 3^um. prædicabile *prædicari in quale quid de multis*; sed id habere non potest respectu Individuorum, ergò id habet respectu Speciei, vel Generis.

DCXXXI. Respondeo negando majorem: non enim est proprium tertii prædicabilis *prædicari in quale quid*; sed ut summum, *esse aptum prædicari in quale quid*; nam *prædicari in quale quid*, est prædicari essentialiter respectu unius partis, & accidentaliter respectu alterius partis ejus, de quo prædicatur; non potest autem esse aptum prædicari accidentaliter respectu unius partis, nisi sumptum in abstracto; in abstracto verò non prædicatur, ut sæpè dictum est: si tamen intelligatur major, de prædicari aptitudine & non actu, illâ transire permissâ, (de quo infrà) respondeo negando minorem; nam illa diversa *prædicari* includunt duas partes, unam genericam respectu cujus Differentia specifica apta est *prædicari in quale*; & aliam specificam, respectu cujus Differentia apta est *prædicari in quid*; imò respectu Individuorum tantùm, id potest; quià illa sola sunt multa ut multa, ut vidimus.

Resolutio III.

DCXXXII. Dico 3°. Differentia est 3^um. prædicabile respectu Speciei, vel Generis personaliter sumpti. Ita Authores communiter.

DCXXXIII. Probatur, quia Differentia respectu Speciei, vel Generis personaliter sumpti, est unum sub 1ª. intentione formali differentificante, & multa ut multa à parte rei; sed ad 3^um. prædicabile nihil aliud requiritur, ergò, &c. Major patet, pro 1ª. parte: probatur pro 2ª, quià species vel Genus personaliter sumptum, nihil aliud est, quàm multa individua concepta secundum ea, quæ habent antè intellectum, quomodò sunt multa ut multa à parte rei, ergò, &c. Hinc

DCXXXIV. Collige, rationalitatem respectu hominis simpliciter sumpti (& sic de aliis) non magis esse Universalem, quàm unum sub conceptu respectu unius sub conceptu ut talis; nam homo simpliciter sumptus non est multa ut multa; sed multa ut unum sub conceptu, sive multa concepta per modum unius; secus tamen respectu hominis personaliter sumpti, propter oppositam rationem.

Dubium III.

An Differentia sit 3^um. prædicabile, sumpta in abstracto, an in concreto.

DCXXXV. Antè Resolutionem Suppono, Dubium procedere de definito *quod* & accidentali, in definitione Differentiæ, ut v. g. de rationali, an ut rationale, an ut rationalitas, sit 3^um. prædicabile. Hoc supposito, sit

Resolutio I.

DCXXXVI. Dico 1o. Differentia ut sic sumpta, non potest esse 3^um prædicabile in cõcreto. Est Eximii P.M.N. Bachonis Disp. 3. cit.

DCXXXVII. Probatur, quià in concreto non est apta prædicari de multis, ut pars formalis essentiæ Universalis eorum, de quibus apta est prædicari ut Differentia; sed 3^um. prædicabile debet esse tale, ergò, &c. Probatur major: quià sicut in concreto, non est pars formalis essentiæ Universalis eorum, sed ipsamet essentia eorum singularis; ità nec in concreto est apta prædicari de multis, &c. ergò &c.

DCXXXVIII. Confirmatur, rationale v. g. in concreto importat ea omnia confusè, de quibus aptum est prædicari; sed illa non sunt apta prædicari de seipsis; ut pars formalis essentiæ suæ Universalis, sed ut eadem secum, ut æqualia sibi ipsis, &c. ac proindè, ut tota essentia singularis, ergò, &c.

DCXXXIX. Pro solutione objectionum, vide Disp. 3ª. Dub. 2^um.

Resolutio II.

DCXL. Dico 2o. Differentia ut sic sumpta est 3^um. prædicabile in abstracto.

DCXLI. Probatur: rationale v. g. aliquo sensu est 3^um. prædicabile; non in concreto, ut Resol. 1ª. vidimus; & alioqui omnia prædicabilia essent eodem modo prædicabilia, scilicet ut æquale de æquali: ergò in abstracto.

DCLXII. Confirmatur: rationalitas v. g. est unum aptum, &c. affirmari de Petro & Paulo ut pars formalis essentiæ Universalis eorum; ergò & 3^um. prædicabile. Consequentia tenet à definitione: probatur major, Objectionum Solutione, pro qua vide Dubium 2^um. Resolutione 1ª. citatum.

Dubium IV.

An Differentia sit perfectior Genere.

DCXLIII. Antè Resolutionem Suppono, Dubium procedere de definito *quod* & accidentali in definitione Differentiæ, idque juxtà triplicem ejus considerationem, v. g. an sit perfectior Genere, ex modo prædicandi: an in genere entis Metaphysici materialiter & objectivè sumpti: an in Genere entis Metaphysici formaliter, & ut sub conceptu sumpti. Pro quo sit

Resolutio I.

DCXLIV. Dico 1°. contra P. Oviedum, & alios communiter. Differentia ex parte modi prædicandi est perfectior Genere ut Genere. Probatur: perfectio modi prædicandi sequitur modum se habendi ad essentiam Universalem Individuorum; sed modus, quô se habet Differentia ad essen-

essentiam Vniuersalem Individuorum, est perfectior modo, quo se habet Genus ad eamdem, ergò, &c. Probatur minor, quià Differentia se habet ut forma, ut determinativa & perfectiva Generis; Genus verò ut materia, ut determinabile, perfectibile, &c. juxta illud D. Thomæ. 1ª. p. q. 50. art. 4. ad 1um: *Dicendum ergò quod Differentia est nobilior Genere, sicut determinatum indeterminato*, &c. Et de spiritualibus creaturis, art. 8. ad 9um *Illud, quod constituit in Specie, est nobilius eo, quod constituit in Genere, sicut determinatum indeterminato*. Sed hic modus se habendi ad essentiam Vniversalem Individuorum est imperfectior, ut vel ipsum lumen naturæ docet, ergò, &c. Probatur major, quia ideò Species apta est prædicari ut tota essentia, quià se habet ad Individua ut tota essentia Vniversalis eorum. Item ideò Genus aptum est prædicari ut pars materialis, quià ad dictam essentiam se habet ut pars materialis, ergò &c.

DCXLV. Objicies tamen 1°. Genus se habet ad essentiam Vniversalem Individuorum, ut includens omnes gradus se superiores, Differentia ut nullos ex superioribus includens, ergò modus, quo se habet Genus ad essentiam Vniversalem Individuorum, est perfectior modo, quo se habet Differentia ad eamdem; ac per consequens, Genus ex parte modi prædicandi, est perfectius Differentiâ.

DCXLVI. Respondeo distinguendo antecedens: Genus ut Genus formaliter, se habet ad essentiam Vniversalem Individuorum ut includens, &c. nego antecedens; quia ad Genus ut Genus formaliter, satis est, si sit pars determinabilis, perfectibilis, &c. nam in communi sententia parum refert, an in definitione sit Genus supremum cum Differentia atoma, quomodò Genus pauciores gradus includit, quàm Differentia, de quo nos dubio sequenti: Genus ut tale Genus, id est, ut infimum v.g. faciens definitionem cum Differentia atoma præcisissimè sumpta, includit omnes gradus, &c. concedo antecedens; sed indè nihil contrà nos; quià id non habet ex ratione Generis, neque ex ratione se habendi ad essentiam Vniversalem Individuorum, sed potiùs ex modo se habendi ad Differentiam Vniversalem eorũ, supplere debens, quod in ipsa deficit.

DCXLVII. Objicies 2°. Genus prædicatur *in quid* per modum per se stantis, Differentia *in quale* per modum adjacentis; sed sicut perfectius est, per se stare, quàm adjacere; ità perfectius est prædicari per modum per se stantis, quàm prædicari per modum adjacentis: ergò, &c.

DCXLVIII. Respondeo negando majorem, pro qua vide Disp. 3ª. de Genere. Dub. 1um. Prædicari enim *in quid*, est prædicari essentialiter, prædicari verò *in quale*, est prædicari accidentaliter; Differentia autẽ non minùs est apta prædicari *in quid*, quàm Genus. Vndè Aristoteles 4°. Metaph. c. 3°. dicit simpliciter, *Differentiam prædicari in quid*. 1°. Posterior: Text. 21. utramq; definitionis partem, (scilicet Genus & Differentiam) *quidditativè prædicari*. Deindè Genus, imò etiam Species, non minùs aptũ est prædicari *in quale*, quàm Differentia: nam Aristoteles cap. de subst. &. 7°. Metaph. Text. 48. dicit: *Genera, Species & Vniversim, quæ prædicantur Vniversaliter, non significare quid* (puta tantùm) *sed quale*. Et ratio esse potest; quia, sicut rationale aptum est prædicari *in quale*, eo quòd non sit de essẽtia alterius partis ejus, de quo ut toto, aptum est prædicari; ità cætera Vniversalia, & nominatim Genus & Species (de quibus tantùm potest esse difficultas) sunt apta prædicari *in quale*, quia non sunt de essentia alterius partis ejus de quo apta sunt prædicari: Genus enim, v.g. animal, ità aptum est de Petro prædicari, ut non sit de essentia rationalitatis aut Petreitatis contentorum in Petro; Species verò v.g. homo, de Petro etiam, ità est apta prædicari, ut non sit de essentia Petreitatis. Hinc

DCXLIX. Colliges, non esse proprium Differentiæ, esse aptum prædicari de multis *in quale quid*, sed etiam Generi & Speciei convenire: nam interroganti *quale quid est homo?* rectè respondetur, *est animal*: item *quale quid est Petrus?* rectè respondetur *est homo*: quia hujus interrogationis *quale quid est homo?* hic est sensus; *quidnam de homine prædicatur essentialiter & accidentaliter*, ad quod rectè respondetur, *animal*. Idem dic proportionaliter de hac interrogatione, *quale quid est Petrus?*

Resolutio II.

DCL. Dico 2°. Differentia in genere entis Metaphysici objectivè & materialiter, non est perfectior, nec imperfectior Genere; sed æqualis. Probatur; quia Differentia ut sic, non distinguitur materialiter & objectivè à Genere; nec è cõtrà Genus à Differentia, ergò, &c. Antecedens patet; quia, ex suprà probatis, gradus Metaphysici sunt intrinsecè & objectivè indivisibiliter idẽ, ergò, &c.

Resolutio III.

DCLI. Dico 3°. contra PP. Nostros Complut. Arriagam hic, Oviedum & plures alios, Differentia in Genere entis Metaphysici formaliter, & secundum modum suum essendi sub conceptu, est imperfectior Genere.

DCLII. Probatur: quia Differentia ut sic, nullum gradum è superioribus, imò ne quidem ens includit; Genus verò includit gradus omnes se superiores, etiam ens, ergò ut sic est imperfectior Genere: consequentia patet; quia sicut ens perfectius est, quàm non ens; ità à fortiori perfectius est Genus, quàm Differentia.

DCLIII. Probatur antecedens pro 1ª. parte: quia ut sic, ità sumitur, ut sit tantùm & præcisè Differentia Speciei constitutiva & distinctiva illius à quolibet, ad quod non requiritur ut includat ens, prout à simili constat, ex dictis Disp. 5. Dub. 2°. de hæccitate propriissimè sumptâ.

DCLIV. Probatur antecedens pro 2ª. parte: quia non possum concipere animal, nisi concipiam vivens sensitivum; nec vivens, nisi concipiam gradus superiores, & sic de aliis, ergò, &c.

DCLV. Objicies tamen 1°. cum P. Oviedo: in Genere entis forma est nobilior materiâ, determinativũ nobilius determinabili; sed Differentia se habet ut forma, & ut determinativa, Genus ut materia, & ut determinabile, ergò in Genere entis, Differentia est perfectior Genere. Ita fere PP. Complut. ex D. Thoma num. 66. citato.

DCLVI. Respondeo distinguendo majorem: in Genere entis Physici, & ex conceptu formæ in Genere, forma est nobilior materiâ acceptâ in Genere entis Physici, & secundum cõceptum materiæ in Genere, concedo majorem: nec mirum, quia materia ut sic præcisè, dicit imperfectionem, & perfectibilitatem subjectivam, forma verò ut sic præcisè perfectionem & perfectivitatem informativam: in Genere entis Metaphysici formaliter, & secundum modum essendi sub conceptu, nego majorem; nam quan-

quantumvis Genus formaliter & ut sub conceptu Generis, secundum modum se habendi ad essentiam Vniversalem individuorum, dicat perfectibilitatem & determinabilitatem; eam tamen non dicit secundum modum essendi; sed præcisè perfectiones positivas, quas includit, ut substantiæ, entis, &c. Differentia verò, si sumatur formaliter & ut sub conceptu Differentiæ Metaphysicæ, dicit quidem perfectivitatem secundum modum se habendi ad dictam essentiam, nullam tamen dicit perfectionem positivam secundum modum essendi, quia secundum illum ne quidem ens includit, prout suprà diximus. Hinc

DCLVII. Colliges, differentiam in Genere entis Metaphysici, absolutè dicendam imperfectiorem Genere; quia absolutè perfectius est, esse perfectibile secundum modum se habendi ad dictam essentiam, & dicere perfectiones positivas substantiæ, entis, &c. quàm esse sine ulla perfectione positiva secundum modum essendi, modo quodam intellectuali & præcisivo, perfectivum secundum modum se habendi ad essentiam, &c.

DCLVIII. Objicies 2°. cum P. Arriaga, quo magis aliquid recedit à nudo conceptu entis, eò perfectius est; sed Differentiæ magis recedunt à nudo conceptu entis, quàm Genus, quod dividunt; ergò sunt in Genere entis seu Metaphysicè perfectiores Genere.

DCLIX. Respondeo distinguendo majorem: quò magis aliquid recedit à nudo conceptu entis per rectam lineam prædicamentalem, eò perfectius est, concedo majorem: per indirectam, nego majorem. Genera autè & Species recedunt per rectam lineam, Differentiæ per indirectam; undè fit, quòd sint imperfectiores Genere, & non includant, ut sub conceptu Differentiæ, gradus superiores, prout dubio sequenti dicitur; licèt eos includant ex parte objecti; quia sicut ex parte illius omnes gradus sunt ens, & è contra, ens omnes gradus, (nam non datur in re simplici nisi unicus gradus objectivè indivisibilis ut Tract. 1. Disp. 2. fusè probatum est) non datur major recessus unius, quàm alterius gradus ex parte objecti, à nudo conceptu entis.

DCLX. Objicies 3°. Differentia secundum modum se habendi ad essentiam Vniversalem Individuorum est perfectior Genere juxtà Resol. 1^am^; ergò & secũdum modum suum essendi sub conceptu. Probatur consequentia, quia modus se habendi ad dictã essentiam, sequitur modũ essendi sub conceptu, ergò, &c.

DCLXI. Respondeo negando consequentiam: ad ejus probationem, nego assumptum, nam modus se habendi ad dictam essentiam, sumitur ab analogia sivè similitudine ad materiam vel formam, vel ad conflatum ex utraque; si enim prædicatum se habeat ad essentiam Vniversalem Individuorum, ut se habet materia ad essentiam Physicam eorum, dicitur se habere ut determinabile & ut Genus; si verò, ut se habet forma, dicitur se habere ut determinativum & ut Differentia; si ut conflatum ex utraq́; dicitur tota essentia & Species: determinativum autem in Genere est (ut dictum est) perfectius determinabili in Genere; ac per consequens Differentia secundum modũ prædicandi est perfectior Genere propter perfectiorem modum se habendi, &c. modus autem essendi sub conceptu sumitur à prædicatis intrinsecis ipsius talis entis, dicturq́; illud habere nobiliorem modum essendi, quod includit plura & perfectiora prædicata essentialia, ut constat ex Specie comparata ad Genus; non autem dicitur habere perfectiorem modũ se habendi ad essentiam Vniversalem Individuorum, illud quod plura & perfectiora prædicata includit; alioqui modus animalis se habendi ad essentiam Vniversalem Petri v.g. esset perfectior modo, quò se habet substantia ad illam; cùm tamen hæc, utpotè determinabilior animali, dicat majorem analogiam & similitudinem (à qua sumitur perfectio modi se habendi ad essentiam, &c.) cum materia, quàm animal.

DVBIVM V.

An Genus in suo conceptu formali includat Differentias inferiores: vel è contra an inferiores includant Genus. Item an Differentia Superior inferiores: vel è contrà Inferior includat Superiores.

ANtè Resolutionem

DCLXII. Suppono, Dubium non procedere de Genere aut Differentia materialiter, pro eo quod dicunt in recto, vel objectivè pro eo quod dicunt ex parte objecti, quia certum est Genus ut sic, includere Differentias inferiores & è contrà; item Differentias superiores ut sic includere inferiores, & è contrà; sed dubium procedit de Genere aut Differentia formaliter pro eo, quod dicunt in obliquo, & prout se tenent ex parte actus Genus ut Genus, Differentiam ut Differentiam considerantis, ut sit sensus; an animalitas in suo conceptu formali includat rationalitatem & irrationalitatem, vel è contra; an rationalitas & irrationalitas animalitatem: item an sensitivitas includat rationalitatẽ & irrationalitatem, vel è contrà, rationalitas & irrationalitas sensitivitatem, aut vitam, aut materialitatem: hoc suppositio, sit

Resolutio I.

DCLXIII. Dico 1°. Genus non includit in suo cõceptu formali sivè formaliter Differentias inferiores, per quas contrahitur & dividitur: ita Philosophi communiter.

DCLXIV. Probatur 1°. quia duo opposita in conceptu formali unius rei nequeunt includi: sed duæ differentiæ inferiores, per quas Genus contrahitur & dividitur, sunt oppositæ, saltem quoad prædicationem, ergò, &c. Major est Aristotelis 7°. Metaph. Text. 42°. probatur minor, quia rationalitas v. g. affirmari non potest de irrationalitate, nec è contrà, sicut nec homo de bruto, vel è contrà, ergò, &c.

DCLXV. Probatur 2°. quia alioqui Genus, ut consideranti patebit, non esset Genus; sed plures Species, non totum potentiale respectu Speciei, sed totum actuale, contrà rationem, & Arist. 2°. Post. c. 8. ubi ait: *Supponatur tale esse Genus; ut sit secundum potentiam in pluribus.* Quod sequitur. D. Thom. pluribus locis & nominatim lect. 13. & Opusc. 42. c. 9. ergò, &c.

DCLXVI. Probatur 3°. quia alioqui in definitione hominis v.g. rationalitas bis poneretur, semel explicitè, semel implicitè in animalitate seu Genere, sed hoc est nugatorium, ut vel ipse Aristoteles conclusionẽ 2^am^. citandus notavit, ergò, &c.

Resolutio II.

DCLXVII. Dico 2°. Differentia non includit in suo conceptu formali Genus, quòd contrahit, & dividit: ità celebres Thomistæ & alii communiter, contra Sonsin. 7. Metaph. q. 37.

DCLXVIII. Probatur 1°. quia hoc ipso, quòd Differentiæ includerent formaliter Genus, Genus non esset Genus, ergò, &c. Consequentia patet, probatur antecedens

tecedens ex Aristotele 3°. Metaph. Textu 10°. ubi probat ens, non esse Genus, quia includitur in suis Differentiis, ergò, &c.

DCLXIX. Probatur 2°. ex eodem Aristotele 4°. Topic. cap. 1°. ubi sic habet, *Manifestum igitur, quoniam non participat Genus Differentia.* ergò, &c.

DCLXX. Probatur 3°. si Genus esset de cõceptu formali Differentiarum, duplici ratione conveniret Speciebus, id est, bis poneretur in Specierum definitione, ut v.g. in Definitione hominis bis poneretur animal, semel expresè & ratione sui, & semel implicitè ratione Differentiæ, in qua includeretur formaliter, & sic hæc formalis definitio hominis, *animalitas rationalitas*, esset nugatoria, non secus ac hæc, *animalitas sensitivitas, rationalitas*, ergò, &c.

DCLXXI. Confirmatur, Differentia, rationalitas v. g. debet sumi ut est præcisè principium hominis disconveniendi cum bruto: ergò non includit in suo conceptu formali Genus. Consequentia patet; quia secundum illud, esset principium conveniendi: probatur antecedens, quia præterquam quod ille sit essentialis conceptus Differentiæ, Differentia sumi debet pro eo præcisè quod compositum suprà Genus includit; quod, ut patet, debet esse præcisè principium disconveniendi, ergò, &c.

DCLXXII. Objicies tamen: Species Vniversalis, uti est Differentia, includit in suo conceptu formali Vniversale; sed Vniversale est Genus respectu Differentiæ, ergò Differentia includit formaliter Genus.

DCLXXIII. Respondeo concessâ majore intellectâ de Differentia prædicabili, distinguendo minorem: sed Vniversale est Genus respectu Differẽtiæ 3i. prædicabilis, de qua hìc non est quæstio, concedo minorem: respectu Differentiæ Metaphysicæ, sivè Speciei constitutivæ, de qua hìc agimus, nego minorem; quia hæc, ut summum est denominativè Vniversalis, idque per respectum ad individua; non verò per respectum ad Speciem simpliciter sumptam, quã constituit, & respectu cujus est Differentia Metaphysica.

DCLXXIV. Instabis rationale est formaliter substãtia, ergò, Differentia inferior includit in suo conceptu formali Genus. Consequentia patet, quia substantia est Genus, probatur antecedens, quia alioqui esset accidens vel nihil, quorum utrumq; est falsum, ergò, &c.

DCLXXV. Respondeo distinguendo antecedens: rationale materialiter & objectivè est formaliter substantia, concedo antecedens: formaliter & ut sub conceptu, nego antecedens: nam ut sic dicit tantùm esse Differentiam constitutivam hominis, abstrahendo, an sit substantia, an accidens, vel nihil.

DCLXXVI. Vrgebis: membra dividentia debent includere, sive participare rationem divisi; sed Differentia inferior est talis respectu Generis, ergò, &c.

DCLXXVII. Respondeo distinguendo majorem: membra dividentia, in quæ fit divisio, ut homo & brutum respectu animalis, debent includere rationem divisi, concedo majorem: membra dividentia per quæ fit divisio, ut rationalitas & irrationalitas, nego majorem, ob rationes suprà allatas.

Resolutio III.

DCLXXVIII. Dico 3°. Differentia superior includit in suo conceptu formali Differentias inferiores, ut v.g. sensitivitas rationalitatẽ & irrationalitatẽ. Hæc Conclusio patet ex Resol. 1a.

Resolutio IV.

DCLXXIX. Dico 4°. Differẽtia inferior non includit in suo conceptu formali Differentias superiores. Hæc Conclusio patet ex Resol. 2a. Quia tamen nõnullæ rationes videntur id insinuare.

DCLXXX. Objicies 1°. sensitivum est formaliter vivens, ergò Differentia inferior includit formaliter superiorem: probatur antecedens; sentire est formaliter vivere, seu sensatio formaliter, est quidam actus vitalis, ergò sensitivum est formaliter vivens.

DCLXXXI. Respondent, qui præcisiones objectivas admittunt, distinguendo antecedens: sensitivum adæquatè & completè sumptum pro essentia suo modo specifica in ordine Differentiarum, sivè composita ex duobus se habentibus per modum Generis & Differentiæ, est formaliter vivens, concedunt antecedens: inadæquatè & incompletè sumptum pro principio differendi vel pro ipsa Differentia constitutiva ipsius sensitivi cõpletè sumpti, negant antecedens. Verùm hæc responsio videtur difficilis. Vel enim illud sensitivum completè sumptum distinguitur objectivè à vivente ut est Genus animalis, vel nõ?

DCLXXXII. Si prius, cùm ut completè sumptum includat vivens, vel vivens bis ponetur in formali definitione animalis, quâ definitur vita sensitivitas, vel sensitivum debebit confundi cum ipso animali, utpotè æquè compositum, quorum utrumque est absurdum.

DCLXXXIII. Dices ex R.P. Comptono Log. Disp. 36. sect. 4. sensitivum (puta in abstracto) completè sumptum non poni in definitione animalis, sed incompletè sumptum dumtaxat, ergò, &c.

DCLXXXIV. Resp. negando assumptũ 1o. quia talitas illa viventis ex parte objecti quoddam vivens esse debet, haud secus quàm talitas entis, ut perfectas v.g. ex parte objecti quoddã ens est; alioqui ex parte objecti daretur medium positivum inter ens ex parte objecti, & non ens ex parte objecti; quod est impossibile; si verò dari possit medium positivũ inter ens & non ens ex parte objecti, dari poterit realiter & à parte rei, quia quæ objectivè sivè ex parte objecti distinguũtur intrinsecè, etiam realiter distinguuntur, ut probavimus suprà Tract. 2o. Disp. 2a. Dub. 5°. contra Thomistas & Scotistas: nullus autem admiserit tale medium positivum realiter à parte rei, inter ens & non ens considerata realiter & à parte rei: de quo ex professo in Metaph. Disp. 2a. Deindè, sicuti per te, sensitivum est talitas viventis, sic ut ex parte objecti, nec sit vivens, nec non vivens; ità vivens, sic est talitas corporis completi, ut nec sit corpus, nec non corpus completũ: corporeitas sic est talitas substantiæ, ut nec sit substantia, nec non substantia: perfectas sic est talitas entis, ut nec sit ens, nec non ens. Igitur homo, sic ex illis conflatur & cõponitur, ut, ex parte sua & objecti, nec sit vivens, nec corpus completũ, nec substantia, nec ens, &c. nec proindè, contrà Aristotelem 6°. Topic. cap. 3°. & Lib. 2°. post. cap. 14. homo rectè definietur per Genus supremum & Differentias intermedias; vel dicendum, hominem ex parte objecti includere triplicis Generis vivens, puta vivens simpliciter prout homo est vivens simpliciter; vivens tale quatenus homo includit sensitivitatem, quæ est talitas viventis; & iterum vivens tale generalius, quatenus homo includit Differentiam, quâ vivens contrahit corpus completum ad hominem, quod est multiplicare entia magnâ cum superfluitate, & definitiones entium prædicamentalium, omnino confundere, ut patet.

DCLXXXV. Si posterius, ergò gradus Metaphysici non distinguũtur objectivè, quod negãt. quare aliter

DCLXXXVI. Respondeo distinguendo antecedens: sensitivum (puta in abstracto) ex parte objecti est formaliter

maliter seu essentialiter vivens, concedo antecedens: ex parte actus, *sensitivum* ut Differentiam animalis considerantis, nego antecedens. Ad ejus probationem similiter distinguo antecedens: sentire ex parte objecti est formaliter vivere, concedo antecedens: ex parte actus considerantis illud, ut Differentiam præcisè sentientis suprà vivens, nego antecedens. Horum ratio est; quia, secundum nos, qui præcisiones objectivas non admittimus, Genus & Differentia extrinsecè tantùm distinguuntur; nec compositio Metaphysica est secundum partes intrinsecas, sed secundum extrinsecas, sive extrinsecè tantùm per conceptum distinctas; undè conceptus ea, quæ sunt objectivè eadem, sub hac vel illa ratione, quâ præcisè inter se distinguuntur, considerare potest.

DCLXXXVII. Instabis: juxta hanc distinctionem, Differentiæ non magis erunt infimæ quàm Differentiæ subalternæ, contra omnes Philosophos, ergò, &c.

DCLXXXVIII. Respondeo, distinguendo assumptum: non magis erunt infimæ, secundum inclusionem, concedo assumptum: secundum quod Genus supremum, vel infimum contrahent, nego assumptum: illud autem non est necessarium, ut dicantur infimæ, & hoc sufficit.

DCLXXXIX. Objicies 2°. Aristoteles 7°. Metaph. Text. 48° de Differentiis multa docet: 1°. nihil referre sivè ultima tantùm, sivè superiores Differentiæ ponantur in definitione; ergò censet ultimam includere formaliter superiores. 2° definitionem debere constare Genere proximo & Differentiâ ultimâ, quia hæc includit omnes superiores. 3° oportere Differentiam dividi in Differentiam: *Fissipedalitas enim quædam pedalitas est, pedes habens includitur in bipede*, &c.

Respondeo ad 1^um, hanc esse Aristotelis mentem: nihil refert sivè ultima tantùm objectivè sumpta, sivè superiores Differentiæ ponantur in definitione, quia ex parte objecti non distinguuntur. Hinc constat, Aristotelem non admisisse præcisiones objectivas; nam, illis admissis, multùm refert, an ultima Differentia tantùm, an superiores Differentiæ ponantur in definitione, ut statim patebit; quia rationale (ut loquuntur) ut Differentia hominis, est tantùm talitas sensitivi; sensitivum, ut Differentia animalis, est tantùm talitas viventis. Vndè potest quidem Differentia ultima cum Genere proximo v. g. rationale cum animali poni in definitione hominis, nullo tamen modo rationale cum Differentiis superioribus: nam rationale cum illis, excluso alio Genere, non sufficit ad definitionem hominis, quia homo in conceptu suo formali non tantùm includit talitatem sensitivi, talitatem viventis, &c. sed sensitivum (puta in abstracto, ut suprà monui) simpliciter, & vivens simpliciter: neque rationale cum Differentiis superioribus & Genere proximo (quod in definitione hominis debet adjungi propter rationem datam) potest facere bonam hominis definitionem, quia cùm illud Genus proximum sive animal includat omnes istas talitates, idem bis repeteretur in eadem definitione.

DCLXXXX. Ad 2^um. Resp. hanc esse mentem Aristotelis: definitio debet constare Genere proximo & Differentiâ ultimâ ex parte conceptus illam repræsentantis ut Differentiam ultimam; quia præsuppositivè ex parte Generis proximi includit omnes superiores.

DCLXXXXI. Ad 3^um, quod difficulter solvent Adversarii; quia errant dicentes Aristotelem loqui de Differentia completè sumpta, cùm nec tales Differentiæ dentur, nec ullo sensu ut sic sint Differentiæ; sed Genus ut patet, quod in sententia admittentium præcisiones objectivas non potest esse Differentia constitutiva. Quarè aliter

DCLXXXXII. Respondeo, Differentias, quæ ex parte actus, reverà sunt Differentiæ formaliter, ab Aristotele sumi materialiter, pro eo quod respondet ex parte objecti; ita scilicet ut nolit, Differentiam superiorem dividi ratione sui; sed ipsum objectum tantùm, cui identificatur, prout respondet conceptui confuso Generis, quomodò est divisibile, non in Differentias (nam hæ non includunt Genus) sed in Species per Differentias; sic v. g. sensitivum sumptum pro Petro & Paulo (quos importat ex parte objecti) conceptis conceptu Generico, sive ut sunt animal; dividitur per rationale & irrationale in hominem & brutum, qui sunt Differentiæ objectivè sumptæ: nam ex parte objecti (ut sæpè dictum est) Genus, Differentia & cæteri gradus Metaphysici non distinguuntur. Vndè ad illas propositiones, *Fissipeditas est quædam peditas, pedes habens includitur in bipede*, &c. Respondeo intelligendas esse ex parte objecti, ut sit hic sensus, vacca v. g. concepta conceptu generico, est quoddam animal; animal includitur in gallina v. g. &c. Nec intelligi possunt ex parte actus, quia ex parte actus fissipeditas, quatenus est Differentia fissos pedes habentis à non fissos pedes habente, non est peditas. Item bipes ut præcisè per bipeditalitatem differt à quadrupede, non concludit pedes habentes, alioqui non esset purum principium disconvenientiæ, contrà dicta suprà. Ex his autem, quæ omninò videntur ex mente. D. Thomæ 7°. Metaph. Textu 43°. lect. 12ª. ubi sic loquitur: *Hoc modo hæc Differentia est dividenda* habens pedes: *Scilicet, hujusmodi animalium, aliud est habens pedes scissos, aliud non scissos*, &c.

DCLXXXXIII. Colliges 1°, Differentias formaliter sumptas esse 1o divisas; quia ne quidem in ratione entis univocè conveniunt, ut probabitur in Metaph. Vndè consequenter, dici debent ultimus conceptus rei, & irresolubilis; alioqui non tam essent Differentia, quàm convenientia. 2° eas nullam pati compositionem ex Genere & Differentia; licèt aliundè sint tota essentia Individui, si materialiter sumantur.

DVBIVM VI.

An detur Differentia communis atoma, ac per consequens, Species atoma, sive infima.

DCLXXXXIV. SEnsus dubii est, an omnis Differentia communis & Species sit per ulteriorem Differentiam communem ad ulteriorem Speciem contrahibilis. Pro quo sit

Resolutio I.

DCLXXXXV. DIco 1°. datur Differentia communis atoma, nec omnis Differentia communis est per ulteriorem contrahibilis.

DCLXXXXVI. Probatur; quia rationale v. g. abstractū à Petro & Paulo; sensitivū ab hoc & hoc animali

immediatè individuato à parte rei est talis Differentia, ergò, &c. Probatur antecedens, quia rationali, ratione hæcceitatis, cui in Petro; sensitivo, ratione hæcceitatis, cui in hoc animali objectivè identificatum est, repugnat per ulteriorem Differentiam communem ad ulteriorem Speciem contrahi, ergò, &c. Probatur assumptum, quia sicut ratio communis, ut constat ex dictis, non potest abstrahi, nisi ab iis, quibus identificata est; ità non potest contrahi (puta per affirmationem, quomodò fit omnis contractio) nisi ad illa, quibus identificata est, ergò, &c.

DCLXXXXVII. Confirmatur, opposita sententia evertit conceptum Speciei infimæ sive atomæ, ac per consequens, Differentiæ atomæ, contrà communem Philosophorum Sententiam, sinè ullo prorsus fundamento, ut solutione Argumentorum patebit, ergò, &c.

DCLXXXXVIII. Objicies 1°. ideò Porphyrius in definitione Differentiæ Logicæ non addidit *vel numero Differentibus*, quia putavit non dari Differentias atomas, ergò, ex mente ipsius, non dantur.

DCLXXXXIX. Respondeo, negando antecedens, quia de mente Porphyrii valdè incertum est, hocque solùm certum, quòd, an dentur vel non dentur, hîc intactum reliquerit: verumtamen, cum Liana, dici potest, id accidisse, quia datâ definitione Differentiæ Genericæ, satis facilè erat, specificam seu atomam definire per hoc additum, *vel solo numero Differentibus.*

DCC. Instabis: Cap. de Differentia, expressè dicit Differentiam hominis esse *rationale mortale*; per *rationale*, hominem cum Angelo convenire, & per *mortale*, ab eodem disconvenire; per *rationale*, disconvenire cum bruto, per *mortale*, cum eodem convenire, ergò, &c.

DCCI. Respondeo, ly *mortale* non spectare ad Differentiam essentialem hominis, sed ad accidentalem, & descriptivam; quia ad essentiam hominis, per Accidens est, quòd sit mortalis vel non. Deindè *rationale* Angeli, longè excellentius est, quàm *rationale* hominis: undè homo per *rationale*, tantùm cum Angelo quoad vocem & æquivocè convenit, non quoad rem significatam per vocem & univocè. Quidquid tamen sit de mente Porphyrii, videtur Differentias atomas agnovisse, cum Cap. ultimo hujus Tract. dixit: *Differentiæ quidem sæpè, in multis speciebus versantur.* Vbi per ly *sæpè* significat, Differentias non semper in multis speciebus versari, sed quandoque in una sola; ac proindè aliquas esse atomas; imò cap. 3° Speciem atomam definiendo, *Quæ, cùm Species sit, in alias Species dividi nequit, Genus esse nequit*, &c. consequenter admittere debet Differentias atomas. Quare

DCCII. Confirmatur conclusio Authoritate Porphyrii statim citati.

DCCIII. Objicies 2°, si sensitivo & animali possit addi rationale, hinnibile, &c. quibus ulteriùs ad alias & alias Species contrahuntur. Item, si numero binario v. g. possit addi ulterior & ulterior Differentia essentialis v.g. trinitas, quaternitas, &c. quidni similiter rationali & homini poterunt aliæ & aliæ Differentiæ addi, saltem per Divinam potentiam? in eo enim nulla apparet repugnantia, & videtur paritas: nec est ratio, cur potiùs dicatur homo absolutè Species atoma, quàm animal, ergò, &c.

DCCIV. Respondeo, soli sensitivo & animali existenti in homine vel bruto posse addi rationale, vel hinnibile, non verò existenti in hoc animali immediatè individuato à parte rei; cur autem illi potiùs, quàm huic addi possit rationale vel hinnibile, ratio est, quia in homine & bruto nullum est principium repugnantiæ; quo minùs homo, vel brutum sit sensitivum, animal, &c. imò sensitivum & animal sunt unum & idem objectivè indivisibiliter, cum eorum hæcceitatibus; in hoc verò animali immediatè individuato à parte rei, est tale principium repugnantiæ, scilicet ipsius hæcceitas, vi cujus summè distinguitur ab omni eo, quod non est illi identificatum. Vndè omne animal, præter illud, quod est identificatum huic animali immediatè individuato; omne rationale, præter illud, quod est in homine immediatè identificatum hæcceitati, potest ejusdem rationis existens contrahi per ulteriorem Differentiam, non secus ac sensitivum: nec apparet, cur talè rationale non sit possibile; licèt illud, de quo antè, sit omninò impossibile contrahi per ulteriorem Differentiam communem, quod sufficit, ut salvetur Differentia atoma.

DCCV. Objicies 3° quòd rationale, quod est in Petro & Paulo de facto existentibus, eorum hæcceitatibus identificetur, non magis impedit, ne contrahatur ad ulteriores Species, per Differentias ulteriores, quàm quòd sensitivum in Petro & Paulo de facto existentibus, eisdem hæcceitatibus identificatum contrahatur ad brutum, per irrationalitatem, vel ad alias Species, per alias Differentias, ergò, &c.

DCCVI. Resp. negando antecedens pro utraque parte; quia illa identificatio cum hæcceitatibus Petri & Pauli, tam impedit nè sensitivū contrahatur ad alias Species, & ad alia Individua à Petro & Paulo distincta, quàm nè rationale ad alia contrahatur. Peto enim, an gradus substantiæ v.g. in Petro existens, & hæcceitati Petri identificatus, possit contrahi ad aliquas Differentias inferiores, quàm sunt illæ, quibus in Petro identificatur, vel non? Si dicas quòd non; apertè sequitur rationale, quod est in Petro, non posse contrahi per aliam Differentiam minùs communem ab hæcceitate distinctam; quia soli hæcceitati Petri infrà se in Petro identificatur, ac proindè est Differentia atoma; & consequenter, si rationale à Petro & Paulo abstrahatur, est Differentia communis atoma. Si dicas quòd sic, consequenter dicere debes, quòd gradus substantiæ in Petro existens, & hæcceitati Petri identificatus, possit contrahi per aliquas alias Differentias inferiores, quàm sint illæ, quibus in Petro identificatur; hoc dato, sic argumentor: contrahatur ille gradus substantiæ ab ubiquitate, sive immensitate participata (supposito quòd illa sit possibilis) erit verum, dicere, (saltem materialiter) gradus substantiæ hæcceitati Petri identificatus, est ubique, est immensus, &c. sicut verum est, dicere, gradus substantiæ hæcceitati Petri identificatus (saltem materialiter) est rationalis, sensitivus, &c. ergò Petrus est ubique, immensus, &c. sicut verum est dicere, Petrus est rationalis, Petrus est sensitivus, &c. Probatur consequentia, quia quæcumque sunt eadem uni 3°, sunt eadem inter se, Petrus & ubiquitas sive immensitas essent eadem cum gradu substantiæ Petro identificato, ergò & eadem inter se; ac proindè, Petrus esset ubique, immensus, &c. quod est experientiæ & rationi absonum.

DCCVII. Deindè ulteriùs rogo, quomodò fiat contractio naturæ Vniversalis? vel enim fit per attractio-

tractionem realem Physicam superioris ad inferius, vel per mentalem, sive per prædicationem superioris de inferiori. 1um dici non potest, quia contractio sequitur abstractionem, quæ sic non est realis Physica, sed mentalis, ergò 2um dici debet: quo dato, sic argumentor: 1o. Ex concessis, contractio fit per prædicationem mentalem superioris de inferiori, sed ex antè dictis, Tract. 2o de Vniversalibus Porphyrianis Disp. 1a. Dub. 8o. Quod abstrahitur ab hac albedine tantùm, nec disjunctivè, nec copulativè est prædicabile de *multis Individuis Physicis*: Item *natura abstracta per intellectum, ab unico Individuo, non est nisi de uno, illo v. g. à quo abstracta est, prædicabilis.* Ergò gradus substantiæ hæcceitati Petri identificatus, non est nisi ad Petrum contrahibilis. Probatur consequentia, quia gradus substantiæ hæcceitate Petri identificatus, non potest abstrahi nisi à Petro; nam quidquid ab alio à Petro realiter distincto, abstrahetur, non erit Petro identificatum, ergò, &c. Vndè ulterius infero: ergò rationale unum sub conceptu Petro & Paulo tantùm à parte rei identificatum, non est prædicabile de alio, quàm de Petro & Paulo, ac proindè nec per alias differentias, quàm per Petreitatem ac Pauleitatem contrahibile; ergò est de facto Differentia communis atoma, respectu Petri & Pauli. Ex his

DCCVIII. Colliges, Resolutionem nostram non probare, nullam prorsus rationem communem, sive genericam, sive specificam posse abstrahi ab Individuis (quòd falsò nonnullus indè infert) sed solam rationem communem per intellectum de facto soli Petro & Paulo v. g. identificatam realiter, non posse contrahi nisi ad gradus inferiores, quibus Petro & Paulo de facto identificatur.

DCCIX. Instabis, non minùs gradus communes individuorum merè possibilium identificantur hæcceitatibus eorumdem, quàm individuorum existentium gradus communes identificentur cum ipsorum hæcceitatibus; ergò sicut conceditis (inquies) respectu individuorum merè possibilium, rationale posse ulteriùs abstrahi & contrahi per alias rationes communes; ità id etiam in actualibus fieri oportet.

DCCX. Respondeo, negando consequentiam: concedimus enim, respectu individuorum merè possibilium, rationale posse ulterius abstrahi & contrahi; quia possibile est (ut contendo) Individuum, cujus rationalitas identificetur Differentiæ se inferiori & hæcceitati. Vndè mirum non est, si rationale ab illo Individuo possibili possit ulteriùs abstrahi & contrahi per alias rationes communes: negamus verò respectu Petri & Pauli de facto existentium, rationale realiter illis identificatum, posse ulteriùs abstrahi & contrahi, quia non est identificatum; imò nec ullo modo identificabile ulteriori Differentiæ communi, sed soli infrà se hæcceitati Petri & Pauli. Hinc

DCCXI. Colliges, naturam humanam possibilem ejusdem cum nostra rationis, posse contrahi ad ulteriores & ulteriores Species in infinitum: quia non est ratio, cur potiùs in uno, quàm in alio numero sistatur. Per hoc tamen non tollimus Species, aut Differentias atomas in homine de facto existente, aut animali respectu individuorum immediatè individuatorum, ut patet ex præmissis: nam homo, ut de facto in Petro & Paulo existens, vel etiam ut à Petro & Paulo abstractus, neque potest aliis identificari, neque per ulteriores Differentias essentiales ad alias Species contrahi, licèt possit ut possibilis, & sub eo ut tali, Petrus & Paulus de facto existentes, sint Genus immediatè individuatum à parte rei; id enim Resolutioni nostræ non obstat.

Resolutio II.

DCCXII. Dico 2o. datur Species atoma, nec omnis Species est per ulteriorem Differentiam communem essentialem contrahibilis. Conclusio hæc clara est ex præcedenti, in homine abstracto à Petro & Paulo de facto existentibus, & animali abstracto ab hoc & hoc animali immediatè individuato à parte rei.

DISPVTATIO SEPTIMA

De Proprio.

DVBIVM I.

Quid Proprium in Genere & quotupliciter accipiatur.

Resolutio I.

DCCXIII. Dico 1o: Proprium in Genere, hîc non est Proprium prout improprio opponitur, quomodò propriè dicitur, *homo ridet*, & impropriè, *prata rident*; sed prout communi opponitur.

Resolutio II.

DCCXIV. Dico 2o. Proprium prout opponitur communi, quadrupliciter accipitur.

DCCXV. Proprium 1o modo acceptum, est, *Quod soli cuipiam Speciei accidit, etsi non omni*; id est, quod uni tantùm Speciei convenit, etsi non omnibus istius Speciei Individuis, ut esse Monachum, Philosophum, &c.

DCCXVI. Proprium 2o modo, est, *Quod omni Speciei accidit, etsi non soli*, id est, quod omnibus ùnius Speciei Individuis convenit, etsi non soli illi Speciei, ut esse progressivum, aptum habere duos pedes tantùm, &c.

DCCXVII. Nota hoc Proprium 2o modo, in rigore potiùs esse commune multis quàm Proprium; nisi sumatur comparativè ad ea, quibus præcisè est commune, abstrahendo ab una alia Specie, cui etiam convenit: sic esse aptum habere duos pedes tantùm, dicitur esse Proprium 2o modo hominis, comparatione factâ ad bovem, asinum, &c. quibus id non convenit, & abstrahendo à gallina, cui id convenit.

DCCXVIII. Proprium 3o modo, est, *Quod soli &*

toti, & interdum accidit, id est certo à natura determinato tempore, supple *tantùm*, ut excludas Proprium 4° modo, quod *semper accidit*; si enim semper, etiam interdum accidit, exemplum est, canescere propriè dictum, sive quod oritur ex defectu caloris naturalis, impotentis resolvere humiditatem cerebri; non autem impropriè dictum, sive proveniens vel ex morbis, vel ex gravi metu, vel ex acri studio, ut sæpè in Iuvenibus contigit.

Adde, quædam etiam bruta dici canescere, meliùs tamen dicerentur albescere, vel grisescere, de quo Naturalistæ. Vnde, exempli causâ, Porphyrius hîc supponit, solum hominem canescere.

DCCXIX. Proprium, 4° modo, est, *Quod toti Speciei soli & semper accidit*, ut risibile respectu hominis; non autem ridere: nam quosdam interdum flevisse legimus, risisse numquam; talis fuit Christus Dominus, ut multi Patres testantur. Pro complemento

DCCXX. Petes, quid significet accidere, in allatis definitionibus.

DCCXXI. Respondeo, idem esse, quod accidentaliter, sive non essentialiter convenire, per quod tria prima prædicabilia excluduntur, & significatur Vniversale accidentale esse Genus immediatum Proprii, & non 4^um^ prædicabile. Pro quo sit

DVBIVM II.

Quæ definitio essentialis Proprii 4i prædicabilis; & quorum respectu sit 4^um^. prædicabile.

Resolutio I.

DCCXXII. Dico 1°. Proprium *est unum*, &c. *Aptum prædicari de multis purè in quale necessario, & conversim.*

DCCXXIII. Dixi 1°. *purè in quale*: id est, purè accidentaliter, ut excludas tria prima prædicabilia, quæ prædicantur in *quale-quid*, sive accidentaliter essentialiter, utpotè de essentia Vniversali eorum, de quibus apta sunt prædicari, non item Proprium; sed quidpiam ab ea Metaphysicè sive ratione nostrâ dimanans; quidquid verò non est de essentia, apud Logicos, dicitur Accidens ejus, cui competit.

DCCXXIV. Dixi 2° *necessario*, ut excludas 5^um^ prædicabile, quod non est necessariò cum essentia connexum, id est ità, ut, si ipsum destruatur, consecutivè pereat essentia; sed quod abest, & adest sinè subjecti corruptione; in quo 5^um^ quarto prædicabili opponitur.

DCCXXV. Dixi 3° *conversim*, de quo Dub. 3°.

Resolutio II.

DCCXXVI. Dico 2°. Proprium non est 4^um^ prædicabile respectu Speciei vel Generis simpliciter sumpti; sed respectu Speciei vel Generis personaliter sumpti. Verùm antè probationem

DCCXXVII. Suppono, non solùm Proprium 4^a^ modo, sed etiam 2° modo, ad hoc prædicabile pertinere; ut v.g. esse visivum, progressivum, &c. quia ad rationem 4^i^. prædicabilis tantùm requiritur, *esse unum*, &c. *aptum prædicari de multis purè in quale necessariò & conversim*; quod totum Proprio 2° modo convenit. Hoc itaque supposito

DCCXXVIII. Probatur Resolutio, uti Disput. 6. Dub. 2°. probatum est.

DCCXXIX. Objicies tamen: Proprium est 4^um^ prædicabile respectu ejus, respectu cujus est Proprium, non commune; sed respectu Speciei vel Generis simpliciter sumpti, est Proprium, & non commune; non verò respectu Speciei vel Generis personaliter sumpti, ergò, &c. Major patet pro 1^a^ parte: probatur pro 2^a^, quia respectu Speciei vel Generis personaliter sumpti, est Vniversale, ac proindè commune, & non Proprium.

DCCXXX. Respondeo distinguendo majorem pro 1^a^ parte: Proprium est 4^um^ prædicabile respectu ejus, respectu cujus est Proprium Metaphysicum, nego majorem: respectu ejus, respectu cujus est Proprium prædicabile, concedo majorem: aliundè verò habetur Proprium Metaphysicum; aliundè Proprium prædicabile; nam illud ab essentia Speciei vel Generis; hoc verò à conceptu confundente Individua Speciei vel Generis, in ratione aliqua, illis secundum Speciem vel Genus suum spectatis Metaphysicè propriâ. Hinc

DCCXXXI. Colliges, hanc prædicationem, *homo simpliciter sumptus, est risibilis*, esse de uno tantùm, nec proindè Vniversalem, sed æqualis de æquali.

DVBIVM III.

An Proprium, ut est 4^um^ prædicabile, debeat esse aptum prædicari conversim de iis respectu quorum est Vniversale.

Resolutio I.

DCCXXXII. Dico Proprium, ut est 4^um^ prædicabile, debet esse aptum prædicari *conversim* de iis respectu quorum est 4^um^ prædicabile. Probatur, Proprium ut est 4^um^ prædicabile, debet esse aptum prædicari *necessariò* de iis, respectu quorum est 4^um^ prædicabile, ergò & *conversim*. Prob. consequentia, quia eâdem ratione, quâ aptum est prædicari de illis *necessariò*, est aptum prædicari & *conversim*, ergò, &c. Probatur assumptum: quia de illis tantùm consideratis secundum rationem à qua fluxu rationis emanat, est aptum prædicari *necessariò*; nam respectu aliarum rationum est verum Accidens Logicum; sed de illis consideratis secundum talem rationem, est aptum prædicari *conversim*, ergò, &c.

DCCXXXIII. Objicies tamen: Proprium est aptum prædicari de multis ut multis *necessariò*; sed non est aptum prædicari de multis ut multis *conversim*; ergò non eâdem ratione, quâ est aptum prædicari de multis *necessariò*, est aptum prædicari de multis *conversim*. Ac per consequens, ut est 4^um^ prædicabile, non debet esse aptum prædicari *conversim* de iis, respectu quorum est 4^um^ prædicabile; quia illa sunt multa ut multa, ergò, &c.

DCCXXXIV. Respondeo distinguendo majorem: Proprium est aptum prædicari necessariò de multis ut multis specificativè, concedo majorem, id est, Proprium debet esse aptum prædicari *necessariò* de illis, quæ sunt multa realiter, verum est: reduplicativè, nego majorem: nam Propriũ non debet esse aptum prædicari *necessario* de illis, quę sunt multa realiter ut sunt reduplicativè multa realiter; alioqui

qui similiter Genus, Species, & Differentia deberent apta esse prædicari *in quid* de multis realiter, ut sunt reduplicativè multa realiter, quod impossibile est; nàm cùm multa realiter ut multa reduplicativè, non dicant in suo conceptu formali Genus, Speciem & Differentiam, utpotè formalissimè hoc & hoc, hæc de illis non possunt prædicari *in quid*, &c. eâdem verò ratione, quâ Proprium est aptum prædicari de multis ut multis specificativè *necessariò*, est etiam aptum prædicari de multis ut multis specificativè *conversim*, puta secundum rationem à qua fluxu rationis emanat, quià sicut in hac emanatione fluxu rationis fundatur prædicabilitas *necessariò*, & non in alio, ità & prædicabilitas *conversim*.

DCCXXXV. Respondeo 2° distinguendo majorem: Proprium secundum rationem genericam sive secundum rationem, quâ Vniversale est aptum prædicari de multis ut multis *necessariò*, concedo majorem: secundum rationem specificam sive Differentiam, quâ Vniversale tale est Vniversale, nego majorem: & ratio est, quia Differentia divisiva non includit Genus.

DCCXXXVI. Instabis Proprium non est Vniversale ut prædicabile *necessariò* de multis consideratis secundum rationem à qua fluxu rationis emanat, ergò nec ut est 4^um^ prædicabile debet esse aptum prædicari *conversim* de iis, respectu quorum est Vniversale, consequentia patet; probatur antecedens, quià Vniversale est unum, &c. aptum prædicari de multis; sed illa multa, de quibus Proprium est prædicabile *necessariò*, considerata secundum rationem à qua fluxu rationis emanat, non sunt multa, ergò, &c. Probatur hæc minor: quià illa ratio est Genus, si Proprium genericũ; Species, si specificũ, ergò, &c.

DCCXXXVII. Respondeo 1°, retorquendo argumentum in Genus, Speciem, & Differentiam: Genus non est Vniversale ut prædicabile ut pars materialis de multis consideratis secundum essentiam Vniversalem: Species non est Vniversalis ut prædicabilis ut tota essentia de multis consideratis secundum essentiam Vniversalem: Differentia non est Vniversalis ut prædicabilis ut pars formalis de multis consideratis secundum essentiam Vniversalem; ergò nec Genus, ut est 1^um^ prædicabile, debet esse aptum prædicari ut pars materialis de iis, respectu quorum est Vniversale, & sic proportionaliter de Specie & Differentia Philosophandũ. Negabis procul dubio hanc consequentiã, quæ tamen patet, posito antecedenti vero, quod proinde probatur: quià Vniversale est unum aptum prædicari de multis, qualia non sunt illa multa, considerata secundũ essentiam Vniversalẽ, nam hæc est una illorũ essentia.

DCCXXXVIII. Respondeo 2° admisso antecedenti; negando consequentiam; sicut enim aliud est, Proprium non esse Vniversale ut prædicabile *necessariò*, quàm sit Proprium ut 4^um^ prædicabile non esse prædicabile *necessariò*; nam 4^um^ prædicabile in suo conceptu formali præter prædicabile *necessariò*, dicit Vniversale: ità aliud est Proprium non esse Vniversale ut prædicabile *necessariò*, id est, *conversim*, quàm sit Proprium ut 4^um^ prædicabile, non esse prædicabile *conversim*. Vndè Species Vniversalis, puta Genus, Species, Differentia, &c. sunt Vniversales, sive aptæ prædicari de multis secundum rationem suam genericam, non verò secundum Differentiam suam specificam importatam per ly *ut pars materialis, ut tota essentia, ut pars formalis, necessariò sive conversim*, &c. alioqui eidem idem bis sub duplici ratione conveniret: quarè, sicut Genus, Species, Differentia, &c. habent rationem *Vniversalis* per respectum ad multa ut multa, & rationem *talis Vniversalis* per respectum ad multa considerata secundum unam essentiam Vniversalem; ità Proprium habet rationem *Vniversalis* per respectum ad multa ut multa; rationem verò *talis Vniversalis* sive *prædicabilis necessariò* seu *conversim*, per respectum ad multa considerata secundum unam rationem Vniversalem, à qua emanat. Ex his

DCCXXXIX. Colliges, Proprium 2° modo, ut esse visivum, esse aptum habere duos pedes, &c. respectu prædicati communis hominibus, & avibus, nobis innominati, non minùs prædicari *conversim* de iis, respectu quorum est Proprium 2° modo, quàm *necessariò*, puta secundum rationem, à qua emanat, in illis contentam; ac proindè Proprium 2° modo esse prædicabile *conversim* respectu eorum omnium, respectu quorum est prædicabile *necessariò*.

DVBIVM IV.

An Proprium sit 4^um^ prædicabile sumptum in concreto, an in abstracto pro sua forma.

DCCXL. Antè Resolutionem Suppono, Dubium procedere de definito quod, & accidentali in definitione Proprii, ut v.g. de risibili, progressivo, &c. an ut risibile, progressivum, &c. an ut risibilitas, progressivitas, &c. sit 4^um^ prædicabile. Hoc præmisso, sit

Resolutio I.

DCCXLI. Dico 1°. Proprium ut sic sumptum non potest esse 1^um^ prædicabile in concreto.

DCCXLII. Probatur, quià in concreto non est aptum affirmari de multis *in quale*; sed 4^um^ prædicabile debet esse tale, ergò, &c. Probatur major, quia in concreto omnia affirmantur ut idem, ut æquale de æquali, &c. nihil verò sibi ipsi Accidens, in identitate æqualia non sunt sibi ipsis Accidens, &c. ergò, &c.

DCCXLIII. Confirmatur, risibile v.g. in concreto importat ea omnia confusè, de quibus aptum est affirmari; sed illa non sunt apta affirmari de se ipsis ut Accidens, ergò nec risibile in concreto, ac per consequens in concreto non potest esse, &c.

DCCXLIV. Pro Solutione objectionis, quâ communiter objicitur; Proprium non esse quidem aptum affirmari de multis, secundum quod dicit in recto, benè autem secundum quod dicit in obliquo, vide Responsionem ad similem objectionem, Disp. 3ª. Dub. 2°.

Resolutio II.

DCCXLV. Dico 2°. Proprium ut sic sumptum, est 4^um^ prædicabile in abstracto.

DCCXLVI. Probatur. Risibile v.g. aliquo sensu est 4^um^ prædicabile, non in concreto, ut Resolutione 1ª vidimus, & alioqui ut suprà dictum est, omnia prædicabilia essent eodem modo prædicabilia, scilicet ut æquale de æquali, ergò in abstracto.

DCCXLVII. Confirmatur. Risibilitas v. g. in abstracto *est unum*, &c. *aptum affirmari* de Petro, Paulo, &c. *purè in quale necessariò*, ergò est 4^um^ prædicabile. Consequentia tenet à definitione: major patebit Solutione argumentorum, pro qua vide Disp. 3. Dub. 2^um^.

DVBIVM V.

An Proprium dimanare debeat ab essentia, & separari possit à Subjecto.

DCCXLVIII. ANtè Resolutionem Suppono Propriũ esse duplex, Physicum unum, aliud Metaphysicum: Physicum est, quod sequitur essentiam Physicam sive connexionem materiæ & formæ, ut calor respectu ignis, frigus respectu aquæ: Metaphysicum est, quod consequitur essentiam Metaphysicam, sive connexionem Generis & Differentiæ, ut risibilitas respectu hominis, hinnibilitas respectu equi; hinc non malè Proprium Physicum diceretur fœtus conjugii inter materiam & formam; Metaphysicum inter Genus & Differentiam. Hoc supposito, sit

Resolutio I.

DCCXLIX. DIco 1º. omne Proprium debet dimanare ab essentia.

DCCL. Probatur, quià dimanare ab essentia est produci ab essentia, & necessariò essentiæ connecti: sed hoc est omni Proprio proprium, ergò, &c. Quod, ut faciliùs intelligas,

DCCLI. Adverte emanationem unam esse realem, & est Proprii Physici; alteram rationis tantùm, & est Proprii Metaphysici: emanatio autem realis, est realis productio, & connexio necessaria Accidentis cum essentia, ut v. g. caloris cum igne: emanatio rationis; est per rationem productio, & connexio necessaria Accidentis cum essentia; per hoc v. g. dicitur Proprium Metaphysicum ab essentia ratione vel conceptu emanare, quòd ex conceptu essentiæ Metaphysicæ natus sit resultare conceptus alicujus Accidentis; sic, qui concipit rationalitatem, necessariò consecutivè concipit admirativitatem, & risibilitatem, quæ sese respiciunt instar causæ & effectus Metaphysici; nam sicut prius est ratiocinari & intelligere, quàm admirari & ridere, ità prius est rationalitatem esse, quàm admirativitatem & risibilitatem.

Resolutio II.

DCCLII. DIco 2º Proprium Physicum potest per Divinam potentiam separari realiter à suo subjecto.

DCCLIII. Probatur, quia ab eo realiter emanat, & realiter distinguitur ab illo, ergò, &c.

Resolutio III.

DCCLIV. DIco 3º Proprium Metaphysicum non potest ullo modo separari realiter à suo subjecto.

DCCLV. Probatur, quià ab eo, nec realiter emanat, nec realiter distinguitur; sed est ipsamet rei entitas concepta in ordine ad operationem post-essentialem & secundariam: idem verò nequit à seipso realiter separari, ergò, &c.

DCCLVI. Dixi, *concepta in ordine ad operationem post-essentialem & secundariam*; quià sicut Proprium Physicum præsupponit Differentiam specificam & essentialem; ità præsupponit operationem essentialem & primariam, quæ à Differentia specifica emanat, & est illa, quę quoad nos compositum ab aliis distinguit, & quà nobilissimè, quàm potest, operatur, ut ratiocinatio respectu hominis: porrò nobilitas actionis ex eo sumitur, 1º, quòd aliæ ab ipsa dependeant, sic risus à ratione pendet, estque ideò illâ ignobilior. 2º ex eo, quòd sit altioris Ordinis, sic intellectio est nobilior visione, quia hæc est Ordinis entis materialis, ista Ordinis entis immaterialis.

Resolutio IV.

DCCLVII. DIco 4º Proprium Metaphysicum non potest, etiam per negationem, ratione separari à subjecto, sive essentia.

DCCLVIII. Probatur, quia, ut patebit ex dicendis; alioqui esset Accidens 5ⁱ prędicabilis; quia illud, si identificetur subjecto, ut. v. g. esse relativum, potest tantùm separari, sive adesse & abesse, à subjecto, salvâ subjecti essentiâ, per negationem de subjecto salvâ subjecti essentiâ: sed debet esse distinctio inter Accidens quinti, & quarti prædicabilis, ergò, &c.

DCCLIX. Confirmatur, ideò prædicationes 5ⁱ prædicabilis sunt contingentes, quià, saltem per negationem, prædicatum earum Accidentale potest ratione à subjecto separari; ergò 4ⁱ prædicabilis erunt necessariæ, quia, saltem per negationem prædicatum earum Accidentale non potest ratione à subjecto separari.

DCCLX. Objicies tamen, est de ratione Accidentis & omnis prædicati Accidentalis, posse negari de subjecto; sed Proprium Metaphysicum est tale, ergò, &c.

DCCLXI. Respond. distinguendo majorem: est de ratione Accidentis & omnis prædicati Accidentalis strictè sumpti & prædicabilis 5ⁱ, concedo majorem. Et ratio sumitur ex definitione Porphyrii, quà illud definit, quod *adest & abest sinè subjecti corruptione*: Latissimè sumpti, & ut 4ⁱ prædicabilis, nego majorem: ità enim sumptum idem est quod non essentiale, commune ad post-essentiale sivè essentiale secundariò & Accidens strictè, undè ly *in quale* sive accidentaliter in definitione Proprii 4ⁱ prædicabilis positum, idem est quod *non essentialiter*.

DVBIVM VI.

An Proprium Physicum, calor, frigus, &c. pertineat ad hoc prædicabile.

Resolutio.

DCCLXII. DIco Proprium Physicum non pertinet ad hoc prædicabile formaliter, sed terminativè tantùm.

DCCLXIII. Probatur 1ª pars, quià formaliter & secundum se, potest à subjecto realiter separari, & per mentem negari salvâ illius essentiâ, quod est Proprium Accidenti 5ⁱ prædicabilis, ergò, &c. Consequentia patet, quià ex dictis Dub. 4º. Resol. 4ª ad hoc prædicabile tantùm pertinent, quæ ne vel per negationem possunt à subjecto, salvâ illius essentiâ, ratione separari, ergò, &c.

DCCLXIV. Probatur 2ª pars, quià calor est terminus aptitudinis ignis ad habendum calorem; frigus terminus aptitudinis aquæ ad habendum frigus, & sic de aliis: sed illæ aptitudines sunt Propria Metaphysica, quæ ad hoc prædicabile

dicabile pertinent, ergò calor, frigus, & quodlibet Proprium Physicum terminativè pertinet ad hoc prædicabile. Consequentia claret. Minor probatur ex præmissis Dub. 2° & 4°. Notari tamen debet, hoc non esse propriè pertinere ad hoc prædicabile, sed esse terminum illius dumtaxat, quod ad hoc prædicabile propriè pertinet.

DCCLXV. Objicies tamen contrà 1am partem Resolutionis: Proprium Physicum necessariò competit & emanat à suo subjecto, ergò de illo prædicatur necessariò, ac per consequens pertinet ad hoc prædicabile.

DCCLXVI. Respondeo 1° distinguendo 1um consequens: ergò de illo prædicatur necessariò necessitate oppositâ contingentiæ 5i prædicabilis, quod hic requiritur, nego consequentiam: necessitate oppositâ separabilitati naturali, concedo consequentiam; sed hoc non sufficit, ut aliquid dicatur hujus prædicabilis; sed requiritur ut ità sit affixum suo subjecto, ut semper necessariò & immutabiliter illi conveniat, id est, ità ut nec per Deum ab eo realiter separari possit, nec per mentem de eo, salvâ illius essentiâ, negari; quod Proprio Physico non convenit. Sic patet ad 2um consequens.

DCCLXVII. Respondeo 2° distinguendo Antecedens, Proprium Physicum necessariò emanat à suo subjecto emanatione & fluxu reali, concedo Antecedens; verùm sicut hæc emanatio & fluxus realis facit illud à subjecto realiter separabile, ità impedit quò minus sit prædicabile necessariò, modo ad 4um prædicabile requisito: emanatione & fluxu rationis, nego antecedens; hæc autem emanatio & fluxus rationis requiritur, quià illa sola facit Proprium re & ratione negante à subjecto inseparabile.

DVBIVM VII.

An Prædicationes Proprii Metaphysici sint æternæ Veritatis.

DCCLXVIII. ANtè Resolutionem Suppono, illam prædicationem sive propositionem dici æternæ veritatis, in qua copula absolvitur à tempore; id est, quæ independenter à quocumque tempore determinato, præsenti scilicet, præterito & futuro, imò & independenter ab existentia reali prædicati & subjecti, est vera, ut *homo est animal*. Ratio autem est, quia similes propositiones dicunt infallibilem & ità necessariam connexionem prædicati cum subjecto, ut nullâ vi, etiam intellectus negantis, impediri possit, salvâ manente subjecti essentiâ. Hoc supposito sit

Resolutio I.

DCCLXIX. DIco 1° prædicationes Proprii Metaphysici sunt æternæ veritatis. Probatur, quià in eis copula absolvitur à tempore, modo explicato: idem dic de prædicationibus Proprii Physici sumpti pro aptitudine & convenientia, quam subjectum dicit ad illud naturaliter habendum; quià ut sic est Proprium Metaphysicum, ergò, &c.

Resolutio II.

DCCLXX. DIco 2o prædicationes Proprii Physici, sumpti pro termino antè-dictæ aptitudinis, non sunt æternæ veritatis.

DCCLXXI. Probatur, quia in illis copula non absolvitur à tempore modo explicato: non enim omni tempore verum est dicere, *ignis est calidus*, quod maximè patet, ex casu, quo Deus, ut potest, omnem calorem ab igne separaret.

Corrolarium.

DCCLXXII. COlliges ex dictis, hujus axiomatis, *Qui tollit proprietates, tollit essentiam*, hunc esse sensum, qui tollit proprietatem Physicam, naturaliter tollit essentiam Physicam: qui Metaphysicam, id est, qui negat proprietatem Metaphysicam de essentia Metaphysica, tollit, id est, negat essentiam Metaphysicam.

DISPVTATIO OCTAVA

De Accidente.

DVBIVM I.

Quotupliciter accipiatur Accidens in Genere, & quæ illius definitiones.

Resolutio I.

DCCLXXIII. DIco 1° Accidens dupliciter accipi potest: 1°. latè pro omni eo, quod est extra essentiam alicujus, sive sit substantia, sive Accidens, ut v.g. animal respectu rationalis, & è contrà inferius respectu superioris, aureum respectu calicis, &c. 2° strictè pro omni eo, quod subjecto contingenter advenit, accipiendo ly *contingenter* prout *necessariò*, ità suprà explicato, ut sit illud, quod nec re, nec ratione negante à subjecto separari potest salvâ subjecti essentiâ, opponitur.

Resolutio II.

DCCLXXIV. DIco 2° Accidens variè à Porphyrio definitur.

DCCLXXV. Prima Accidentis definitio: Accidens est, *quod potest adesse & abesse sinè subjecti corruptione*, id est, sinè destructione essentiæ Metaphysicæ subjecti, ut sic generaliter comprehendas mortem respectu hominis, combustionem respectu domus, albedinem respectu cygni; & hoc modo sufficienter differt à Proprio, quod abesse nō potest à subjecto (puta per negationem mentalem, ex dictis Disp. 7. num. 761. alioqui clarum est posse per præcisionem) sinè destructione essentiæ Metaphysicæ subjecti. Hinc patet contrà P. Hurtadum, non esse à Porphyrio traditam ineptam definitionem Accidentis; item contrà PP. Arriagam & Oviedum prædictâ definitione 4um & 5um prædicabile non comprehendi.

DCCLXXVI. *Secunda:* Accidens est, *quod eidem inesse potest, & non inesse*, puta modo statim dicto.

DCCLXXVII. *Tertia:* Accidens est, *Quod neque Genus est, neque Species, neque Differentia, neque Proprium, at in re subjecta semper inhæret*, puta inhærentiâ latè sumptâ, quâ aliquid est contingens, & non essentiale aut Proprium.

DCCLXXVIII. Præterea dividit Porphyrius Accidens in separabile & inseparabile; hoc est, quod difficulter, & plerumque non nisi supernaturaliter, à subjecto, sinè illius corruptione, separari potest, ut calor ab igne: illud verò quod facilè, ut calor ab aqua: sed hæc divisio non est Accidentis Logici suprà definiti, nam omne Accidens Logicum facilè potest per mentem à subjecto separari; benè Physici, quod subjecto realiter inhæret, & à subjecto realiter separari potest.

DVBIVM II.

Quid sit Accidens 5^um^ prædicabile, & quid materiale ejus significatum.

Antè Resolutionem

DCCLXXIX. Suppono 1°, in Accidente Logico suprà definito posse tria spectari. 1^um^ est entitas ipsius. 2^um^ ordo seu relatio contingentiæ ipsius ad subjectum. 3^um^ ejus Universalitas.

DCCLXXX. Suppono 2°, formale significatum Accidentis 3^i^ prædicabilis esse accidentaleitatem, sive 1^am^ intentionem formalem accidentis dantem *ut quo*, posse prædicari *ut quod*, modo statim dicendo, pro quo sit

Resolutio I.

DCCLXXXI. Dico 1°, Accidens, ut est 5^um^ prædicabile, *est unum*, &c. *aptum prædicari de multis purè in quale contingenter.* Per ly *contingenter* excludes Proprium, & cætera prædicabilia; includes verò, tam Accidens Physicum, quàm Logicum contingens.

DCCLXXXII. Objicies tamen, Vniversale est prædicabile de multis essentialiter, ergò malè definitur Accidens, *prædicabile unum*, &c. *Aptum prædicari de multis accidentaliter*, sive *purè in quale contingenter*: probatur, quià Accidens 5^um^ prædicabile est 5^um^ Vniversale; Vniversale verò est aptum prædicari de multis essentialiter.

DCCLXXXIII. Resp. 1° retorquendo argumentum in Proprium, in quo non pugnat, esse prædicabile essentialiter, & tamen purè in quale, sive accidentaliter, ergò nec pugnat in Accidente, esse prædicabile essentialiter & contingenter.

DCCLXXXIV. Respondeo 2° distinguendo antecedens: Vniversale est prædicabile de multis essentialiter, ut quodlibet tale Vniversale, nego antecedens; ut Genus, Species & Differentia, concedo antecedens: licèt enim animal ut animal sit sensitivum essentialiter, non est tamen sensitivum essentialiter ut tale animal v.g. ut rationale vel irrationale; quià talitas illa, nec includit, nec includitur in animali; sed illi accidit pro ratione compositi Metaphysici, ad quod contrahit animal: sic similiter, licèt Vniversale ut Vniversale, sit prædicabile de multis essentialiter, non est tamen prædicabile de multis essentialiter ut tale Vniversale, nisi talitas id ex ratione Propria (ut contingit in tribus 1^is^ prædicabilibus) habeat; nam illa talitas est omninò extrà conceptum formalem Vniversalis in Genere, & sumitur ex modo, quo se habet natura Vniversalis ad essentiam Vniversalem individuorum, de quibus apta est prædicari, ut ostensum est Disp. 3. Dub. 2°. pro tribus primis Vniversalibus; vel ad subjecta, quæ afficiunt, pro Proprio & Accidente.

Resolutio II.

DCCLXXXV. Dico 2° 1 materiale significatum 5^i^ prædicabilis est omne prædicatum dicens contingentem ordinem ad subjectum; sive sit Accidens Physicum, sumptum pro omni eo, quod est in subjecto inhæsionis, & oppositum substantiæ, ut albedo; sive sit Logicum contingens, de quo suprà.

DCCLXXXVI. Probatur: tum quià particulas has, *adest* vel *abest*, *inest* vel *non inest*, explanans Porphyrius, dicit eas accipiendas non esse de inhærentia vel absentia propriè dicta, quæ convenit Accidenti strictè sumpto & Physico; sed de connexione vel absentia contingenti in communi, & indifferenti ad realem & propriè dictam, rationis & impropriè dictam: tum quià prædicabilia diversificantur ex diversitate modi, quo se habet natura Vniversalis ad essentiam Vniversalem Individuorum, de quibus apta est prædicari, ut diximus, nullâ habitâ ratione entis secundum se.

DVBIVM III.

An Accidens sit 5^um^ prædicabile, sumptum in concreto, an in abstracto.

Antè Resolutionem

DCCLXXXVII. Suppono, dubium procedere de definito *quod* & accidentali sive materiali in definitione Accidentis, ut v.g. de calido, relativo, &c. an ut calidum, relativum, &c. an ut calor, relatio, &c. sit 5^um^ prædicabile. Hoc supposito, sit

Resolutio I.

DCCLXXXVIII. Dico 1°: Accidens ut sic sumptum, non potest esse prædicabile in concreto.

DCCLXXXIX. Probatur, quia in concreto non est aptum prædicari de multis purè in quale contingenter; sed 5^um^ prædicabile debet esse tale, ergò, &c. Probatur major, quia in concreto omnia prædicantur ut eadem, nihil ut Accidens aut contingens, ergò, &c. Assumptum patet ex præmissis, Disp. 3^a^ 4^a^ & 5^a^.

DCCXC. Confirmatur, album v. g. in concreto importat ea omnia confusè, de quibus aptum est affirmari; sed illa non sunt apta affirmari de seipsis accidentaliter contingenter, ergò, &c. Pro Solutione objectionum vide Disp. 3. Dub. 2.

Resolutio II.

DCCXCI. Dico 2°: Accidens ut sic sumptum, est 5^um^ prædicabile in abstracto. Est contrà Suarez, Conimbricenses, &c.

DCCXCII. Probatur, Album v. g. aliquo sensu est

est 5^um prædicabile; non in concreto ut Resol. 1ª. vidimus, & alioqui, ut sæpius dictum est, omnia prædicabilia essent eodem modo prædicabilia, scilicet ut æquale de æquali, ergo in abstracto.

DCCLXXXXIII. Confirmatur: Albedo v.g. est unum aptum, &c. affirmari de hoc & hoc pariete purè in quale contingenter, ergò est 5^um. prædicabile in abstracto. Consequentia tenet à definitione, major patebit Solutione objectionum.

DCCLXXXXIV. Objicies: album est Vniversale eo sensu, quo abstrahitur ab eis, de quibus aptum est prædicari *purè in quale contingenter*, sed abstrahitur in concreto, ergò, &c.

DCCLXXXXV. Respondeo negando minorem; nam cùm in concreto dicat ea, de quibus aptum est prædicari *purè in quale contingenter*, si in concreto sive secundum quod dicit in recto & in obliquo abstraheretur; in abstracto, sive secundum obliquum, non minùs diceret, quàm in concreto, sive quàm rectum & obliquum, quod intelligi non potest; abstrahitur ergò in abstracto, sive secundum id præcisè, quod dicit in obliquo, ab hâc & hac albedine, & hoc & hoc subjecto, quibus inhæret, sive abstrahitur albedo ab hac & hac albedine, ut in-existentibus huic & illi subjecto, de quibus subjectis apta est prædicari *purè in quale contingenter*; & non de hac & hac albedine; sed in quid ut tota essentia, ut patet.

DCCLXXXXVI. Instabis: hæ prædicationes, *hic paries est albus, iste paries est albus*, sunt contingentes & 5^i prædicabilis, ergò 5^um prædicabile est tale in concreto.

DCCLXXXXVII. Resp. distinguendo antecedens pro 1ª parte: hæ prædicationes, &c. sunt contingentes, si ly *albus* spectetur secundum quod dicit in recto, & prout in propositione, nego antecedens; quia, ut sic, sunt identicæ & æqualis de æquali: si spectetur, secundum quod ly *albus* dicit in obliquo, & ut extrà propositionem, concedo antecedens; sed, ut sic, est abstractum *albedo*, quæ facit prædicatum *albus* contingens, utpotè forma suo subjecto contingens. Hinc autem patet ad 2^am partem. Hic tamen alio etiã modo sic responderi potest: hæ prædicationes sunt contingentes, si prædicatum & subjectum sumantur, secundum quod subsant unificationi, nego antecedens, quia secundum recta dumtaxat verificantur: si secundum quod subsant suppositioni inadæquatæ pro obliquis, ex parte quorum, sunt formaliter contingentes, concedo antecedens; sed ex parte illorum numquam sunt veræ; nec subjectum aut prædicatum ex parte illorum umquam verè subjicitur aut prædicatur; & respectu illorum præcisè, sunt 5^i prædicabilis.

DVBIVM IV.

An, ut Accidens sit 5^um prædicabile, debeat actu esse in multis subjectis de facto existentibus.

DCCLXXXXVIII. ANtè Resolutionem Suppono, dubium procedere de accidente 1º intentionaliter & materialiter sumpto pro denominatis, albedine v.g. an debeat actu esse in hoc & hoc subjecto, de facto existentibus, ut sit 5^um prædicabile.

Resolutio.

DCCLXXXXIX. DIco, ut Accidens sit 5^um prædicabile; non debet actu esse in multis subjectis de facto existentibus.

DCCC. Probatur, quia ut sit 5^um prædicabile, sufficit, si sit *aptum prædicari de multis contingenter*; atqui Accidens est tale, etsi nullum subjectum, imò etiamsi nullum Accidens de facto existat, ergò, &c. Probatur minor, quia ad hoc sufficit, illud esse abstractum, modo Dub. 3º dicto, à multis subjectis possibilibus, ergò, &c.

DCCCI. Confirmatur. 5^um prædicabile, ut est Vniversale in repræsentando, non requirit existentiam sui subjecti, quod extrinsecè denominat, ut patebit ex dubio sequenti: nam possum optimè concipere albedinem, non conceptâ hâc & hâc albedine, ut existente in hoc & illo subjecto, ergò & ipsum Accidens est 5^um prædicabile, licèt actu non sit in multis subjectis de facto existentibus. Probatur consequentia, quia ad hoc sufficit albedinem concipi, modo dicto.

DCCCII. Objicies 1º, Accidens (ut dicetur dubio sequenti) non verè prædicatur de multis ut 5^um prædicabile, nisi de facto insit multis, ergò non est 5^um prædicabile, nisi actu sit in multis de facto existentibus.

DCCCIII. Respondeo 1º retorquendo argumentum, ut sæpè suprà. Petrus non videt, nisi adsit lux, aër non illuminatur à 2º sole, nisi adsit 2^us sol, ergò Petrus non est ex parte sua in tenebris completè visivus, aër ex parte sua completè illuminabilis à 2º sole, illo absente. Negabis procul dubio consequentiam: quia hæc non se tenent ex parte potentiæ, sed ex parte actus: & meritò, quia alioqui æternum (videlicet Petrus est visivus, aër est illuminabilis à 2º sole) dependeret à temporaneo, scilicet existentia lucis, & 2^i solis; & Proprium ab Accidente strictissimè; quæ sunt absurda. Quarè in forma

DCCCIV. Respondeo 2º negando consequentiam: nam licèt non prædicetur, nisi insit multis de facto existentibus; aptum est tamen prædicari de illis, quod ad 5^um prædicabile sufficit; nam minùs ad esse 5^um prædicabile requiritur, quàm ad actu prædicari modo 5^i prædicabilis; sicut minùs requiritur ad esse visivum & illuminabile, quàm ad videre & illuminari actu, ut patet.

DCCCV. Objicies 2º ex Conimbr. Cap. 5º. de Accid. Albedo, ut est apta inesse multis corporibus, non est 5^um prædicabile; ergò ut sit 5^um prædicabile, debet actu esse in illis. Probatur antecedens, quia aptitudo, quâ illis inexistere potest, non est accidentalis & contingens, sed essentialis utpotè aptitudinalis inhærentia, in qua essentia Accidentis constitui solet, ergò, &c.

DCCCVI. Respondeo, distinguendo antecedens: albedo ut est apta 1º intentionaliter & Physicè inesse uni corpori, non est 5^um prædicabile, concedo antecedens: ut est apta 2º intentionaliter, & ratione 1ª intentionis formalis accidentificantis, inesse multis corporibus, nego antecedens: nam hæc aptitudo est illi omninò accidentalis & contingens, & quidem ad inessendum multis corporibus accidentaliter & contingenter, in quantum potest de illis, quibus inesse apta est, per mentem negari.

DVBIVM

DVBIVM V.

An ad veritatem prædicationis 5^i prædicabilis requiratur existentia subjecti.

DCCCVII. ANtè Resolutionem Suppono 1°, dubium maximè procedere de accidentibus positivis, inter quæ aliqua realia & intrinsecè denominantia, ut albedo respectu parietis, frigus respectu aquæ: alia intentionalia, & extrinsecè denominantia, ut cognitum, volitum, &c. respectu objecti.

DCCCVIII. Suppono 2°, subjectum esse duplex unum inhæsionis, aliud denominationis. 1^um est, id quod Accidens in se recipit. 2^um est id, de quo Accidens prædicatur. His suppositis, sit

Resolutio I.

DCCCIX. DIco 1°, Accidentia realia & intrinsecè denominantia, ut verè prædicentur, requirunt actualem existentiam sui, in subjecto denominationis pro eo tempore, quo de illo enuntiantur.

DCCCX. Probatur 1°; quia in eo, prædicatio contingens & 5^i prædicabilis opponitur essentiali & Proprii 4^i prædicabilis, quòd in hac copula absolvatur à tempore, & ideò dicatur æternæ veritatis; non item in illa: quò fit ut dicatur temporalis tantùm veritatis; sed, si dicta accidentia non requirerent actualem existentiam sui in subjecto, &c. ut verè prædicarentur, hæc oppositio foret nulla; ergò, &c. Probatur minor, quia sufficeret possibilis existentia eorum, quæ æterna est, propositionisque 5^i prædicabilis foret hic sensus: Accidens reale, &c. potest actu esse in subjecto, qui sensus est æternæ veritatis, ergò, &c.

DCCCXI. Probatur 2°; quia alioqui hæ propositiones essent actu veræ, *Iudas est salvatus, Anti-Christus est albus, Spiritus Sanctus est incarnatus*, quod Catholicorum nullus admiserit, ergò, &c. Probatur sequela, quia in Iuda salvatio, in Anti-Christo albedo, Spiritus Sancti incarnatio absolutè esse possunt; nec requireretur, ut actu illis inessent, ergò, &c.

DCCCXII. Objicies 1°, hæ prædicationes, *Petrus est albus, aqua est calida*, sunt hoc sensu semper veræ, *Quando Petrus est albus, est contingenter albus: quando aqua est calida, est contingenter calida.* Ergò Accidentia realia, &c. ut verè prædicentur, non requirunt actualem existentiam sui in subjecto.

DCCCXIII. Respondeo, allatum sensum esse omninò contortum, & contrà communem usum; propositionum enim 5^i prædicabilis sensus est absolutus (quomodò dictæ propositiones sunt falsæ, nisi Accidentium sit actualis existentia in subjecto;) aliarum verò conditionatus, hoc sensu, *si Petrus existit, existit rationalis, risibilis*, &c. quia alioqui non appareret, quomodò prædicata 4. primorum prædicabilium præ aliis 5^i prædicabilis, suis subjectis æternùm conveniant.

DCCCXIV. Objicies 2°, hæ prædicationes *rosa est odorifera, lilium est album*, sunt veræ, etiam in hyeme, dum nullæ rosæ, aut lilia, existunt, ergò, &c.

DCCCXV. Respondeo distinguendo antecedens: si ly *odorifera* & *album* sumantur actualiter, sunt veræ, &c. nego antecedens: si verò sumantur aptitudinaliter, concedo antecedens: sed ut sic allatæ propositiones non sunt 5^i prædicabilis, sed 4^i, ut satis patet ex dictis Disp. præcedenti de aptitudine ignis ad habendum calorem.

Resolutio II.

DCCCXVI. DIco 2°. Accidentia intentionalia & extrinsecè denominantia, non requirunt subjecti denominationis extrinsecæ existentiam, ut verè de illo prædicentur.

DCCCXVII. Probatur, quia aliquid verè dicitur cognitum, volitum, &c. imò & Vniversale, ut patet ex dubio præcedenti, licèt non existat, ergò, &c.

FINIS.

TRACTA-

TRACTATVS III.
DE
POST-VNIVERSALIBVS.

1. MVLTI de Post-Vniversalibus nihil agunt; vel certè, quia illa, Ante-Vniversalia fecerunt; vel fortè, quia de illis, inter Vniversalia in Specie, discenda insinuarunt: nos verò ubique ad faciliorem doctrinæ intelligentiam attenti, hic Post-Vniversalia, utpotè nonnisi Vniversalibus post-intelligibilia, tractamus.

DISPVTATIO VNICA
De Divisione, Distinctione & numero Vniversalium.

DVBIVM I.

An divisio Vniversalis in quinque vulgata Vniversalia concretim sumpta, sit Generis in Species.

II. ANtè Resolutionem Suppono, ad Divisionem Generis in Species, tria communiter requiri. 1° ut Divisum perfectè præscindat à membris dividentibus. 2° ut membra dividentia essentialiter & univocè, id est in eadem significatione, participent divisum. 3° ut membra dividentia inter se essentialiter communi Differentiâ differant. Hoc supposito, sit

RESOLVTIO.

III. DIco, divisio Vniversalis in quinque Vniversalia concretim sumpta est Generis in Species.

IV. Probatur, quia illi conveniunt tria in supposito requisita ad Divisionem Generis in Species; ergò, &c. Probatur antecedens 1°, quia Vniversale non minùs perfectè præscindit à suis speciebus, quàm animal ab homine & bruto; quandoquidem nullo modo in suo conceptu formali illas includat. 2°, quia Species Vniversalis non magis potest concipi, non concepto Vniversali, quàm homo vel brutum non concepto animali. Deindè tam propriè uni Speciei & in eadem significatione convenit, esse Vniversale, quàm alteri. 3°, quia Species Vniversalis inter se essentialiter differunt, non minùs, quàm homo & brutum; ergò Divisio Vniversalis in quinque vulgata Vniversalia, est Generis in Species, non minùs, quàm Divisio animalis in hominem & brutum.

V. Objicies tamen 1°, ratio Vniversalis priùs & perfectiùs descendit ad Genus vel Speciem, quàm ad Accidens, ergò non est univoca ad suas Species. Probatur antecedens pro 1ª parte, scilicet quod *priùs*; quia Accidens priùs descendit ad ea, quibus identificatur, videlicet ad albedinem & nigredinem, respectu quorum est Genus; ad hoc & hoc Accidens, respectu quorum est Species; quàm ad ea, quibus non identificatur, scilicet ad hoc & hoc subjectum, respectu quorum est Accidens. Probatur pro 2ª parte, scilicet quod *perfectiùs*; quia Differentia Speciei & Differentiæ est perfectior Differentiis Proprii & Accidentis, ergò, &c.

VI. Respondeo 1°. distinguendo antecedens pro 1ª parte: ratio Vniversalis priùs prioritate quâdam dignitatis relucente in ipsa ratione communi Vniversalis, descendit ad Genus & Speciem, quàm ad Accidens, nego antecedens: priùs prioritate dignitatis relucente in ipsis Differentiis contrahentibus, concedo antecedens; sed sicut illa dignitas, non secus ac ipsæ Differentiæ contrahentes, est omninò extrà conceptum formalem rationis communis Vniversalis; ità non potest impedire ejus univocationem. Ad probationem antecedentis, etiam distinguo, Accidens priùs prioritate objectivâ & rei, descendit ad ea, quibus, &c. & consequenter ad Genus & Speciem, quàm ad hoc & hoc subjectum, & consequetèr, quàm ad Accidens, conce-

concedo: priùs prioritate cognitionis taliter vel taliter universalificantis, nego; id enim est merè contingens: ab intellectu enim cognoscentis pendet hoc vel illud Vniversale, priùs vel posteriùs fabricare.

VII. Respondeo 2°, distinguendo antecedens pro 2ª parte ut antè: ratio Vniversalis perfectiùs perfectione quâdam majore relucente in ipsa ratione communi Vniversalis, descendit ad Genus & Speciem, quàm ad Accidens, nego antecedens: perfectione quâdam majore relucente in ipsis Differentiis contrahentibus, concedo antecedens; verùm id etiam contingit in divisione substantiæ in Deum & Angelum, animalis in hominem & brutum, quæ tamen, eo non obstante, est univoca. Sic patet ad id, quod ulteriùs objici posset, videlicet tria prima prædicabilia prædicari essentialiter, duo posteriora accidentaliter: id enim spectat ad Differentias ipsorum contrahentes rationem Vniversalis; nam, ex ratione sua generica, omnia prædicantur eodem modo.

VIII. Objicies 2° Genus est magis Vniversale, quàm Species, ergò Genus & Species non participant univocè rationem Vniversalis. Probatur antecedens, quia Genus de pluribus prædicatur, quàm Species, ergò, &c.

IX. Retorquetur Argumentum in brutum, quod de pluribus prædicatur, quàm homo; animal tamen, eo non obstante, est Genus ad hominem & brutum.

X. Respondeo, negando antecedens, ad ejus probationem, admisso antecedente, nego consequentiam; quia ex antecedente, tantùm sequitur, Genus materialiter & extrinsecè esse majus Vniversale quàm sit Species, sicut brutum est materialiter & extrinsecè majus animal, quàm homo, in quantum est divisibile in plures Species, quàm homo; non verò formaliter & intrinsecè magis Vniversale; quia non est magis unum aptum prædicari de multis, (ad quod parum refert, an illa sint duo tantùm vel mille) quàm Species: sic enim, licèt linea tripedalis sit materialiter major, quàm bipedalis; non est tamen formaliter & intrinsecè magis linea; quia hoc *magis* non sumitur à majori quantitate, sicut illa *majoritas*; sed à pluribus prædicatis lineæ essentialibus, quæ sunt in utraque eadem indivisibiliter.

DVBIVM II.

Quomodò distinguantur inter se quinque allata Vniversalia abstractivè sumpta.

ANtè Resolutionem

XI. Suppono 1°, sensum dubii esse, quomodò distinguantur inter se 1ª intentio formalis generificans, specificans, Differentialificans, &c.

XII. Suppono 2°, illas 1ªs intentiones formales posse dupliciter considerari. 1° ex parte objecti sui. 2° ex parte modi, quo objectum suum repræsentant. His suppositis, sit

Resolutio I.

XIII. DIco 1° Genus, Species, Differentia & Proprium abstractim sumpta, ex parte objecti sui, inter se non distinguuntur, benè autem ab Accidente, non tamen necessariò.

XIV. Secunda pars Resolutionis patet; quia saltem major pars eorum, quæ prædicantur ut Accidens 5um prædicabile, distinguuntur realiter ab objectis quatuor primorum prædicabilium, utpotè ab illis tamquam subjectis realiter separabilia, ergò, &c.

XV. Probatur 1ª pars, quia sicut Petrus & Paulus concepti per ordinem ad sensationem, sunt animalitas & Genus; per ordinem verò ad sensationem & ratiocinationem, homanitas & Species; per ordinem ad rationem præcisè, rationalitas & Differentia: ità concepti præcisè per ordinem ad risum, sunt risibilitas; & ut similis naturæ, sunt similitudo & Accidens 5um prædicabile, & sic est de quolibet alio Accidenti Metaphysico, ergò, &c. Hinc

Tertia pars patet.

Resolutio II.

XVI. DIco 2°. Genus, Species, Differentia, Proprium & Accidens abstractim sumpta, ex parte modi, quo objectum suum repræsentant, sunt Specie diversa.

XVII. Probatur conclusio; quia 1ª intentio formalis Generis, est repræsentatio tam confusa Petri & Pauli v. g. ut solùm appareat pars materialis essentiæ Vniversalis eorum; Speciei verò, ut appareat quidem tota essentia Vniversalis eorum, sed sinè hæcceitatibus, ly *sinè* tenente se ex parte actus; Differentiæ, ut appareat tantùm pars formalis essentiæ Vniversalis eorum; Proprii, ut appareat tantùm proprietas; Accidentis, ut appareat aliquid negabile de essentia eorum, ac per consequens illi contingens; sed hi modi sunt valdè, imò & Specie, diversi, ergò, &c.

Resolutio III.

XVIII. DIco 3°, Vniversale Concomitans abstractim sumptum, ex parte modi, quo objectum suum repræsentat, Specie distinguitur à Genere, &c. Probatur, quia Vniversale Concomitans, neque ut Genus, neque ut Species, &c. objectum suum repræsentat; sed sic ut det multis, *Esse unum aptum prædicari de multis, tamquam pars materialis essentiæ singularis*; quod nulli eorum, ut tali convenit, uti manifestum est ex toto Tractatu præcedenti de Ante-Vniversalibus, ergò, &c.

Adde tamen Vniversale Concomitans non distingui realiter à tribus primis Vniversalibus: sed solâ ratione, & ex parte modi quo objectum suum realiter idem repræsentat. Pro solutione autem multarum objectionum fallacium, quæ hîc & in toto Porphyrio fieri possunt, tres sequentes Classes diligenter perpende.

CLASSIS

I. CLASSIS VNIVERSALIVM.

Prout respectu Inferiorum sunt essentialiter Vniversalia.

Vniversale Genus hoc & illud.	Vniversale Species hæc & illa.	Vniversale Differentia hæc & illa.	Vniversale Proprium hoc & illud.	Vniversale Accidens hoc & illud.

xix. QVæ in allata Classe sunt suprà, prædicantur essentialiter de infrà positis. Vndè hæ prædicationes Vniversales, sunt essentiales, *hoc Genus est Genus; hoc Genus est Vniversale; Genus est Vniversale:* & sic de aliis cellulis

II. CLASSIS VNIVERSALIVM.

Prout sunt Denominativè Vniversalia.

Vniversale Genus Vniversale.	Vniversale Species Genus.	Vniversale Species Species.	Vniversale Species Differentia.	Vniversale Species Proprium.	Vniversale Species Accidens.	Vniversale Species Individuũ.

xx. QVæ in allata Classe sunt suprà, de infimo prædicantur denominativè & accidentaliter. Vndè hæ prædicationes Vniversales, sunt accidentales, *Vniversale est Genus; Vniversale est Vniversale*, & sic de aliis cellulis. In hac autem Classe non ponitur Individuum *hoc & illud*; quia ut tale non est denominativè Vniversale; ponitur verò in alia, quia ut tale est essentialiter Vniversale, Genus, Species, &c.

III. CLASSIS VNIVERSALIVM.

Prout sunt Vniversalia respectu suorum denominatorum.

Vniversale Accidens Vniversale.	Vniversale Accidens Genus.	Vniversale Accidens Species.	Vniversale Accidens Differẽtia.	Vniversale Accidens Proprium.	Vniversale Accidens Accidens.	Vniversale Accidens Individuũ.

xxi. QVæ in allata Classe sunt suprà de infimo, sumpto prout de suis denominatis prædicatur *ut quod*, prædicantur accidentaliter contingenter. Vndè hæ prædicationes sunt 5ꝭ. prædicabilis, *Vniversale* (prout scilicet prædicatur de homine *ut quod*) *est Vniversale; Genus* (prout scilicet de animali prædicatur *ut quod*) *est accidens*, & sic de aliis.

Corrolarium.

xxii. EX his Classibus Colliges, hanc prædicationem, *Hoc Genus est Vniversale*, esse veram; si ly *Vniversale* sumatur, ut Vniversale essentialiter; falsam si ly *Vniversale*, denominativè sumatur, ab aliqua abstractione formali superaddita. Vndè juxtà duplicem illam acceptionem vocis *Vniversale*, hæ prædicationes non sunt contradictoriæ, *hoc Genus est Vniversale, hoc Genus non est Vniversale* &c. Idem est de his, *hoc Vniversale est Vniversale, hoc Vniversale non est Vniversale*; vera tamen hæc, juxtà 3ᵃᵐ. Classem, *Individuum est Vniversale*, prout attentè speculanti patebit.

DVBIVM III.

An Divisio Vniversalis in quinque allata Vniversalia sit adæquata & immediata.

xxiii. ANtè Resolutionem Suppono 1º. allata quinque Vniversalia, in quæ Vniversale ex Porphyrii, aliorumque Antiquorum, & communi Recentiorum Sententia, dividitur, nominari *Genus, Speciem, Differentiam, Proprium* & *Accidens*, de quibus in toto Tractatu 3º. de Vniversalibus Porphyrianis egimus.

xxiv. Suppono 2º. aliud esse Divisionem esse adæquatam; aliud illam esse immediatam: adæquata enim est, ubi præter membra dividentia assignata, nullum aliud sub illis non inclusum, est assignabile: Immediata verò ubi divisum partitur in proxima membra, ita ut inter illa & divisum, nullum Genus, Speciesvè, &c. mediat.

xxv. Suppono 3º. rationem, ob quam communiter concluditur, Vniversale adæquatè dividi in quinque allata Vniversalia, esse hanc: quidquid est Vniversale, vel est aptum prædicari de multis *essentialiter*, vel *accidentaliter*: si *essentialiter*, vel *ut tota essentia*, & est Species: vel *ut pars essentiæ*; si *ut pars essentiæ*, vel *ut pars materialis*, & est Genus; vel *ut, pars formalis*, & est Differentia: *si accidentaliter*; vel *necessariò*, & est Proprium; vel *contingenter*, & est Accidens. Paulò tamen aliter quidam alii discurrunt: nempè, quidquid est aptum prædicari *Vniversaliter*, est aptum prædicari *in quid purè*, vel *in quale purè*, vel *in quale quid*. Si *in quid purè*; vel *tamquam tota essentia*, & est Species; vel *tamquam pars materialis essentiæ*, & est Genus: neque (addit P. Oviedus) præter hos duos modos, alius supereſt prædicandi *in quid purè*: si *in quale purè*, id est per modum partis formalis accidentalis: vel illa *necessariò* concomitatur essentiam, & facit Proprium; vel *contingenter*, & facit Accidens. Si *in quale quid*, id est per

modum partis formalis essentialis est Differentia. His suppositis sit

Resolutio I.

XXVI. Dico 1o. divisio Vniversalis in quinque allata vulgata Vniversalia non potest esse adæquata, sive Vniversalia juxtà definitiones à Porphyrio allatas, sive juxtà nostras, & jam communes, definiantur.

XXVII. Probatur 1ª pars ex dictis Disput. 3ª de Genere dub. 2.

XXVIII. Probatur 2ª pars, quia si Vniversalia definiantur juxtà definitiones nostras, datur unum Vniversale sub Vniversali in Genere non comprehensum, videlicet Vniversale Concomitans, ergò, &c. Probatur hoc assumptum, quia Vniversale Cõcomitans *est unum aptum prædicari de multis incompletè ut pars materialis essentiæ singularis*, quod quia nec Generi, nec Speciei, nec Differentiæ convenit & ea semper comitatur (quia nec Species potest prædicari de multis *ut tota essentia singularis*, magis quàm singulare possit prædicari de multis; nec Differentia potest prædicari de multis *ut pars formalis essentiæ singularis*, magis quàm hæcceitas ipsa, quæ sola est pars formalis essentiæ singularis; nec etiam Genus ut tale potest prædicari de multis *ut pars materialis essentiæ singularis*, sed ut pars materialis essentiæ Vniversalis tantùm; quia alioqui præterquam quòd æquali passu cum Specie & Differentia procedere oporteat; Genus à Specie & Differentia non distingueretur, possentque Species & Differentia vocari nomine Generis, sive Genus; quod non recipitur) allatum Vniversale vocatur Concomitans; atqui hoc Vniversale, in Genere, Specie, Differentia, Proprio & Accidente non includitur, & illi convenit definitio Vniversalis in Genere, ergò, &c.

XXIX. Dices 1o, si Vniversale Concomitans, quod *est unum aptum prædicari de multis incompletè ut pars materialis essentiæ singularis*, addi debeat; debebit etiam addi Vniversale Concomitans, quod *est aptum prædicari de multis secundum essentiam singularem accidentaliter contingenter*, ergò, &c.

XXX. Respondeo negando sequelam; hoc enim ultimum non debet addi, quia includitur in Accidente, ut Accidentis definitionem consideranti patebit; non debent autem addi illa, in quæ vulgata Vniversalia subdividi possunt; sed solùm illa, quæ sub illis non comprehenduntur, & in quæ subdividi non possunt, ut est Vniversale Concomitans, quod à nobis dicitur sextum Vniversale.

XXXI. Dices 2o Vniversale Concomitans non habet modum prædicandi distinctum à Genere, ergò, &c. Probatur antecedens, quia sive sit aptum prædicari *ut pars materialis essentiæ singularis*, sive *ut pars materialis essentiæ Vniversalis*, semper aptum est prædicari *ut Genus*, ergò, &c.

XXXII. Respondeo negando antecedens, ad ejus probationem nego assumptum: si enim esse aptum prædicari *ut pars materialis essentiæ singularis*, esset esse aptum prædicari *ut Genus*, omnis Species atoma, & Differentia Vniversalis esset Genus, utpotè determinabilis ad hoc potiùs individuum, quàm ad illud per diversam hæcceitatem, & consequenter esset pars materialis essentiæ singularis. Vndè vel tollerentur sinè necessitate duæ Species Vniversalis; vel, quod in idem recidit, *Genus, Species*, & *Differentia* inter se confunderentur, utpotè eodem modo prædicabilia de essentia singulari, quod non admittitur.

XXXIII. Adde, de Genere proportionaliter loquendum, sicuti de Specie & Differentia; sicut enim Species ut apta prædicari *ut tota essentia singularis*, est singularis, & non Species Vniversalis, & Differentia, ut apta prædicari *ut pars formalis essentiæ singularis*, est ipsa singularitas, & non Species Vniversalis; ità nec Genus ut aptum prædicari *ut pars materialis essentiæ singularis* dici debet Species Vniversalis.

Resolutio II.

XXXIV. Dico 2o divisio Vniversalis in sex Vniversalia à nobis allata, est adæquata.

XXXV. Probatur, quidquid est Vniversale, *est aptum prædicari de multis essentialiter* vel *accidentaliter*: si *essentialiter*; vel *ut tota essentia Vniversalis*, & est Species; vel *ut pars materialis*; si *ut pars materialis*; vel *ut pars materialis essentiæ Vniversalis*, & est Genus; vel *ut pars materialis essentiæ singularis*, & est Vniversale Concomitans; vel *ut pars formalis essentiæ Vniversalis*, & est Differentia: si *accidentaliter*; vel *necessariò*, & est proprium; vel *contingenter*, & est accidens: atqui alius modus prædicandi *Vniversaliter*, sub his non comprehensus, non superest, ergò, &c.

XXXVI. Nec dicas, admitti debere Vniversale Concomitans accidentale, sicut Concomitans essentiale admittimus: nam disparitas est, quod Vniversalia essentialia distincta sint inter se in modo prædicandi *Vniversaliter* per ordinem ad essentiam Vniversalem; indistincta verò per ordinem (qui semper comitatur) ad essentiam singularem: Vniversalia autem accidentalia, scilicet proprium & accidens non sunt distincta inter se in modo prædicandi per ordinem ad essentiam Vniversalem; nam accidentia Physica realia non accidunt essentiæ Vniversali; sed per ordinem ad diversam habitudinem (necessariam scilicet vel cõtingentem) quam dicunt ad subjectum, sive illud sit Vniversale, sive singulare, nam multa de subjectis Vniversalibus apta sunt *contingenter* prædicari, ut v.g. cognitio, Vniversalitas, &c. de homine & bruto; & multa *necessariò* de subjectis singularibus, ut risibilitas de Petro & Paulo. Ex his

XXXVII. Colliges, divisionem Vniversalis, in quinque Vniversalia, videlicet *Genus, Speciem, Differentiam, Proprium* & *Accidens*, non esse adæquatã; benè autem si superaddatur *Vniversale Concomitans*: quod verò Porphyrius quinque tantùm priora attulerit, non obstat, quia verisimile est, ipsum non voluisse quærere omninò exactas Species Vniversalis, ut patet ex dictis Disp. de Specie dub. 2o: hoc tamen videtur certum, quòd cùm divisit Vniversale in illa quinque, quæsiverit Differentias essentiales, quibus inter se opponerentur, & quinque inventis, motus situt illud in quinque Species divideret: nos verò hîc exactè inquirimus, quot sint Vniversalia; & cùm inveniamus sex Differentias essentiales, quibus inter se opponantur; meritò movemur ad Vniversale in sex à nobis allata Vniversalia dividendum.

XXXVIII. Objicies tamen 1o: sunt tantùm 4. prædicata topica, juxtà Aristotelem 4. Top. ergò etiam sunt tantum 4. prædicabilia. Probatur consequentia,

sequentia, quia prædicata & prædicabilia non nisi differunt, ut actus & potentia.

XXXVI. Respondeo, transeat antecedens, distinguo consequens, ergò sunt tantum 4 prædicabilia topica, quia prædicatum & prædicabile topicum non nisi differunt ut actus & potentia, concedo consequentiam; Porphyriana, ad quæ prædicata topica non se habent ut actus ad potentiam, nego consequentiam: prædicata enim topica diversificantur à modo prædicandi *conversim* & *non conversim* de Specie, qui juxtà Aristotelem, est tantùm quadruplex; nam quod prædicatur *conversim* de Specie, vel prædicatur *essentialiter*, & est definitio, vel non *essentialiter*, & est Proprium: quod verò *non conversim*, vel prædicatur *essentialiter* & est Genus; vel *non essentialiter*, & est Accidens: Prædicata verò Porphyriana diversificantur à modo prædicandi *essentialiter* vel *accidentaliter* de multis, qui est sextuplex, ut vidimus.

XXXVII. Dixi transeat, quia Aristoteles ibi non exactè enumerat prædicata topica: 1°, quia Differentia specifica atoma prædicatur *essentialiter conversim* de Specie, ut rationale de homine, & tamen non est definitio. Idem dic de animali, juxtà dicta Disp. 4. Tract. 2. dub. 7. quòd solo homine possibili & bruto impossibili animal remaneret Genus. 2° juxtà ibidem dicta, quòd animal de rationali prædicetur non essentialiter & conversim, & è contrà; & tamen animal & rationale respectu invicem non sunt proprium, sed accidens. 3°. quòd Differentia generica de Specie ut sensitivum de homine prædicetur *essentialiter* & *non conversim*, & tamen non est Genus. 4°. Proprium genericum de Specie *non essentialiter* & *non conversim* (juxtà communem) prædicatur, & tamen non est accidens. Vndè dic, Aristotelem aliqua tantùm prædicata topica enumerare, non verò omnia.

XXXVIII. Adde, alium Porphyrii, alium Aristotelis scopum esse; nam Porphyrius in ordine ad prædicamenta assignat sua Prædicabilia, Aristoteles verò sua Prædicamenta in ordine ad demonstrationes. Vndè inter illa numeratur definitio, quæ propter suam complexionem à prædicabilibus Porphyrianis excluditur; & includitur Species, quæ à topicis excluditur; quia de se ipsa non prædicatur *conversim*, puta ordinatè.

XXXIX. Objicies 2°: Prædicabilia Porphyriana ordinantur ad Prædicamenta; sed illa sunt decem, ergò & Prædicabilia.

XL. Respondeo 1°, posse assignari etiam decem Prædicabilia Porphyriana, ut Resolutione sequenti patebit.

XLI. Resp. 2° negando consequentiam: est enim disparitas, quòd scilicet Prædicamenta sumantur à decem de 1ª substantia, id est, Individuo substantiali, interrogationibus, quas tantùm fecit Aristoteles, (licèt multò plures facere potuisset, ut infrà docebimus) puta *quid sit*, *quanta sit*, *qualis sit*, &c. Prædicabilia verò à modis prædicandi naturæ Vniversalis, suprà recensitis.

XLII. Adferunt aliqui omnia Vniversalia posse prædicari per modum Speciei, Genus includere Speciem & Differentiam, & similia; sed parum ad rem: nam hîc agimus de Vniversalibus, ut concretim suprà definitis ut *quo* & *ut quod*; Vniversalia verò non possunt esse Species, nisi accidentaliter denominativè, & ut definitum *quod* Speciei. Item Genus non includit Genus, nisi ut definitum *quod* in definitione quâ *ut quod* & *ut quo* definitur; item nec Differentiam includit, nisi ut definitum *quod* in definitione Differentiæ; quæ non impediunt oppositionem essentialem Vniversalium concretim, ut suprà, definitorum.

XLIII. Objicies 5°: si sex Vniversalia admittantur; non est, cur septimum, videlicet Vniversale immediatè individuatum sub Vniversali in Genere, non admittatur: sed hoc Vniversale immediatè sub Vniversali in Genere individuatum, est omninò chymæricum: ergò, &c. Probatur sequela majoris 1°, quia, si concipiatur ens prout est indifferens & præscindès à prædicatis essentialibus, ut v. g. substantiâ, corpore, vivente, animali, &c. & accidentalibus, ut v. g. risibilitate, albedine, &c. Petri & Pauli; ens ut indifferens & ab illis præscindens, respectu illorum est Vniversale; non Genus, neque Species, neque Differentia; neque Vniversale Concomitans; quia non est essentiale: neque proprium; neque accidens; quia non est accidentale; ergo septimum Vniversale, sive hoc Vniversale immediatè individuatum sub Vniversali in Genere. Probatur sequela majoris 2°, quia potest dari Genus immediatè individuatum à parte rei, hoc animal v. g. quod nec est rationale, nec irrationale; ergo & sub conceptu hoc Vniversale, quod nec est essentiale, nec accidentale.

XLIV. Respondeo negando sequelam majoris; ad ejus 1ªm probationem Respondeo illud ens non esse de Petro & Paulo, aptū prædicari, nisi ut Vniversale essentiale, aut ut Vniversale accidentale: vel enim id sumitur ex parte objecti, & sic est aptum prædicari essentialiter, ut patet; vel ex parte actus præscindentis, & sic non est aptum prædicari, nisi accidentaliter, prout esse præcisum de Petro & Paulo est aptum prædicari, ut consideranti patebit: ad 2ªm verò probationem sequelæ Majoris, Respondeo esse disparitatem, in eo videlicet, quòd quidquid est ens, saltem sit conceptum; esse verò conceptum omni enti reali est accidentale: quidquid autem est animal, non statim est rationale aut irrationale; sed neutrum esse potest; ut Tractatu 2° Disp. 3. Dub. 7°. probatum est.

Resolutio III.

XLV. Dico 3° allata tamen divisio Vniversalis in sex Vniversalia non est aliter adæquata, quàm divisio Vniversalis in essentiale & accidentale, in quid & in quale; licèt hoc sensu adæquatè dici possit, quòd nulla Vniversalia adferri possint, quæ sub his non comprehendantur. 2ª pars conclusionis patet ex Resolutione 2ª.

XLVI. Probatur 1ª, quia Vniversale his modis dividi potest. 1° in essentiale & accidentale: 2° essentiale in essentiale *ut tota essentia Vniversalis substantiæ*, & *ut tota essentia Vniversalis accidentis*. 3° essentiale ut tota essentia Vniversalis substantiæ in essentiale ut tota essentia Vniversalis *substantiæ spiritualis* & ut tota essentia Vniversalis *substantiæ materialis*. 4° essentiale ut tota essentia Vniversalis accidentis in essentiale ut tota essentia Vniversalis accidentis *quantificativi* & *qualificativi*, & *relativi*, & *ubificativi*, &c. 5° essentiale in essentiale *ut pars materialis essentiæ Vniversalis*, *substantiæ*, & *ut pars materialis essentiæ Vniversalis accidentis*. Et hoc ulteriùs, ut antè. 6° Vniversale accidentale in accidentale *necessarium* & *contingens*: 7° Vniversale accidentale necessarium in Vniversale accidentale *necessarium*

substantiæ, & in Vniversale accidentale *necessarium accidenti*, & hæc ulteriùs, ut ante. 8. Vniversale accidentale contingens in Vniversale *accidentale contingens substantiæ*, & Vniversale *contingens accidenti*. 9. Vniversale accidentale contingens Substantiæ in Vniversale accidentale *contingens quantificativum substantiæ*, *qualificativum substantiæ*, &c. Sed hæc omnia sunt Specie distincta sub allatis, non secus ac sex prima à nobis allata sub Vniversali essentiali & accidentali, ergò, &c.

RESOLUTIO IV.

XXXVIII. DIco 4° allata divisio in quinque Vniversalis Species secundum Porphyrium, non est immediata.

XXXIX. Probatur, quia inter illa & divisum mediant alia in illis non inclusa, ut v. g. *essentiale Vniversale & accidentale, in quid & in quale*; prædicabilia *intrinsecè* ut prædicata intrinsecè denominantia, *& extrinsecè* ut extrinsecè denominantia; prædicabilia *separabiliter & inseparabiliter*, &c. Sed

I. Petes cur per hos ultimos modos ad species Vniversalis non descendamus.

II. Respondeo, quia non sunt usitati inter Philosophos; deindè etiam quia non tam variant essentiam Vniversalis, quàm prædicari essentialiter & accidentaliter; nam *album* v.g. & *cognitum*, sive intrinsecè, sivè extrinsecè sint prædicabilia, habent eumdem prædicandi contingenter modum.

TRACTATVS IV.

DE

ANTE-PRÆDICAMENTIS.

1. LIBRUM Prædicamentorum, sive Cathegoriarum divisit Aristoteles in tres partes. 1ª continet Ante-prædicamenta, seu præambula quædam ad faciliorem Prædicamentorum intelligentiam valdè conducentia. 2ª Prædicamenta, quæ decem numerantur: *Substantia, Quantitas*, &c. 3 Post-prædicamenta; id est, nonnulla, quorum mentio sæpiùs facta est inter explicandum Prædicamenta. Priusquam tamen de Ante-prædicamentis agamus, sit

QVÆSTIVNCVLA I.

Quodnam sit objectum hujus Libri.

RESOLUTIO.

II. DIco res contentæ in decem Prædicamentis sunt objectum hujus Libri, non quidem ut talis vel talis naturæ (quomodò sunt objectum Metaphysicæ) sed ut taliter vel taliter secundum rationem superioris & inferioris, Generis, Speciei & Individuorum sub invicem cõordinabilia.

III. Probatur, quia non apparet in quo commodiùs constitui possit, ergò, &c. Ex hac conclusione

IV. Colliges, quòd si res prædicamentales quandoque in hoc libro definiantur, non nisi per accidens fiat, videlicet ut aliquousque habitâ earum notitiâ, aptiùs cõordinentur secundum prædictam rationem.

QVÆSTIVNCVLA II.

Quis finis intrinsecus hujus libri.

RESOLUTIO.

V. DIco finis intrinsecus hujus libri, 1us, magisq; obvius est remotio cõfusionis à mẽte Philo-

Philosophantis, quæ ex duobus maximè capitibus evenire solet, videlicet ex nimia rerum multitudine, & earum inter se permixtione.

VI. Probatur, quia hic liber ratione decem Classium rerum prædicamentalium, quas continet, res multas, & permixtas, ità distinguit, ut difficilè non sit Substantias ab accidentibus, & accidentia inter se distinguere, ergò, &c.

VII. Dixi, 1us, *magisque obvius*, quia finis secundarius & remotior, est directio 1æ. mentis operationis; nam ad dividendum & definiendum (quod spectat ex officio ad 1am. mentis operationem) multùm juvat, res esse inter se distinctas, prout in hoc libro distinguuntur, ergò, &c.

QVÆSTIVNCVLA III.

Quis finis extrinsecus hujus Libri.

Resolutio.

VIII. Dico: finis extrinsecus hujus libri, attentâ mente Authoris, est demonstratio & Syllogismus.

IX. Probatur, quia, ut Aristoteles Topic. 1o. satis indicat, quidquid hic tractavit, in ordine ad artem Syllogisandi, tractavit, ergò, &c. His autem præmissis, sit

DISPVTATIO PRIMA

Ante-prædicamentalis.

DVBIVM I.

Quid Anonyma, Sinonyma, Paronyma.

Resolutio I.

X. Dico 1o. Anonyma, id est, æquivoca *sunt quorum nomen solum est commune, ratio verò essentiæ nomini accommodata, diversa,* id est, sunt res diversæ naturæ, eodem nomine significatæ. Vt gallus avis, & gallus Francus respectu nominis *gallus*: res autem hujusmodi uno nomine significatæ, dicuntur æquivoca æquivocantia; nomen verò, quò significantur, æquivocum æquivocans. Hinc

XI. Colliges, tres requiri conditiones, ut aliqua sint æquivoca. 1a. idem nomen quoad omnes affectiones grammaticales, puta litteras, Genus, quantitatem, &c. 2a essentia diversa. 3a. ut diversitas essentiæ, sit respectu ejusdem nominis; nam quæ sub uno nomine sunt æquivoca, sub alio sunt univoca, ut patet in gallo Franco, & gallo avi, qui sub nomine animalis, sunt univoca.

Resolutio II.

XII. Dico 2o. Sinonyma, id est, univoca *sunt quorum nomen commune est, ratio verò essentiæ, nomini accommodata, eadem*, id est, sunt res ejusdem naturæ eodem nomine significatæ, ut homo & brutum respectu nominis *animal*. Hujus definitionis explicatio deducitur ex præcedenti.

XIII. Adde, esse duplicis Generis univoca; aliqua latè, & ad illa sufficit eadem ratio sub eodem nomine, sivè hæc ratio sit illis essentialis, sivè accidentalis: undè cygnus & nix conveniunt latè univocè in albo; alia strictè (quæ sola hic videtur Aristoteles definire) & in eis debet ratio esse essentialis univocatis sub eodem nomine, uti est ratio hominis respectu Petri & Pauli.

Resolutio III.

XIV. Dico 3o. Paronyma, id est, denominativa. *sunt quæ ab aliquo* (supple, abstracto accidentali) *nominis appellationem habent* (id est denominantur) *solo differentia casu*, id est, terminatione finali.

XV. Dixi 1o. *supple, abstracto accidentali*, quia, ex mente Aristotelis & Philosophorum, nullum concretum essentiale est denominativum, sicut non prædicatur denominativè, id est, accidentaliter, juxta communem.

XVI. Dixi 2o. *solo Differentia casu*, id est, finali terminatione, quod ex his exemplis patet, nam albus ab albedine, justus à justitia dicitur, quorum initiales litteræ sunt eædem, finales diversæ.

XVII. Petes discrimen inter formam denominantem, denominatum, denominativum, & denominationem.

XVIII. Respondeo, forma denominans est abstractum accidentale, ut *justitia*. Denominatum est subjectum illius abstracti ut v. g. in justo *homo, Deus*, &c. Denominativum est concretum ex denominato & forma denominate ut *justus*. Denominatio est affirmatio denominativi de denominato, ut *homo est justus*.

DVBIVM II.

Quænam sint divisiones, de quibus hic Aristoteles cap. 1o agit, Referuntur.

Divisio I.

XIX. *Eorum quæ dicuntur, alia cum complexione, alia sinè complexione dicuntur.* Id est, terminorum, alii sunt complexi, alii incomplexi: Complexi sunt illi, quibus respondent plures conceptus; sive sint complexi ex realiter distinctis, ut *homo doctus*; sive ex re & modo, ut *anima unita*; sive ex re & signo, ut *aliquis homo*. Incomplexi sunt, quibus respondet unicus & simplex conceptus: quarè ut scias, an terminus sit simplex, attendere debes ad significatum vocis, vel eorum, quibus explicatur; ità ut ille terminus sit simplex, cujus significatum non est multiplex, ut *homo, corpus animatum, quantitas continua*, &c. Complexus, cujus significatum est multiplex, ut *animal rationale, nemo, numquam*, &c. Vnitas enim vel pluralitas ipsius soni & vocis materialiter sumptæ, parum ad complexionem sive incomplexionem termini facit, licèt multùm distinguantur, esse unum voce & unum significa-

catione ; nam ut vidimus , sæpè contingit aliquid esse unum significatione , & duplex voce ; item unum voce , & duplex significatione : quia tamen suprà diximus, voces & res esse Vniversales in prædicando.

xx. Adde, in Vniversali quidem reali, pro complexione, vel incomplexione terminorum attendi significata ut significata unà vel pluribus vocibus expressa , non verò in vocali ; sed voces ut voces, unum vel plura significantes; ità scilicet , ut per ly *unum significatione* præcisè ab Vniversali reali excludantur plura significata ejusdem termini sive vocalis , sive mentalis : per ly verò unum voce præcisè plures voces habentes plura significata ; æquè 1°. id est in recto significata , ut *animal rationale*, & non, *corpus animatum*, quia *corpus animatum*, utpotè res habens animam , & subjectum in recto, & formam in obliquo importans, non excluditur: nam sicut in rebus concreta accidentalia ut *album*, quæ non significant multa æquè 1°, non excluduntur per ly *unum significatione* , ità nec in vocibus voces , quæ non significant multa æquè 1°, excluduntur per ly *unum voce*.

Divisio II.

xxi. *Eorum quæ sunt ; alia de subjecto dicuntur*, (id est, de inferiori prædicantur) *in subjecto verò* (puta inhæsionis) *nullo sunt*, ut *homo* & cæteræ substantiæ Vniversales: *alia sunt in subjecto , & de subjecto nullo dicuntur*, ut *hæc albedo* & omnes formæ accidentales singulares : *alia de subjecto dicuntur, & in subjecto etiam sunt* , ut *albedo* & omnes formæ accidentales Vniversales , quæ de suis inferioribus prædicantur essentialiter, & sunt in subjecto inhæsionis mediantibus suis singularibus : *alia neque in subjecto sunt, neque de subjecto ullo dicuntur* , ut *Petrus* & cæteræ substantiæ singulares.

DVBIVM III.

Quænam sint Regulæ, quas hoc cap. 1°. Aristoteles adfert, Referuntur.

Regula I.

Ante-prædicamentalis.

xxii. *Cùm alterum de altero dicitur ut de subjecto, quæcumque de prædicato dicuntur , eadem etiam de subjecto dicentur.*

xxiii. Iuxtà mentem Aristotelis istius Regulæ hic sensus est, quidquid , ex directè contentis in recta linea prædicamentali , prædicatur de prædicato alicujus propositionis tamquam de inferiore, prædicatur etiam de subjecto tamquam de inferiore.

xxiv. Dixi, *ex directè contentis in linea prædicamentali*, quia alioqui hæc sequela esset bona , *Petrus est rationalis, sed rationale , ne quidem est substantia incompleta , ergo Petrus ne quidem est substantia incompleta.*

Regula II.

Ante-prædicamentalis.

xxv. *Diversorum , nec subalternorum Generum, diversæ Specie Differentiæ sunt ; at subalternorum eadem esse Differentias , nihil vetat.*

xxvi. Hujus Regulæ sensus est , genera diversi Prædicamenti & quorum alterum sub altero non ponitur , habent diversas Specie Differentias , ut *substantia & quantitas*; ejusdem verò Prædicamenti, & quorum unum sub altero ponitur, posse habere easdem , ut *corpus animatum & animal* , nihil vetat. Hinc aliud est Specie materiale, quod contrahit substantiam ad corpus , ab eo quod contrahit qualitatem ad qualitatem corpoream ; nam illa objectivè est substantia ; hæc verò objectivè Accidens ; quarè ly *materiale* respectu substantiæ & qualitatis est æquivocum.

DVBIVM IV.

Quid & Quotuplicia Analoga.

xxvii. Antè Resolutionem Suppono Analogiam Græcè sonare similitudinem , comparationem , proportionem, &c. Vndè Analoga dici possunt ea, quæ sub eodem nomine habent aliquam similitudinem, comparationem, proportionem , &c. Verùm ad Aristotelem 4°. Metaph. cap 2°, & lib. 5°. cap 6°. conformiùs & definitionibus æquivocorum consonantiùs. Sit

Resolutio I.

xxviii. Dico 1°. Analoga *sunt quorum nomen commune est, ratio verò substantiæ nomini accommodata , partim eadem , partim diversa.* Clarebit definitio explicatione specierum Analogorum.

Resolutio II.

xxix. Dico 2° rectè cum Cajetano Analoga dividuntur in Analoga inæqualitatis , attributionis , & proportionalitatis. Analoga inæqualitatis sunt illa , quæ participant rationem unam univocam , cum aliqua inæqualitate perfectionis differentiarum contrahentium; sic *homo & brutum* sunt Analoga respectu nominis *animal* , quia rationalitas & irrationalitas , quibus *animal* contrahitur ad hominem & brutum sunt inæqualis perfectionis. De hac Analogia intelligendus Aristoteles 1° Physicorum cap. 4°. dum ait, *In Genere latere multas Analogias , æquivocationes*, &c. *Ens esse Analogum; non eodem modo dici de substantia & accidente ; sed sicut sanum de corpore & medicina* ; non quòd Accidens sit ens tantùm per ordinem ad substantiam, sicut medicina est tantùm sana per Ordinem ad corpus; sed quod sicut sanum absolutè antonomasticè de solo corpore dicitur ; ità ens de sola substantia. Quidquid enim sentiat Aristoteles, certum est ens non esse Analogum attributionis respectu substantiæ & accidentis , uti est sanum respectu corporis & medicinæ ; sed ut summum inæqualitatis: verùm hujusmodi inæqualitas non impedit univocationem ; alioqui ferè omnes Species essent Analoga Analogata respectu sui Generis , quandoquidem omnes ferè sint inæqualis perfectionis ; undè consequenter dices, dictam inæqualitatem non constituere Analogiam propriè dictam.

xxx. Analoga attributionis *sunt quorum nomen commune*

commune est, ratio verò nomini accommodata est partim eadem secundum terminum, partim diversa, secundum diversas habitudines ad illum. Exemplum sit *animal, pulsus,* & *medicina* respectu nominis *sanum.* Ad quod tamquam ad terminum tria ista dicunt habitudines diversas, nam *animal* ad sanum, vel potiùs ad sanitatem dicit habitudinem recipientis; *pulsus* indicantis; *medicina* causantis, quæ habitudines sunt diversæ ad terminum eumdem: ex quo patet, quomodò Analoga habeant nomen commune, cujus ratio sit partim eadem, propter eumdem terminum; partim diversa, propter diversas habitudines ad illum. Sed

xxxi. Petes, cur hæc Analoga vocentur attributionis.

xxxii. Respondeo: quia in eis nomen commune, ità uni illorum primariò attribuitur, ut cæteris per ordinem ad illud attribuatur; nam esse sanum, primariò convenit *animali*, eo quòd *animal* intrinsecè sanitatem habeat: *pulsui* verò & *medicinæ* non nisi secundariò, eò quòd intrinsecè sanitatem non habeat; sed extrinsecè dumtaxat, ut signum & causa illius intrinsecè animali inexistentis: hinc patet, cur dicatur nomen Analogum simpliciter stare pro primario & famosiori significato, quia scilicet nomen illi intrinsecè convenit.

xxxiii. Adde, non obstante eo, quòd nomen *sanum* respectu illorum trium sit Analogum, esse tamen univocum respectu plurium alterutrius illorum, puta vel respectu plurium *animalium* tantùm, vel respectu plurium *pulsuum* tantùm, vel respectu plurium *medicinarum* tantùm; quia omnia *animalia* univocè conveniunt in ratione intrinsecè recipientis sanitatem; omnes *pulsus* in ratione extrinsecè indicantis, &c.

xxxiv. Analoga proportionalitatis *sunt quorum nomen commune est, ratio verò nomini accommodata, simpliciter quidem diversa est, sed proportionaliter eadem.*

xxxv. Dixi, *simpliciter diversa*, quia nuda proportionalitas ad Analogiam non sufficit; alioqui ignis A. & ignis B. in ratione causæ, & binarius ac quaternarius in ratione dimidii quaternarii & octonarii essent Analoga; nam sicut se habet ignis A. in ratione causæ ad effectum, ità & ignis B. Item sicut se habet binarius in ratione dimidii ad quaternarium, ità se habet quaternarius in ratione dimidii ad octonarium; illa autem sunt univoca ut patet: debet igitur ratio nomini Analogo accommodata, esse simpliciter diversa, id est, propriè in uno Analogorum reperiri, in alio impropriè, cum similitudine tamen, cum eo, cui propriè convenit, sic *homo* & *pratum* respectu nominis *risus* sunt Analogata proportionalitatis: quia *risus* propriè *homini*, & prato non nisi impropriè convenit, cum hac tamen similitudine ad risum hominis, quòd sicut risus hominis significat bonam illius dispositionem, ità risus prati, sivè potius viror prati, bonam prati constitutionem significat: & hæc non malè à nonnullis dicuntur æquivoca à consilio, in eo æquivocis à casu opposita, quòd illa habeant idem nomen sibi impositum ex industria, propter similitudinem unius cum alio; hæc verò quòd casu & præter intentionem imponentis. Sed

xxxvi. Petes, quomodò proportionalitas distinguatur à proportione.

xxxvii. Respondeo, proportionem esse simplicem relationem seu habitudinem unius ad aliud, ut causæ ad effectum, dimidii ad duplum: proportionalitatem verò esse comparationem proportionum inter se; ut in exemplis ignis & binarii suprà allatis.

DVBIVM V.

An dari possit ratio communis Analogis attributionis & proportionalitatis.

xxxviii. DVbium procedit de ratione communi 1o intentionali & intrinseca Analogis, eo sensu, quò dicunt Authores rationalitatem esse communem univocam 1o intentionalem & intrinsecam Petro & Paulo; vel secundum nos, de 2o intentionali secundum modum significandi tantùm. Hoc supposito, sit

Resolutio.

xxxix. DIco: ab Analogis attributionis & proportionalitatis ut sic sumptis, non potest abstrahi ratio communis 1o intentionalis & intrinseca juxtà sensum dictorum Authorum; vel secundum nos, secundum modum significandi tantùm.

xxxx. Probatur, quia alioquì non essent Analoga, sed univoca, ut considerandi patebit; nam haberent *rationem absolutè eamdem*, & non *simpliciter diversam ac proportionaliter eamdem*, vel *partim diversam & partim eamdem*, ergò, &c.

xxxxi. Nec dicas, *animal, pulsum* & *medicinam* in eo convenire, quòd dicant ordinem ad sanitatem; nam ut dicunt ordinem in communi ad sanitatem, non sunt Analoga; alioqui duo *animalia*, duo *pulsus*, &c, respectu nominis *sanum* essent Analoga, quia etiam dicunt ordinem ad sanitatem: sunt tamen ex dictis num. 34. univoca; sed quia dicunt talem & talem ordinem, à quibus ordinibus ut talibus non potest abstrahi dicta ratio communis univoca.

xxxxii. Quæri hîc solet 1o an dependentia seu prioritas & posterioritas participationis communis, item an transcendentia, id est, inclusio rationis communis in Differentiis contrahentibus obsit univocationi?

xxxxiii. Respondeo neutram obesse: non 1a, quia dependentia illa non relucet in ratione communi entis, sed in Differentiis contrahentibus, ut suprà monstratum est: non etiam 2a, quia licèt ipsæ Differentiæ concipi non possent sinè ratione communi entis v. g. (quod tamen falsum esse patet ex dictis de Individuo & Differentia) posset tamen ens ab illis perfectè abstrahi, quod ad univocationem sufficit.

xxxxiv. Confirmatur, si dependentia obesset univocationi, jam substantia non esset univoca respectu materiæ & formæ substantialis; Accidens univocum respectu quantitatis & qualitatis; qualitas univoca respectu potentiæ & actus; quia inter hæc est dependentia; quæ tamen dici non possunt, ergò, &c.

DISPVTATIO SECVNDA

De nonnullis ad Prædicamenta spectantibus.

DVBIVM I.

Quid, Prædicamentum in Genere, & quid ponatur in Prædicamento, an res, voces & conceptus.

RESOLVTIO I.

XXXXV. DIco 1°. Prædicamentum (quod sonat prædicabilium receptaculum) definitur *debita coördinatio Generum ac Specierum ab uno summo Genere usque ad Individua* inclusivè, vel sic: Prædicamentum *sunt Individua, Species, & Genera subalterna usque ad summum* inclusivè, prout substant certæ cuidam coördinationi secundum superioritatem & inferioritatem.

XXXXVI. Dixi, *Generum & Specierum, Genera & Species*, &c. quia res prædicamentales hîc à Logico considerantur sub ratione 2^arum^ intentionum inter se modo prædicto coördinabilium; licèt aliter à Metaphysico exactissimè, quatenus talis & talis naturæ ac proprietatum, considerentur.

RESOLVTIO II.

XXXXVII. DIco 2°. in Prædicamento ponuntur res, voces & conceptus.

XXXXVIII. Probatur, quia ex præmissis Disp. 1ª. de Vniversali in Genere, res, voces & conceptus sunt rigorosè Vniversales in prædicando, ac proindè Genera, Species, &c. ergò, &c.

XXXXIX. Confirmatur ex Aristotele, qui interdum enti Prædicamentali tribuit id, quod ipsi tantùm ut vox *est*, convenit, ut cum Cap. 6°. enumerans Prædicamenta, dicit: *Eorum, quæ sine complexione dicuntur, unumquodque aut substantiam significat, aut quantum*, &c. significare verò proprium est vocum; interdum, quod ipsi tantùm ut res est, convenit, ut cum Cap. de Substantia ait: *Substantiæ nihil est contrarium.*

L. Dices, est Metaphysici considerare res ipsas, non autem Logici, ergò Logicus res non considerat, & consequenter res non ponuntur in Prædicamento.

LI. Respondeo distinguendo Antecedens: est Metaphysici considerare res ipsas, sub eadem ratione, quâ Logicus eas considerat, nego Antecedens: sub diversâ, concedo Antecedens: Logicus enim res considerat sub ratione 2^arum^ intentionum inter se secundum rationem superioris & inferioris coördinabilium; Metaphysicus verò exactè & præcisè quatenus talis & talis naturæ, ut dictum est, quæ sunt longè diversa.

LII. Instabis: si res ponantur in Prædicamento, vel ponentur simul cum conceptibus, vel seorsim ab illis: non 1^um^. quia sic essent ens per accidens, quod à Prædicamento excluditur: non etiam 2^um^. quia seorsim à conceptibus, sunt omnes singulares.

LIII. Respondeo, voces, res, & conceptus simul & conjunctim poni in Prædicamento; ità tamen ut res faciant Prædicamentum reale, voces vocale, conceptus mentale; faciunt enim tria Prædicamenta simul, sicut sunt simul conjuncta, & necessariò sese concomitantia.

DVBIVM II.

Quæ Conditiones requirantur, ut aliquid ponatur in Prædicamento.

LIV. ANtè Resolutionem Suppono, aliquid tripliciter poni posse in Prædicamento, directè scilicet, indirectè & reductivè: directè autem ponitur quidquid aptum est in Prædicatione *in quid* prædicari de omnibus, quæ sunt infrà se usque ad individuum, & subjici omnibus, quæ sunt suprà se usque ad supremum Genus, sive omnia Genera, Species, &c. ex quibus exurgit recta linea Prædicamentalis. Indirectè, quidquid ponitur ad latus defectu istiusmodi prædicabilitatis & subjicibilitatis, ut omnes Differentiæ secundum se sumptæ; nam clarum est, illas ut contentas in Speciebus, quas constituunt, poni directè. Reductivè, quod est ens Physicè incompletum ad præcedentia aliquo modo spectans, ut partes essentiales Physicæ & integrales, quæ, quia excluduntur ab Vniversali, non habent rigorosè sumpta Genera, Species, &c. Hoc supposito, sit

RESOLVTIO.

LV. DIco cum communi: ad hoc, ut quidpiam ponatur directè in Prædicamento, 7 Cõditiones, his versibus comprehensæ, requiruntur.

Vox una, & simplex, rebus concinna locandis:
Entia per sese, finita, Realia, tota.

I. CONDITIO.

LVI. PRimò, id quod ponitur in Prædicamento, debet exprimi *voce unâ*, per quod exclude unam vocem habentem plura significata, ac proindè æquivoca æquivocantia, & analoga analogantia.

II. CONDITIO.

LVII. SEcundò debet exprimi *voce simplici* (putà quantum fieri potest) quia voces complexæ, natæ sunt habere diversa significata: per quod exclude orationes, ut *animal rationale, homo doctus.*

LVIII. Dixi, *quantum fieri potest*, quia interdum desunt voces simplices, quibus unum significatum exprimatur, ex quo fit, quòd *corpus animatum* in Prædicamento directè ponatur.

III. CONDITIO.

LIX. TErtiò debet exprimi *voce accommodatâ rebus*, juxta exigentiam Prædicamentorum

mentorum; si enim Prædicamentum exigat res exprimi in concreto (quod declarabitur infrà) sic exprimi debent: si in abstracto, in abstracto.

IV. Conditio.

LXI. QVartò, entia prædicamentalia debent esse *entia per se*; entis verò per se, non facilè traditur definitio; communiter quidem definitionis loco enumerantur ea, quæ ab omnibus ut entia per se recipiuntur; verùm id nimis prolixum est, & dubium; quarè malim dicere ens per se esse, vel ens omninò simplex, ut Deus, Angelus; vel, si sit compositum, ens quod est aliquo modo unius naturæ per unionem rerum ejusdem Prædicamenti per modum potentiæ & actus, naturæ & subsistentiæ, &c. Vndè ab entibus per se, exclude concreta accidentalia Physica ex subjecto & formâ diversorum Prædicamentorum.

LXII. Nec refert, quòd Aristoteles Metaph. Cap. 6°. exemplificet in concretis accidentalibus *quanto* & *quali*, ita tim ut dixerat, *ex actu & potentia fieri unum per se*; nam intelligi potest de uno per se latè sumpto; vel dicendum exempla ipsius sæpè fallere: Capite enim 5°. de Anima lib. 1°. dicit, *Deum esse compositum ex elementis*. Et 5°. Metaph. Cap. 26. *Deum esse animal*. & 1° ejusdem, ait, *Deum esse actum purum simplicissimum, corpore & sensu carentem*; quæ sunt opposita. Adde, ipsum frequenter dicere quòd, *quidquid advenit enti in actu, non faciat unum per se*, ubi ab ente per se excludit concretum accidentale Physicum.

V. Conditio.

LXIII. QVintò, entia prædicamentalia debent esse entia *finita*, putà voce, nam voces infinitæ, ut *non homo, non lapis*, &c. nihil determinatè significant, sunt sinè numero & infinita; ac proindè nimiùm confunderent Prædicamenta.

LXIV. Nec dicas, cum communi, hanc conditionem se tenere ex parte rei, & per illam excludi Deum infinitum: nam licèt id communiùs affirmetur, sine sufficienti tamen fundamento affirmatur, quia Deus à cæteris rebus maximè distingui debet, præcipuusque Prædicamentorum scopus & finis, est rerum (quibus Deus, utpotè 1ª res, maximè annumerandus) essentias inter se distinguere, ac confusionem earum inter se, removere. Vndè non est, quòd per expressam conditionem à Prædicamento excludatur re infinitum, quod unicum est, ac proindè non confusivum.

LXV. Adde, has conditiones esse purè ad placitum, & ex sola institutione nonnullorum Philosophorum, ex quibus multi, hanc, ut fini Prædicamentorum parum conformem, absolutè rejiciunt, & tales sunt illi, qui nobiscum sentiunt Deum poni in Prædicamento, quos infrà referemus.

VI. Conditio.

LXVI. SExtò, entia prædicamentalia debent esse *realia*, prout reale opponitur enti rationis strictè; tum quia ens (quod Aristoteles in entia decem Prædicamentorum divisit) non est univocum ad entia realia & rationis; tum quia entia rationis sunt tam varii generis, ut vix ad ullum Prædicamentum reduci possint.

VII. Conditio.

LXVII. SEptimò, entia prædicamentalia debent esse *tota*, sive entia cõpleta, id est, talia, ut si singularia, non exigant concurrere ad cõpositionem Physicam entis per se; si verò Vniversalia, apta sint in Prædicatione *in quid* de omnibus, quæ sunt infrà se usque ad individuum completum prædicari, & subjici omnibus, quæ sunt supra se usque ad supremum Genus.

LXVIII. Nec refert, quòd anima rationalis, in rigore, sit magis completa, quàm hæc albedo; & tamen excludatur hic ab entibus completis, hæc albedo verò includatur; quia licèt sit nobilior, utpotè substantia & magis completa, secundum entitatem Physicam, aut etiam secundum considerationem Metaphysicam, quæ tendit in res secundum suas naturas & proprietates; non est tamen magis completa secundum cõordinabilitatem in Linea prædicamentali, sive secundum considerationem Logicam, quæ tendit in res, quà in Linea prædicamentali cõordinabiles, ut Genera, Species, &c. à quibus excluduntur entia Physicè incõpleta, sive ordinata ad componendum ens per se Physicum.

DVBIVM III.

An entia infinita simpliciter, sive Deus, ponatur in Prædicamento.

LXIX. DIco cum Nominalibus Okamo, Gabriele, Gregor. Arim. Marsilio, Guielmo de Rubione, quos citat Vasq. 1. p. tom 1°. Disp. 22. Item è nostris Magistro Ioan. de Bachone in 1ᵘᵐ dist. 8. art. 2°, & è Recentioribus Hurtado, Arriaga, Oviedo, &c. Deus ponitur in Prædicamento. Sed antè probationem

Suppono, Deum quoad se & intrinsecè Physicè ac objectivè esse infinitum in omni Genere perfectionis possibilis, juxtà illud Psalmi 144. *Magnitudinis ejus non est finis*. Et Baruch. 3°. *Magnus est, & non habet finem*; non tamen quoad nos & extrinsecè, formaliter & sub omni conceptu, quo à nobis concipitur, ut ens, ut Substantia, &c. quia Deum posse esse in Genere extrinsecè & ex parte actus nostri tantùm, fusè probatum est ab Authoritate & ratione Tract. 2°. Disp. 4. de Specie dub. 7°. Vndè Eximius P. noster Ioan. de Bachone in 1ᵘᵐ Dist. 9. q. 1. art. 2° sic scribit, *impugnat* (putà Ioan. de Bachone) *rationes Scoti, quibus probatur Deum non esse in Genere, innititur enim falsis fundamentis: id namque, quod ponitur in Genere, non debet esse in potentia, vel limitatum & finitum, ut contendit Scotus*. Rationem reddit infrà; quia ratio Generis non necessariò concipitur in potentia, limitata, &c. in actu signato; *potest enim quæcumque ratio* (inquit) *Generis concipi depurata, non considerando tales esse*, &c. Præscindendo in actu exercito. Hoc supposito

LXX. Probatur 1°. conclusio authoritate Augustini lib. 5°. de Trin. c. 8°. ubi dicit *quædam Prædicamenta* v. g. Substantiam, Relationem, Actionem, &c. *propriè dici de Deo, cætera verò Metaphoricè*: si verò alibi ut ejusdem lib. Cap. 6°. & lib. de cognitione veræ vit. cap. 2°. neget, Deum esse propriè Substantiam, & poni in Prædicamento Substantiæ restrictim loquitur, & nomen Substantiæ accipit in sensu in scholis minùs usitato, videlicet pro ente quod Physicè accidentibus subsistat: non verò absolutè sumèdo nomẽ Substantiæ pro ente per se subsistente, prout sumi debet. Ita noster Ioan. de Bachone dist. 8. suprà cit. *Quando Augustinus dicit, quòd abusivè Deus dicitur Substantia: dico quòd verum est, limitando Substantiam ad istum secundum modum, quo Substantia dicitur à subjici accidentibus*, &c.

LXXI. Probatur

LXXII. Probatur 2° ratione, quia nihil obstat quo minùs Deus ponatur in Prædicamento, ergò, &c. Probatur antecedens, quia habet verum Genus, & veram Differentiam, ergò, &c. Probatur assumptũ pro 1ª parte, quia pro Genere habet substantiam prout abstrahit à finita & infinita, cui convenit definitio Generis suprà allata, ergò, &c. Probatur assumptum pro 2ª parte, quia pro Differentia habet aseitatem absolutam, &c. quæ in suo conceptu formali non magis ex parte conceptus nostri includit Substantiam, quàm perseitas includat ens; rationalitas animal, &c. Deindè licèt includeret in suo cõceptu formali Substantiam, quia tamen Substantia illam in suo conceptu formali non includeret, Deus non minùs poneretur in Prædicamẽto, quàm Substantia, quæ ab omnibus in Prædicamento ponitur, licèt in plurimorum Sententia, ejus Differentia videlicet perseitas in suo conceptu formali includat ens, quod in ejus definitione est loco Generis, ergò, &c.

LXXIII. Confirmatur 1°. ratio formalis Generis, nihil definito est intrinsecum, sed extrinsecus conceptus confusus definiti, Dei v. g. in ratione Substantiæ præcisè prout abstrahit à finita & infinita: ratio verò formalis Differẽtiæ similiter nihil est definito intrinsecum, sed conceptus extrinsecus distinctus definiti, Dei v.g. præcisè secundum aseitatem absolutam, &c. ergò admitti potest in Deo cõpositio ex vero Genere & vera Differentia, haud minùs, quàm admitti possit, Deum verè concipi diversis conceptibus, confuso & distincto, ergò, &c.

LXXIV. Confirmatur 2°. potest à tribus Personis Divinis abstrahi ratio communis univoca Personæ, ergò & à Deo & Angelo ratio communis univoca Substantiæ. Probatur consequentia à pari: non enim magis Substantia dicit in suo conceptu formali aseitatem Divinam, quàm Persona Personalitatem Divinam, ergò, &c.

Pro solutione objectionum

LXXV. Adverte, entia prędicamentalia posse bifariam considerari: 1° intrinsecè & ex parte objecti, quomodò sunt formalissimè *hoc*, nec quidquam includere possunt, quòd sit denominativè Genus & Differentia. 2° extrinsecè & ex parte actus, quomodò possunt esse Vniversalia & denominativè Genus & Differentia, per quod nullo modo intrinsecè mutantur, ut patet. Vndè dic, Petrum intrinsecè & ex parte objecti non includere animal rationale, quia illa sunt denominativè Genus & Differentia: benè autẽ extrinsecè & ex parte actus, quo considerantur in ordine ad vitam, sensationem & ratiocinationem. Vndè *homo* idem est, quod cõceptus formalis Petri v. g. in ordine ad vitam, sensationem & ratiocinationem; *animal*, idem quod conceptus formalis ejusdem Petri in ordine ad vitam, & sensationem. *Rationale* idem quod conceptus formalis Petri in ordine ad ratiocinationem. Hoc autem notato,

LXXVI. Objicies 1. nullo modo potest dici Deus Substantia Prædicamentalis, ergò non ponitur in Prædicamento. Probatur antecedens, quia Deo non convenit 6ª proprietas Substantiæ, quæ est recipere contraria, ergò, &c.

LXXVII. Confirmatur ex P. Oviedo Metaph. controv. 5ª. una ex conditionibus ad ens prædicamentale requisitis, est ut sit ens finitũ, quàm ideò à Philosophis requisitam dicit, ut significaretur, quantum Deus infinitè perfectus à creatura distaret, ergò, &c.

LXXVIII. Respondeo negando antecedens, & ad ejus probationem, respondeo istam 6am proprietatem, vel non esse recipiendam, quia procedit ex ignorãtia Fidei & defectu perfectæ cognitionis in Aristotele, omnium Substantiarum, inter quas 1a est Deus: vel ly *contraria* intelligi disjunctivè, intrinseca, vel extrinseca, qualia sunt odium & amor, affirmatio & negatio, quæ Deo extrinsecè conveniunt.

LXXIX. Ad confirmationem patet ex dub. 2° ly *finitum* se tenere ex parte vocis, ac proindè per illud Deum non excludi à Prædicamento: nec rectè Oviedus docet, illam conditionem à Philosophis inventam ut significaretur quãtùm Deus perfectus distaret à creatura; quia alioqui cæterę conditiones entis prædicamentalis similiter inventæ essent, ut significaretur quantùm entia prædicamentalia distarent à sibi oppositis, ut v.g. quantùm entia per se ab entibus per accidens; quantùm entia realia ab entibus rationis, privationibus, negationibus, &c. quantum completa ab incõmpletis, &c. quod est falsum: nam illæ conditiones inventæ sunt ad distinguenda entia prædicamentalia inter se, & ab aliis; item ut sciretur in quo præcisè disconveniant, quod fieri non potest per totalem exclusionem à Prædicamento. Deindè eo dato, non apparet per quid à Prædicamentis excludantur voces infinitæ, ut *non homo*, *non lapis*, &c. quæ necessariò excludi debent ob maximam confusionem, quam alioqui ingererent, & non ingerit infinitum simpliciter, ut patet ex dubio citato.

LXXX. Objicies 2° ex PP. passim, ut Dionysio cap. 1° & 2° de Divinis Nominibus, *Deum non esse ens, sed suprà ens, Deum non esse Substantiam, sed suprà Substãtiam, Deum nihil esse eorum quæ sumus*; ergo, &c.

LXXXI. Respondeo, illa non intelligenda esse formaliter & ex parte actus, quomodò solùm docemus, Deum includere verum Genus; sed realiter & ex parte objecti, quomodò est summè perfectus, & infinitus in omni Genere entis. Non verò ens aut Substantia, vel quidpiam eorum quæ sumus, quia ista dicunt imperfectionem, quæ in Deo ex parte ipsius Dei & objectivè esse non potest; quia quidquid objectivè in Deo est, objectivè simpliciter infinitum est.

LXXXII. Instabis quidquid est in Deo, est formaliter ex parte conceptus nostri & Metaphysicè infinitum, ergò solutio nulla. Probatur antecedẽs; quia quidquid est in Deo, non potest esse finitum, & inter finitum & infinitum non datur medium, ergò, &c.

LXXXIII. Respondeo negando antecedens, ad ejus probationem nego consequentiam, & dico inter finitum & infinitum non dari quidem medium realiter objectivè & à parte rei, benè formaliter & sub conceptu: quid enim prohibet, me cõcipere Substantiam, non concipiendo, an sit finita vel infinita, sicut illam concipere possum non concipiendo quòd sit materialis vel immaterialis, animata vel inanimata; imò cùm hæc Substantiæ essentiam non ingrediantur, mè ità illam concipere posse, haud secus, quàm Substantiam definire, omninò necessarium est.

LXXXIV. Inferes, ergò formaliter & sub conceptu, *Deus non est Deus*. Probabis consequentiam 1°. quia ut sic includit perfectibilitatem & potentialitatem; ac per consequens nõ est perfectissimus & purissimus

purissimus actus qualis esse debet. 2o. quia dari posset ens perfectius, illud scilicet cui repugnaret in suo conceptu formali includere aliquid potentiale & perfectibile, quod est possibile & non chymæricum, videturque Deus tale ens debere esse, ergò, &c.

LXXXV. Respondeo 1° distinguendo illatum: ergò *Deus* formaliter & sub conceptu suo formali adæquato *non est Deus*, nego consequentiam: formaliter & sub conceptu suo formali inadæquato, concedo consequentiam; *falsa enim est prædicatio, substantia est Deus; pars Metaphysica ut talis, est totum Metaphysicum*; ut omnes fatentur. Vndè mirum non est, si ut sic includat perfectibilitatem, potentialitatem, &c. non sit perfectissimus, purissimus actus, &c. nam omninò necessarium est, ut illud, quod non est Deus, includat perfectibilitatem, &c. omni eo modo, quo non est Deus; realiter, si realiter; sub conceptu, si sub conceptu tantùm, sicque ad 1am probationem consequentiæ patet: ad 2am verò

LXXXVI. Respondeo, tale ens omninò repugnare & chymæricum esse, non secus ac omninò repugnat & chymæricũ est, dari substantiam, quæ præcisè concipi non possit secundum prædicata substantiæ præcisè essentialia. Ex quo ulteriùs sequitur, repugnare Deum non posse inadæquatè ex parte conceptus nostri concipi præcisè secundum quod substantia est.

LXXXVII. Respondeo 2° retorquendo argumentum in Personam Divinam, quæ non minùs est infinita, quàm Deus ipse, ab illa tamen abstrahi potest ratio communis univoca Personæ, quæ dicit perfectibilitatem & potentialitatem sub conceptu, non est actus purissimus sub conceptu, &c. licèt ex parte objecti sit Deus ipse.

LXXXVIII. Vrgebis 1° si Deus sub cõceptu suo formali inadæquato includat perfectibilitatem, potẽtialitatem, &c. vera erit hæc prædicatio, *Deus sub conceptu suo formali inadæquato est imperfectus; non est actus purissimus*, &c. quod malè audit, ergò, &c.

LXXXIX. Respondeo negando, hanc propositionem malè audire, æquivalet enim huic, *quod non est Deus sub conceptu, est sub conceptu imperfectum, non est actus purissimus*, &c. quam facilè putarim æquivalere huic propositioni Fidei, *quod non est Deus realiter, est realiter imperfectum, non est actus purissimus*, &c. Item huic, *Verbum ut sub conceptu inadæquato Personæ in communi, est imperfectum, non est actus purissimus*, &c. quæ ab omnibus docentibus Personam esse Vniversalem respectu 3. Personarum, admitti debet; vel etiam huic, *Conceptus formalis Dei inadæquatus, secundum quod est Substantia, est perfectibilis per conceptum ejusdem, secundum quod est in se*, &c. *non est actus purissimus*, &c. Vbi vides totam imperfectionem cadere in actum Deo extrinsecum, non verò intrinsecè in Deum, in quo tantùm esset inconvenientia.

XC. Vrgebis 2°. saltem sequitur, fore aliquid Deo prius, scilicet Substantiam, ens, &c. sed hoc videtur absurdum, ergò, &c.

XCI. Respondeo distinguendo sequelam, ut antè: sequitur aliquid fore Deo priùs sub conceptu & prioritate impropriè dictâ nõ convertibilitatis, non illationis, &c. concedo sequelam. Objectivè & prioritate naturæ, vel propriè dictâ, nego sequelam; hoc quidem foret absurdum, non item priùs; quia illa prioritas præcisè oritur ex imperfectione conceptus nostri; & omninò refundenda est in conceptum ut afficientem naturam inadæquatè ex parte actus. Vndè meliùs, solùm sequi diceretur, conceptum aliquem formalem Dei inadæquatum fore modo dicto, priorem alio conceptu formali adæquato ejusdem, in quo nulla absurditas.

DVBIVM IV.

An Christus, Angeli, Cæli ponantur in Prædicamento.

LXXXII. SVppono, dubium procedere in hypothesi, quòd Deus non ponatur in Prædicamento; aliàs si ponatur, Christum, utpotè Deum, poni necesse est. Deindè ulteriùs supponi debet, dubium procedere de Christo quà hoc homine. Hoc suppositio, sit

Resolutio I.

LXXXIII. DIco 1°. Christus quatenus *hic homo* Physicè, eodem modo, quo cętera individua hominis, ponitur in Prędicamẽto.

LXXXIV. Probatur, quia nihil obstat, ergò, &c. Probatur antecedens, quia si quidpiam obstaret, maximè esset subsistentia Divina, quà terminatur humanitas Christi; sed illa non obstat, ergò, &c. Probatur minor, quia ut dicemus dubio sequenti, Prædicamenta (etiam substantiæ) ordinantur in abstracto Physico, Christus verò ut hic homo in abstracto Physico, dicit solam sinè personalitate humanitatem, ergò, &c.

Resolutio II.

LXXXV. DIco 2° in Sententia Adversariorum, qui dicunt, Prædicamentum substantiæ ordinari per concreta, difficulter defenditur, Christum ut hunc hominem Physicè subsistentem, poni in Prædicamento.

LXXXVI. Probatur, quia sicut *hic homo*, dicit omnia in Individuo & Physicè determinata, ità Christus ut *hic homo* Physicè subsistens, dicit subsistentiam in individuo & Physicè determinatam; quæ proindè esse debet creata vel increata, finita vel infinita; sed non 1um, quia alioqui deberent esse in Christo duæ subsistentiæ, videlicet finita & infinita, quod est hæreticum; ergò 2um, ac per cõsequens Christus ut *hic homo* Physicè subsistens, importat determinatè subsistentiam Divinam Verbi, quę non magis poni potest in Prædicamento, quam Deus ipse, utpotè exclusa, sicut Deus in illa Sententia, per ly *finitum*, unam è conditionibus prædicamentalibus.

LXXXVII. Nec dicas 1°, subsistentiam esse extrà essentiam naturæ humanæ; sicut infinitudo lineæ extra essentiam lineæ; quæ proindè non impedit, quo minùs ponatur in Prædicamento. 2o. Subsistentiam non esse de constitutione naturæ humanæ, sed de complemento, ac proindè conditionem dumtaxat, sinè qua non foret completa, & non poneretur in Prædicamento.

LXXXVIII. Ad 1um. enim Respondeo, subsistentiam esse quidem extrà essentiam naturæ humanæ abstractim consideratæ, quomodo, secundum nos, ponitur in Prædicamento; non verò extrà essentiam illius concretim ut Physicè subsistentem cõsideratæ,

siderate, quomodò dicunt illam poni in Prædicamento: undè ulterius patet ad 2^um^, videlicet non esse puram conditionem, sed de constitutivo hujus naturæ humanæ ut sic concretim Physicè sumptæ; non secus ac hoc subjectum est de constitutivo hujus concreti.

LXXXIX. Nec instes dicendo, Christum ut hunc hominem Physicè subsistentem, convenire univocè cum Petro & Paulo, in ratione hominis Physicè subsistentis; nam cum illis tantùm convenit univocè in ratione hominis abstractim à subsistentia sumpti, quod evidenter ostendo; quia quodlibet Individuum humanum in concreto subsistens dicit hanc subsistentiam; Christus quidem infinitam & Divinam; Petrus verò & Paulus finitas & creatas, quæ in illa Sententia docente Deum non poni in Prædicamento, non possunt convenire univocè in ratione subsistentiæ; aliàs finito & infinito simpliciter daretur aliquid commune univocum, quod consequenter negare debent illius Authores; ne alioqui admittere cogantur, Deo & creaturæ dari rationem substantiæ communem univocam, ac per consequens, poni Deum in Prædicamento, quod negant. Neque his contrarium docet D. Thomas 3. p. q. 2. art. 3°. ajens, *Sic ergo dicendum, quòd Christus est in Specie humana, ratione naturæ assumptæ, non ratione ipsius hypostasis*, id est, est in specie humana, ut hic homo abstractim à subsistentia, quomodò fatemur poni in Prædicamento; non ut concretim cum illa, per quod potiùs Sententiam nostram confirmat, ut patet.

Resolutio III.

C. DIco 3°. Angeli & Cæli ponuntur in Prædicamento. Vtraque pars est Arist. 5°. Metaph. Cap. 8°.

CI. Probatur, quia nihil obstat; habent enim Genus & Differentiam prìoriè dicta, ergò, &c.

CII. Objicies tamen ex Aristotele 1°. Metaph. Cap. 26°. Corruptibile ab incorruptibili differt Genere, id est, Prædicamento, ergò nec Angeli nec Cæli, ponuntur in Prædicamento: probatur consequentia, quia si in aliquo ponerentur, maximè in Prædicamento substantię ponerentur; sed non possunt in eo poni, quia ponuntur in eo substantiæ corruptibiles, ergò, &c.

CIII. Respondeo, Aristotelem solùm velle, corruptibile ab incorruptibili differre Genere Physico, seu materiâ 1ª. quia fortè materia Cæli differt Specie à materia sublunari; in Angelis autem non est materia; non verò Genere Logico & prædicamentali. Non obscurè tamen ex Cap. 25. colligitur, Aristotelem sumere hìc Genus pro Specie, ita ut velit, corruptibile ab incorruptibili differre Specie; nam ibi dicit, *Corruptibile & incorruptibile esse contraria, contraria verò esse diversa Specie.*

DVBIVM V.

Quomodo Prædicamenta sint ordinanda, an per concreta, an per abstracta.

CIV. SEnsus dubii est, an in Prædicamento Substantiæ ponatur homo ut concretum Physicum, an humanitas ut abstractum: & in Prædicamento Qualitatis, album, an albedo, & sic de aliis Accidentium Prædicamentis. Hoc præmisso, sit

Resolutio.

CV. DIco, omnia Prædicamenta, tam Substantiæ, quàm Accidentium, solùm ordinari possunt per abstracta. Quoad 2^am^ partem, est Scoti q. 2ª. prædicament. in Resp. ad 4^um^. Item Averſæ, & Poncii post illum: Cajet. de ente & essentia Cap. 4°. Soti. Cap. de Quantitate q. 1. Fonsecæ. 5°. Metaph. cap. 7. q. 5. & aliorum plurium. Prima autem pars tenet à pari. Quare

CVI. Probatur Resolut. pro 1ª. parte (cujus oppositum ab omnibus parum examinatur, & ut certum malè supponitur) Prædicamentum Substantiæ solo eo modo ordinari potest, quo Substantiæ sunt Genus, Species, &c. quidpiam magis & minùs commune, superius & infernus, &c. atqui Substantiæ in abstracto, & non in concreto, sunt Genus, Species, &c. ergò, &c. Minor, in qua sola difficultas esse potest (quia major supponitur ex definitione Prædicamenti) patet ex toto Tractatu 2°. de Vniversalibus in specie.

CVII. Confirmatur, Prædicamenta inventa sunt ad distinguendas proprias rerum essentias ab aliis omnibus, sed abstracta illas præcisè significant, ergò maximè ordinari debent per abstracta. Major patet ex præmissis, minor probatur; quia concreta Generis supremi, subalterni, infimi, Speciei subalternæ & infimæ, idem in recto significant, ergò sola abstracta illas præcisè significant, ut consideranti patebit.

CVIII. Objicies tamen, in Prædicamento non ponuntur nisi entia completa; sed humanitas non est ens completum, ergò, &c. Probatur minor, quia concurrit realiter ad compositionem entis per se, putà personæ; nam homo ut persona, est compositum ex humanitate & personalitate tamquam modo illam perficiente, ergò, &c.

CIX. Respondeo negando minorem, ad ejus probationem respondeo, personam creatam non esse ens per se, sed aggregatum per accidens ex natura positiva & duabus negationibus, ut docent Scotistæ. Quòd verò humanitas concurrat ad compositionem personæ Christi ut humanæ, non facit illam incompletam; quia id non exigit: sic enim dicimus quantitatem in Venerabili Sacramento non esse Substantiam, licèt per se existat sinè omni subjecto, quia ità existere non exigit. Verùm de Persona Christi specialiter in 3ª. parte. Quia tamen in Physica defendemus, subsistentiam creatâ esse ens etiam positivũ, aliter Respondeo distinguendo minorem: sed humanitas in ratione compositi ex natura & subsistentia, est ens incompletum, concedo minorem: in ratione compositi ex actu & potentia, est ens incompletum, nego minorem; hoc autem modo ponitur in Prædicamento, non isto.

CX. Probatur Resolutio pro 2ª. parte: Prædicamenta Accidentium solo eo modo ordinari possunt, quo accidentia sunt Genus, Species, &c. quidpiam magis & minùs commune, superius & inferius, &c. atqui accidentia in abstracto, & non in concreto sunt talia, ergò, &c. Probatur minor ut antè, ex toto Tract. 2°. de Vniversalibus in Specie, & confirmari potest, quia in concreto involvunt sua denominata, ac proindè sunt aggregata per accidens, non secus ac *album* & *musicum*, de quibus Aristoteles 7°. Metaph. Cap. 6°. Text. 25°. dicit esse entia per accidens, ergò, &c. Major patet à definitione Prædicamenti in Genere.

Con-

CXI. Confirmatur, Prædicamenta inventa sunt ad distinguendas proprias rerum essentias ab aliis omnibus: sed abstracta illas præcisè significant, & concreta accidentium involvunt pro subjecto Substantiam, & proindè res diversorum Prædicamentorum, ergò ordinari debent per abstracta.

CXII. Objicies tamen 1°. Aristotelem in initio cap. 4. enumerare Prædicamenta Accidentium per concreta, ut *quantum, quale*, &c. & per verba infiniti modi, ut *agere, pati*, &c. ergò censet illa debere ordinari per concreta.

CXIII. Respondeo, Aristotelem ibi non agere de Prædicamentis ut cöordinabilibus secundum rationem Generis & Speciei, magis & minùs communis, &c. quomodò entia ponuntur in Prædicamentis; sed ut faciliùs à nobis cognoscibilibus, quomodò non ponuntur in Prædicamentis: faciliùs autem sunt cognoscibilia in subjectis & concreto, quàm extrà, & in abstracto; quia in hoc statu realiter naturaliter esse non possunt. Deindè ad Aristotelem, dici potest, ipsum, more Græcorum, sumere concreta pro abstractis.

CXIV. Objicies 2°. Prædicamenta *Vbi, Quando*, & *Habitus* constant concretis dumtaxat, ergò & similiter alia accidentium Prædicamenta. Probatur antecedens, quia abstractum *Vbi* est *locus*; abstractum *Quandò, tempus*; quæ duo abstracta spectant ad Prædicamentum Quantitatis; abstractum verò *Habitus* est vestis, quæ spectat ad Prædicamentum Substantiæ, ergò, &c.

CXV. Respondeo negando antecedens, ad ejus probationem Respondeo, abstractum *Vbi* non esse locum, sed præsentiam rei in loco; abstractum *Quandò* non esse tempus, sed existentiam rei in tempore; abstractum *Habitus* non esse vestem, sed vestis ad corpus applicationem, de quibus infrà.

CXVI. Objicies 3°. Prædicamenta Accidentium distinguuntur penes diversos modos afficiendi 1am Substantiam; sed non afficiunt 1am Substantiam nisi sumantur in concreto, ergò etiam ordinantur in concreto.

CXVII. Respondeo, concessâ majore & minore, negando consequentiam; quia Prædicamenta eodem modo ordinantur, quo inter se distinguuntur; ordinantur enim secundum rationem Generis, Speciei, magis & minùs communis, &c. quomodò inter se omnia conveniunt. Deindè licèt accidentia reduplicativè, ut afficiunt 1am Substantiam, sint concreta, non sunt tamen talia specificativè; nam formæ, sive abstracta, sunt, quæ afficiunt 1am Substantiam; undè potiùs in abstracto, quàm in concreto Prædicamenta distinguunt, ac proindè, secundum illam objectionem, potiùs in abstracto, juxtà nostram Sententiam, quàm in concreto, ordinari debent.

DVBIVM VI.

Quomodò Prædicamenta inter se distinguantur.

CXVIII. SVmimus hîc Prædicamenta materialiter pro rebus Prædicamentalibus, de quibus quæritur, quanta requiratur inter illas distinctio. Pro quo, sit

RESOLVTIO.

CXIX. DIco: licèt inter multa Prædicamenta sit distinctio realis Physica, ut inter Substantiam & Qualitatem Physicam: vel modalis, ut inter Substantiam vel Qualitatem & Actionem; absolutè tamen sufficit formalis per rationem, prout opponitur virtuali objectivè. Ita Nominales.

CXX. Probatur, quia de facto non reperitur alia inter Actionem & Passionem, inter Substantiam & Quantitatem, inter Qualitatem & Relationem, ergò, &c. Antecedens patebit ex decursu totius Philosophiæ: subsumo; sed hæc habentur tamquam distincta Prædicamenta, ergò, &c.

CXXI. Objicies tamen 1°, divisio entis in decem Prædicamenta est realis, ergò & membra dividentia sunt res distinctæ realiter.

CXXII. Respondeo, negando consequentiam; quia dicta divisio hoc tantùm sensu est realis, quòd non sit ficta; non autem quòd sit in entia realiter distincta. Deindè, ut simpliciter dicatur realis, sat est, si sit præcipuâ ex parte realis, uti est per ordinem ad Substantiam, Qualitatem Physicam, Actionem, Vbi, &c. à præcipuâ enim parte sumitur denominatio.

CXXIII. Objicies 2°. Prædicamenta distinguuntur essentialiter, ergò & realiter.

CXXIV. Respondeo, distinguendo antecedens, Prædicamenta essentialiter distinguuntur essentiâ Physicâ, id est materiâ & formâ, nego antecedens: essentiâ Metaphysicâ, id est, Genere & Differentiâ, concedo antecedens: sed ad hoc sufficit formalis distinctio, ut suprà Tract. 1. Disp. 2. Dub. 5°. dictum est; de animali & rationali, justitia & misericordia in Deo, &c.

CXXV. Instabis, quæ distinguuntur numero, distinguuntur realiter; sed Prædicamenta distinguuntur numero, ergò, &c.

CXXVI. Respondeo distinguendo majorem: quæ distinguuntur numero Physico, distinguuntur realiter, concedo majorem: quæ distinguuntur Metaphysico, nego majorem: numerus enim Physicus exurgit ex unitatibus realiter distinctis; Metaphysicus ex solâ ratione distinctis.

CXXVII. Vrgebis, quæ differunt Specie in eodem Prædicamēto, ut Petrus & Bucephalus, differūt realiter, ergò magis, quæ differūt toto Prædicamento.

CXXVIII. Respondeo 1°, antecedens non esse Vniversaliter verum, quia calefactivum & illuminativum differunt specie in eodem Prædicamento; item rationale & sensitivum; intellectivum & volitivum, & tamen sunt idem realiter; nam idem ignis est calefactivus & illuminativus, idem homo rationalis & sensitivus, intellectivus & volitivus.

CXXIX. Respondeo 2°. negando sequelam, est enim disparitas, quòd scilicet inter Specie distincta in eodem Prædicamento, sit oppositio prædicabilis de invicem; non item necessariò inter ea, quæ differunt toto Prædicamento; nam rectè dicitur, Petrus est quantus, albus, ubicatus, &c. non autem Petrus est Bucephalus, hoc brutum, &c.

DVBIVM VII.

An benè assignatus sit denarius Prædicamentorum numerus.

RESOLVTIO I.

CXXX. DIco 1°, spectatâ authoritate Philosophi, Divi Thomæ, Scoti, M. Nostri Bachonis & Aliorum communiter, & congruentiâ numeri, denarius Prædicamentorum numerus venerabilis est, & retinendus.

CXXXI. Probatur 1°. quia res omnes ità commodè

modè & distinctè in decem illis Prædicamentis ordinantur, ut denarius eorum numerus non possit sinè confusione diminui, aut ex necessitate augeri, ergò, &c.

CXXXII. Probatur 2°. ex congruentia, quam adfert Okam, conformiter ad Aristotelem Metaph. cap. 1°. Tot debent numerari Prædicamenta, quot possunt generales interrogationes de 1ª Substantia fieri; sed decem fieri possunt, ergò, &c.

CXXXIII. Probatur minor; quia de illa quæri potest *quid sit; quanta; qualis; ad quid ordinetur; quid agat; quid patiatur; quo loco sit; quo situ; quo tempore; quo vestitu*, ergò, &c.

CXXXIV. Confirmatur: si quis velit denarium Prædicamentorum numerum minuere, vel augere difficulter ad certum se determinare poterit, ut patebit ex Resol. sequenti, ergò, &c.

RESOLUTIO II.

CXXXV. DIco 2°. allatus tamen denarius Prædicamentorum numerus non est absolutè necessarius, sed ad Philosophorum placitum.

CXXXVI. Probatur: Plato referente Aristotele 3. Metaph. cap. 3. & post ipsum F. De Raconis, unum tantùm Prædicamentum assignat, scilicet Entis creati completi. Zenocrates duo tantùm, Substantiam scilicet & Accidens. Valla tria tàtùm. Stoici quatuor tantùm. Plotinus quinque tantùm, &c. Quòd autem potuissent plura assignari, patet; quia sicut assignantur plura Prædicamenta Accidentium; ità potuissent plura Substantiæ assignari, videlicet corporalis & spiritualis. Deindè, præter interrogationes decem assignatas possunt longè plures aliæ fieri, ut v. g. de Petro, cujus Status sit, an Monachus, an uxoratus, an viduus. Item cujus Dignitatis, an Prior vel Supprior, Scabinus vel Consul. Cujus Conditionis, an civis, peregrinus, aut vagus. Denique, sicut novem interrogationes Accidentis fiunt de 1ª Substantia ut subjecto, quidni totidem fieri possent de illâ ut objecto, v. g. an intellecta sit, volita, visa, audita, &c. ergò, &c.

TRACTATVS V.
DE
PRÆDICAMENTIS.

1. VArii de Prædicamentis tractant in Metaphysica, eò quòd eorum consideratio ad Metaphysicam spectet; sed aptiùs, cum Aristotele, eorum Tractatus hîc præmittitur, in ordine ad definitiones & argumentationes rectè conficiendas, quæ, sinè prædicamentorum notitia, rectè non fierent. Quarè, sit

DISPVTATIO PRIMA
De Substantia.

DVBIVM I.

In quo consistat ratio formalis Substantiæ in Genere.

II. ANtè Resolutionem, de qua P. Arriaga Disp. 4°. Metaph. num. 4°. sic loquitur: *Res hæc e difficilioribus totius Philosophiæ ab Antiquioribus vix tacta, à Recentioribus nondum explanata, non nihil nobis faceſſet negotii.*

III. Suppono 1o. Substantiam tribus præsertim modis accipi. 1°. pro essentia seu entitate cujusvis rei; sic essentia albedinis est Substantia albedinis, & hoc sensu dicit Aristoteles definitiones esse Substantiarum. 2°. pro omni eo quod non est in subjecto inhæsionis; sic Angelus & quodlibet 1um subjectum, &c. est Substantia. 3°. strictè pro Substantia Prædicamentali, de qua infrà.

IV. Suppono 2°. Substantiam ab Aristotele, D. Thoma Opusculo 42° de natura Generis cap. 10. Damasceno suæ Dialect. cap. 23. & aliis communiter definiri, *ens per se existens*; sic ut ly *per se* opponatur ly *in alio*, prout accidens definitur *ens in alio existens*; ut sit definitionis Substantiæ hic sensus, *Substantia est ens subsistens*, sive *ens non in alio existens*, &c. hæc enim à nullo videntur negari posse: undè profundissimè Eximius P. Noster Bacho in 1um Sent. dist. 8. art. 2°. ait: *Ratio generis Substantiæ non sumitur ex hoc, quod alicui substat, sed ex hoc quod in se subsistit.* Sed difficulter clarè & distinctè explicatur, quid sit *subsistere, subsistens esse*, &c. sic ut sola subsistentia formalis, materia 1ª, forma Substantialis & Substantiæ completæ sub ly *subsistens* comprehendantur, cætera excludantur. His suppositis, sit

RESO-

RESOLUTIO I.

v. DIco 1°. esse *ens per se existens, in se subsistens,* &c. quæ sunt sinonyma, ut statim suppositio 2° vidimus; non satis declarantur per *non esse in subjecto inhæsionis*, ly *quod est in subjecto inhæsionis* hoc modo cum Aristotele lib. 1°. Prædicamentorum divisione 2ª definiendo, *Quod est in alio, & non ut pars ejus essentialis & integralis, & ità tamen inest, ut sinè eo naturaliter esse non possit.*

vi. Probatur, quia obstat, quod per ly *in alio*, in quo est forma, quæ ex Aristotele dicitur esse in subjecto inhæsionis, intelligatur subjectum, quod forma illa informat, vel compositum exurgens ex subjecto & forma illa: si 1ᵘᵐ. jam forma, quæ dicitur Substantialis, est in subjecto inhæsionis, ac proindè non Substantia, sed accidens; ratio est, quia *est in subjecto, quod informat*, ut v. g. forma ignis in materia, *& non ut pars ejus essentialis & integralis, & ità tamen inest, ut sinè eo naturaliter esse non possit.* Si verò 2ᵘᵐ, jam Quantitas erit Substantia & non accidens; ratio est, quia *ità est in composito* quantum, quod exurgit ex subjecto & Quantitate, *Vt sit pars illius essentialis*, sive *ità ut quantum sinè illa, nec esse, nec concipi possit.*

vii. Dices fortè, per ly *in alio*, non intelligi compositum ex subjecto & accidente, sive ens per accidens, ut est *quantum*; sed compositum ex puris Substantiis, & ens per se, ut sit sensus, *Illud est in subjecto inhæsionis, quod est in composito ex puris Substantiis*, sive *quod est in ente per se, & non ut pars essentialis & integralis, &c.* Sed

viii. Contrà peto, cur Quantitas existens in *quanto*, non sit in composito ex puris Substantiis, in ente per se, &c. uti esse vis formam ignis in igne?

ix. Respondebis, quia *quantum* est compositum accidentale, cujus altera pars est accidens; ignis verò est compositum Substantiale, cujus utraque pars est Substantia, ens per se existens, &c. Sed

x. Contra, hîc in manifesto circulo circuis; nam, quod semper quæro, est, quarè *quantum* sit potius compositum accidentale, quàm ignis, & è contrà quarè potius ignis sit compositum Substantiale, quàm *quantũ*? item cur potius *Quantitas* sit accidens, quàm forma ignis, cùm utraque sit in subjecto? Respondes, quia *quantum* est compositum accidentale, *Quantitas* accidens, ignis compositum Substantiale, forma ignis Substantia; quod est manifestus circulus; nec sic sinè circulo facilè ostenderis *Quantitatem* esse in alio tamquam subjecto inhæsionis, & non formam ignis; vel è contrà formam ignis esse in alio tamquam in subjecto sustentationis tantùm, & non *Quantitatem.*

xi. Ludunt quidam aliis terminis dicentes, *Quantitatem* non esse de constitutivo rei, benè autem formam ignis: & ideò dicunt hanc esse Substantiam, illam accidens. Vel enim per rem constituibilem intelligunt subjectum informationis, vel compositum exurgens ex subjecto & forma illud informantè? quidquid dixerint, jam rejectum est: deindè quod peto est, cur *quantum* ex materia & *Quantitate* non sit rigorosè res, sicut dicunt ignem esse. Non sunt loquelæ, neque sermones: Quarè

xii. Ad Aristotelem num. 5. cit. resp. veram esse regulam, quam adfert, & tale esse subjectum inhæsionis, quale illud describit: sed ibi præsupponit aliundè captam naturam Substantiæ & accidentis, quam adhuc venamur, nec retia parat allata regula.

RESOLUTIO II.

xiii. DIco 2° esse *ens per se existens, in se subsistens*, &c. non satis declaratur per *esse, ut à nullo prorsus subjecto pendens*, ut Deus, Angelus, vel *nonnisi pendens tamquam aliquid constitutivum* 1æ *rei*, seu 1æ *radicis totalis entis* 1° *& per se à natura intenti*, sive *non intenti propter aliud adæquatè à se distinctum.* Est contrà PP. Hurtadum, Arriagam, Oviedum, Comptonum, &c.

xiv. Probatur 1°. quia obstat, quod per 1ᵃᵐ rem, 1ᵃᵐ radicem, &c. intelligere oporteat, vel illam, quæ in nullo subjecto radicatur; aut quæ propter nullum subjectum intenditur, si completa & simplex sit: vel si composita, illam, quæ exurgit ex duabus partialibus radicibus, quarum una sit indifferens & passiva, quam dicent esse materiam 1ᵃᵐ: altera determinata & effectiva, quam dicent esse formam Substantialem. Sed

xv. Contrà 1ᵘᵐ est, quod sic definitio Substantiæ esset restricta, nec satis latè patens, utpotè solis Substantiis simplicibus completis, ut est *Deus, Angelus*, &c. & materiæ 1æ. & non aliis v. g. formis incompletis & compositis completis, ut est *homo, brutum*, &c. conveniens.

xvi. Contrà 2ᵘᵐ etiam est, quod sic *quantum* exurgens ex materia 1ª & Quantitate sit 1ª radix totalis (& idem est de *albo* exurgente ex materia & albedine) ac per consequens *quod Quantitas*, utpotè constitutiva 1æ. radicis totalis, esset Substantia: quod verò sic *quantum* sit 1ª radix totalis, patet, quia exurgit ex duabus partialibus radicibus, quarum una, scilicet materia 1ª, sit indifferens & passiva, altera determinata & effectiva, vel saltem exactiva omnium, quæ consequuntur tale compositum, puta ubicationis, situs, durationis, &c. Quod

xvii. Confirmatur: non apparet, cur minùs tale *quantum* sit 1ª radix totalis, quàm ignis, aqua, &c. nam in *quanto* una pars, scilicet materia 1ª. est eadem ac in igne; altera verò, scilicet Quantitas determinat materiam ad quantum, non secus ac forma ignis ad ignem, & est effectiva, vel saltem exactiva omnium, quæ naturaliter consequuntur *quantum*, non secus ac forma ignis omnium, quæ naturaliter ignem consequuntur, ergò, &c.

xviii. Nec responderi potest esse disparitatem, quod videlicet *Quantitas* non sit *pars entis* 1° *& per se à natura intenti*, benè autem forma ignis; quia (inquies) *ens* 1° *& per se à natura intentum* est illud, quod ità est per formam suam completum, ut illâ stante, per aliam naturaliter compleri non possit in esse entis per se; materia verò habens Quantitatem, potest adhuc per aliam formam naturaliter compleri in esse entis per se, puta per formam ignis: ut inquam responderi non potest; quia, quæro quare materia 1ª. habens formam ignis, non possit similiter per Quantitatem naturaliter cõpleri in esse entis per se? Si Resp. 1°. quia Quantitas est forma accidentalis, quæ nõ potest constituere ens per se, petis principiũ. Si Resp. 2° quia, quidquid advenit formę cõpletæ Substantiali, qualis est forma ignis, nõ constituit ens per se, sed accidentale dumtaxat, verũ dicis; sed ulteriùs quæro, quarè forma ignis sit potius forma completa Substantialis, intuitu ignis, quam Quantitas intuitu quanti? dicam enim formam ignis non esse Substantialem; quia non est de constitutione 1æ radicis totalis *quanti*, licèt reperia-

tur in *quanto*, ſicut dicis *Quantitatem* non eſſe Subſtantialem, quia non eſt de conſtitutivo 1æ radicis totalis ignis, licèt reperiatur in igne.

XIX. Nec etiam rectè reſpondet P. Oviedus loco citato, eſſe diſparitatem, in eo ſcilicet quòd forma ignis primariò intendatur propter ignem, quem conſtituit; non verò Quantitas primariò propter *quantum*; calor primariò propter calidum, quod conſtituit; ſed propter ſubjectum, quod non conſtituit, at conſtitutum præſupponit: undè (inquit) eſſe non poteſt Subſtantia, ſed accidens; quia intenditur à natura propter aliud, à quo adæquatè diſtinguitur. Non rectè (inquam) reſpondet P. Oviedus: quid enim aliud eſt, formam ignis primariò à natura intendi propter ignem, quem conſtituit, quam formam ignis primariò à natura intendi, ut ſimul cum materia & unione faciat ignem? verùm illo ſenſu omnes fateri debent, *Quantitatem* primariò à natura intendi, ut faciat *quantum*; nam primariò à natura intenditur, ut ſimul cum materia & unione faciat *quantum*. Deindè ignis non eſt diſtinctus à materia, forma & unione, & forma ignis non intenditur præcisè propter ſe, ergò ut ſimul cum materia & unione faciat ignem, quod *Quantitati* convenit, ut patet. Denique rogo, quarè dicat, Quantitatem, calorem, &c. à materia primariò intendi propter ſubjectum, niſi quia exiguntur & exigunt eſſe in ſubjecto; idem autem eſt de forma ignis reſpectu materiæ 1æ. ergò etiam hæc intenditur propter ſubjectum, non ſecus ac illæ: ſi enim non exigerentur, nec id exigerent; & ſic non intenderentur à materia propter ſubjectum; ſed propter ſe, non ſecus ac ignis A. & ignis B.

XX. Reſpondebis fortè, illa forma eſt de conſtitutivo 1æ radicis, ſive entis 1°. & per ſe à natura intenti, in qua cætera, præter ipſum materiam & ſubſiſtentiam, radicantur. Sed

XXI. Contrà, patet inprimis, Quantitatem, nec exigi, nec radicari in forma Subſtantiali. Deinde reſponſio illa, ſic intelligi debet: illa forma eſt de conſtitutivo 1æ. radicis, &c. in qua cætera, quæ ſunt in tali compoſito præter ipſam materiam & ſubſiſtentiam radicantur, exiguntur, &c. Vndè manifeſtè ſequitur, *Quantitatem* in quanto ex materia & Quantitate, juxta illam reſponſionem, eſſe formam Subſtantialem, imò magis, quàm formæ Subſtantiales; quia, præterquam quòd in quanto omnes formæ accidentales, in ipſa radicentur, & eas inſtar materiæ Subſtantialis exigat; longè plures reſpicit, quàm quælibet forma Subſtantialis in compoſito quod conſtituit.

XXII. Probatur 2°. Reſol. quia obſtat, quòd valdè obſcurum & dubium ſit, quid Authores iſti intelligant per id, quod non intenditur à natura propter aliud adæquatè diſtinctũ. Ratio dubitandi eſt, 1° quòd Deus à natura non intendatur propter aliud aut propter ſe, ſed ſit à ſe, ſinè ulla intentione prævia naturæ agentis, vel non agentis, ut Fides habet, & contrarium eſt hæreticum; Deus tamen eſt perfectiſſima Subſtantia. 2°. quia omne, quod intenditur primariò propter compoſitum, uti intenditur in ſententia P. Oviedi, materia, forma, &c. intenditur propter partes compoſiti (cum ab his non diſtinguatur, ſaltem objectivè) ac proindè partim propter ſe, & partim propter duas alias partes, à quibus adæquatè diſtinguitur; & ita quidem, ut æquè primariò propter illas adæquatè diſtinctas, ac propter ſe à natura intendatur; alioqui non intenderetur primariò propter compoſitum; totum autem id Quantitati reſpectivè ad quantum convenit. 3°. intendat Deus producere Quantitatem & quodlibet aliud accidens ſinè ullo ſubjecto ad manifeſtandam virtutem ſuam (ut facit in V. Sacramento juxtà communem Realium,) Quantitas & quodlibet aliud accidens non intendentur à Natura illa naturarum perfectiſſima propter aliud (videlicet propter ſubjectum vel formam aliam in ſubjecto introducendam, quod ſubintelligit) adæquatè diſtinctum à ſe, ergò erunt Subſtantiæ, abſurda eſt conſequentia: 4°, quia non apparet, quid intendi à natura propter aliud, eſſe poſſit, præterquam ex eſſentia ſua ordinari ad aliud, omnis verò forma, utpotè exigens eſſe in ſubjecto ex eſſentia ſua, ordinatur ad ſubjectum, & nonniſi concomitanter & per accidens ex intentione extrinſeca agentis ad aſſimilandũ ſibi paſsũ, eſt propter compoſitũ vel quidpiã aliud, quæ intentio eſt omninò impertinẽs ad entitatẽ rei faciendam intrinſecè Subſtantiam vel accidens. Ex his

XXIII. Colliges, difficilem eſſe explicationem P. Arriagæ; P. Oviedum verò non inveniſſe & multò minùs præoccupaſſe (ut putat) omnes difficultates, quæ contrà allatam ipſius explicationem congeri poſſunt. Quarè, ſit

Resolutio III.

XXIV. Dico 3°. *Ens per ſe exiſtens, in ſe ſubſiſtens*, &c. commodè explicatur hoc modo, *Ens per ſe exiſtens, in ſe ſubſiſtens*, &c. *eſt id quod, ut quo vel, ut quod, in eo ordine, in quo reponitur, eſt 1° naturaliter affectum formâ, quæ dat eſſe ſubſiſtens.* Hæc Reſolutio omninò videtur Eximii P. Noſtri Bachonis in 1ᵘᵐ Sent. Diſt. 8. art. 2°. ubi ait, *Ratio generis Subſtantiæ non ſumitur ex hoc, quod alicui ſubſtat, ſed ex hoc quod in ſe ſubſiſtit.*

XXV. Dixi 1°. *ut quo*, ut comprehendas ſubſiſtentiam, quæ *ut quo* ſubſiſtit, &, ſi poſitiva, Subſtantia eſt, ut omnes fatentur.

XXVI. Dixi 2°, *ut quod*, ut comprehendas materiam, & formam Subſtantialem à ſubſiſtentia diſtinctam, quæ *ut quod* ſubſtant, ut omnes fatentur.

XXVII. Dixi 3°. *In eo ordine in quo reponitur*; quia in uno ordine entia materialia, ſive quæ materiam concernunt, reponitur; & in alio entia formalia, ſive quæ formam concernunt, ut omnes etiam fatentur.

XXVIII. Dices, hæc explicatio traditur per ſuum definitum: deindè argumenta ſuprà contrà alias Sententias facta, contrà hanc Reſolutionem militant: non enim apparet cur minùs *Quantitas* in compoſito *quantum* ex materia 1ª & Quantitate, ſit id, quod eſt *ut quo*, *vel ut quod realiter immediatè affectum formâ, quæ dat eſſe ſubſiſtens*, quàm forma ignis, ergò, &c.

XXIX. Reſpondeo 1° ad 2ᵃᵐ partem argumenti, omnia correlativa debere per ſuum correlativum definiri; ſic enim *eſſe in loco* definitur per formam conſtituentem eſſe in loco, v. g. eſſe affectum formâ, quæ dat eſſe in loco; item *eſſe in tempore*, per formam conſtituentem eſſe in tempore, ut, eſſe affectum formâ, quæ dat eſſe in tempore: denique *eſſe patrem*, per filium, ut, pater eſt filii pater.

XXX. Reſpondeo 2°. ad 2ᵃᵐ partem, negando, argumenta contrà alias Sententias facta, contrà hanc Reſolutionem militare; quia in hac Reſolutione, illa ſola ſunt Subſtantiæ, quæ in ſuo genere ſive ordine ſunt, *ut quò vel ut quòd naturaliter affecta formâ, quæ dat eſſe ſubſiſtens*; in genere

re autem entium materialium (id est, quæ in ordine, in quo ponitur materia, reponuntur) materia 1ª. saltem *ut quod* 1°. naturaliter est affecta formâ, quæ dat esse subsistens; & in genere entium formalium, (id est, quæ in eo ordine, in quo ponitur forma, reponuntur) forma Substantialis, saltem *ut quod* 1° naturaliter est affecta formâ, quæ dat esse subsistens, ut omnes fatentur. Vndè ad argumentum directè Respondeo, *Quantitatem* in composito *quantum* ex materia 1ª & Quantitate, minùs esse affectam formâ, quæ dat esse subsistens, quàm formam ignis; quia in eo ordine reponitur, in quo ponitur materia, utpotè materiæ proprietas, & materia est in eo ordine, saltem *ut quòd* 1° naturaliter affecta formâ, quæ dat esse subsistens: forma autem ignis, utpotè in ordine, in quo forma reponitur, posita, est saltem *ut quòd* in eo ordine 1°. naturaliter affecta formâ, quæ dat esse subsistens, ut omnes fateri tenentur. Si autem quæras, cur albedo v. g. in *albo* ex materia 1ª & albedine non tam censeatur 1ò naturaliter affecta formâ, quæ dat esse subsistens, quàm forma ignis in composito ex materia 1ª & ipsa. Respondeo (quandoquidem, ut probabimus in Physica, experientia non convincat in igne, & sic de aliis, dari formam Substantialem) Rationem debere sumi ex communi sensu, quo omnes fatentur, formam ignis 1° in suo ordine, id est, in ordine formarum, naturaliter affici formâ, quæ dat esse subsistens; non ita albedinem, ut etiam omnes fatentur; ita autem affici formâ, quæ dat esse subsistens, est propriù Substantiæ, ut omnes unanimiter asserunt.

XXXI. Probatur itaque Resolutio nostra 1o refutatione aliarum sententiarum, & objectionis præcedentis solutione, quæ unica contrà nostram Resolutionem vim habere posse videtur, ergò, &c.

XXXII. Probatur 2°. ex Etymologia nominis *subsistens*; Authoritate Augustini, qui lib. de cognit. ver. vit. cap. 2°. docet, Substantiam esse, *quæ substat omnibus accidentibus* (puta talis compositi) & Aristotelis, qui sic definivit Substantiam *esse ens per se existens*, ut tamen formas Substantiales agnoverit; undè necessariò sic intelligi debet, ut per ly *per se existens* intelligat 1° *existens in suo ordine*, quod æquivalet 1o. *ut quo, vel ut quod subsistens in suo ordine*; quod *subsistens* procul dubio agnoverunt Aristoteles & Antiqui Philosophi, quidquid dicat P. Comptonus Disp. 7. Metaph. Sect. 2. num. 5°. ergò, &c. Ex his autem

XXXIII. Colliges, accidens esse, quidquid in suo ordine præsupponit ens affectum *ut quo*, vel ens affectum *ut quod* formâ, *Quæ dat esse subsistens*. Ac proindè illud esse in subjecto inhæsionis, quod est in eo, quod, in suo ordine *ut quo* vel *ut quod* subsistens, sibi præsupponitur; undè definitionis entis, quod, juxtà Aristotelem lib. 1°. Prædicament. Divis. 2ª. est in subjecto inhæsionis, hic est sensus, *Illud est in subjecto inhæsionis, quod est in alio sui ordinis, & non ut pars ejus essentialis, vel integralis, & tamen ita necessario, ut sinè eo naturaliter esse non possit.*

DVBIVM II.

Quid sit substantia Prædicamentalis.

RESOLUTIO.

XXXIV. Dico, substantia prædicamentalis est omne individuum entis per se subsistentis totalis, sive omne individuum completum, quod per se totaliter subsistit, & quidquid de eo prædicatur *in quid*, in recta linea Prædicamentali, ut comprehendas *Species*, & *Genera*.

XXXV. Probatur, quia substantia Prædicamentalis est substantia completa; sed omne individuum dictum, & quidquid de illo prædicatur *in quid* in recta linea Prædicamentali, est talis substantia, ergò, &c.

DVBIVM III.

Qualis sit divisio Substantiæ in 1ᵃᵐ. & 2ᵃᵐ.

ANtè Resolutionem

XXXVI. Adverte, Philosophi mentem circà hanc divisionem valdè obscuram esse, hinc què fieri, quòd quisq; pro suo beneplacito, hoc vel illud divisum, in hac divisione assignet. Refellam quod communiùs dicitur, & subdam breviter, quod censeo. Quarè sit

RESOLUTIO I.

XXXVII. Dico 1ò. allata divisio non est subjecti in accidentia, hoc sensu, quòd Substantia secundum se dividatur in singularem & universalem, neque (ut communiùs volunt Thomistæ) quòd Substantia Prædicamentalis considerata præcisè secundùm suam essentiam dividatur in duos diversos modos Substandi accidentibus, *primariò* scilicet *ac individualiter*, & *secundariò ac universaliter*.

XXXVIII. Probatur 1ª. pars, quia Substantia secundum se, est Substantia in communi & abstracta, formaliter per mentem, ut constat ex dictis de universalibus, quo posito, sic argumentor. Vel Substantia secundum se dividitur in universalem & singularem, formaliter ut abstracta, vel materialiter. Si 1ᵘᵐ. divisum (ut patet) est unum è membris dividentibus, scilicet universalis sive 2ª. si 2ᵘᵐ. utpotè individua ipsa, est alterum, scilicet 1ª. sive singularis; ergò divisio allata tamquam subjecti in accidentia, hoc sensu, quod fit divisio Substantiæ secundum se, in universalem & singularem, nulla est; quia divisum non præscindit perfectè à membris dividentibus.

XXXIX. Confirmatur, etiam dato, quòd Substantia secundum se, sit divisum, adhuc allata divisio non erit subjecti in accidentia, ergò, &c.

XL. Probatur assumptum, quia alterum membrum, scilicet Substantia singularis, se non habet ut accidens respectu Substantiæ secundum se; sed ut Petrus respectu hominis, qui est inferius illius, ergò, &c. Probatur hoc antecedens, quia Substantia 1ª, ex mente Aristotelis, est illa, quæ Physicè & realiter, ac proindè primariò, subsistat accidentibus; non verò illa, quæ est per intentionem 1ªm formalem individuantem, concepta ut singularis, quæ sola non est inferius Substantiæ secundum se, sed accidens, ut patet, ergò, &c.

XLI. Objicies tamen, Substantia secundum se est quidem Substantia in communi & abstracta, in actu exercito, non tamen in actu signato, qualis est 2ª. sive universalis. Vndè divisum adhuc perfectè præscindit ab altero membro dividente, ergò est bona divisio illius in duo accidentia.

XLII. Respondeo 1°. transeat antecedens, nego consequentiam: nam saltem manet, quòd ex parte alterius membri dividentis non fit divisio in accidentia, ut patet ex confirmatione, num. 39. & 40. allata.

XLIII. Respondeo 2°, vel Substantiam secundum se dividi ut Vniversalem reduplicativè seu formaliter, vel specificative seu materialiter; ità ut illa, quæ est Vniversalis in actu exercito dividatur. Si 1um, nequit dividi in 1am seu singularem Substantiam, quia 1a non est Vniversalis ut Vniversalis reduplicativè, sed specificativè ut summum: si 2um, nequit dividi in 2am, quia ut sic est 1a. nam Substantia Vniversalis ut Vniversalis specificativè, est multæ singulares & 1a, aptæ concipi conceptu universalificante, quæ sunt unum è membris dividentibus, & dividi non possunt in 2am, sive Vniversalem in actu signato, ut patet. Quòd autem aliqui adferunt ex D. Thoma, Substantiam secundum se non dicere nisi prædicata sua essentialia, inter illa includunt hæcceitatem, vel omninò falsum est; quia præterquam quòd suprà Disp. 4. de Specie Dub. 2°. ostenderimus, hæcceitatem esse magis rigorosè essentialem, quàm sit Differentia specifica, omnia prædicata essentialia ex parte objecti sive naturæ sunt formalissimè *hoc*, ut probatum est Tract. 1°. Disp. 2a Dub. 4° & Tract. 2°. Disp. 5a. de Individuo Dub. 3°. nisi sumantur formaliter ut confusè concepta in actu exercito; verùm hoc modo sunt unum ex membris dividentibus, ut constat ex dictis.

XLIV. Probatur 2°. quia Substantia prædicamentalis considerata præcisè secundum essentiam est in communi & abstracta, ut patet ex dictis. Quo posito, sic argumentor, vel Substantia præcisè considerata secundum essentiam, dividitur in modos subst andi Accidentibus *primariò & individualiter*, ac *secundariò & Vniversaliter*, formaliter ut in communi & abstracta, vel materialiter? si 1um. ergò divisum includit unum è membris dividentibus, scilicet modum subst andi accidentibus *secundariò & Vniversaliter*: Si 2um, ergò includit alterum scilicet modum subst andi accidentibus *primariò & individualiter*, quia ut sic est ipsæ Substantiæ singulares, ut diximus. Ergò divisio Substantiæ præcisè consideratæ secundum essentiam tamquam Substantiæ in duos subst andi accidentibus modos, *primariò* scilicet *& individualiter*, *& secundariò ac Vniversaliter* nulla est, propter ra ionem suprà datam. Ex his

XLV. Colliges allatam divisionem nullatenus esse communem univocam in duo univoca univocata, quia hæc deberet aliquid addere suprà rationem communem, & prætereà illa ab illis perfectè præscindere, quæ hîc non reperiuntur.

Resolutio II.

XLVI. Dico 2b. allata divisio non est vera divisio, sed enumeratio Subitantiarum, quæ sub Substantia principe sive supremo Genere collocantur, quasi diceretur; sub Substantia prædicamentali in Genere, alia est Vniversalis, alia singularis; sub Platone, alius secundus Discipulus, alius primus, &c.

XLVII. Probatur, quia ut Resolutione 1a. probatum est, non apparet quodnam ibi sit divisum & qualis sit divisio, ergò, &c.

DISPVTATIO SECVNDA

De Quantitate.

DVBIVM I.

Quæ divisiones Quantitatis.

XLVIII. NVllam definitionem Quantitatis hîc tradit Aristoteles, sed ad illius divisiones immediatè procedit. Quarè, sit

Resolutio.

XLIX. Dico Quantitas dividitur 1°. in discretam & continuam.

L. Discreta *est cujus partes nullo termino communi copulantur*, ut binarius, ternarius, &c.

LI. Continua è contrà *cujus partes termino communi copulantur*, ut linea, superficies, &c. Vbi per *terminum* aliquid indivisibile intellige; vel simpliciter, ut instans in tempore, punctum in linea; vel secundum quid, id est, secundum unam dimensionem, ut linea in superficie, superficies in corpore: hæc autem dicuntur *terminus communis*, quia sunt finis unius partis, & initium alterius.

LII. Quantitas Discreta subdividitur in successivam & permanentem. Discreta successiva *est cujus partes, nec termino communi copulantur, nec possunt esse simul*, ut oratio.

LIII. Discreta permanens *est cujus partes non copulantur termino communi, sed tamen possunt esse simul*, ut numerus rerum permanentium, qui ulterius subdividi potest in binarium, ternarium, &c.

LIV. Quantitas continua etiam subdividitur in successivam & permanentem.

LV. Continua successiva *est cujus quidem partes termino communi copulantur, sed non possunt esse simul*, ut tempus.

LVI. Continua permanens *est cujus partes termino communi copulantur, & possunt esse simul*, ut linea. Quantitates autem continuas Aristoteles quinque adfert; lineam scilicet, superficiem, corpus, locum & tempus.

LVII. Linea *est res longa, carens latitudine & profunditate, cujus partes puncto copulantur.*

LVIII. Superficies *est res longa & lata, carens profunditate, cujus partes linea copulantur.*

LIX. Corpus *est res sive longitudo* (ut excludas corpus completum de prædicamento substantiæ, & incompletum partem viventis) *lata & profunda, cujus partes superficie copulantur.* Pro quibus

LX. Nota Mathematicos, ut faciliùs quid linea, superficies & corpus concipiant, rectè sibi repræsentare ex recto fluxu puncti fieri lineam, ex fluxu lineæ superficiem, & ex fluxu superficiei corpus.

LXI. Locus *est superficies corporis continentis locatum*, ut v. g. aëris superficies, quæ proximè ambit turrim.

LXII. Tempus denique *est quantitas successiva, cujus partes instanti copulantur*: partes autem temporis sunt præteritum, præsens & futurum.

LXIII. Dividitur 2°. Quantitas in Quantitatem

per

per se, & Quantitatem per accidens. Quantitas per se *est, quæ est Quantitas essentialiter & ratione sui præcisè*, ut linea, tempus, &c.

LXIV. Quantitas per accidens *est, quæ ratione alterius & non ratione sui præcisè, est quantitas*, sic albedo ratione superficiei in qua recipitur, est quantitas.

LXV. Dividitur 3°. in Quantitatem habentem positionem partium, sive situm, & in non habentem; ad hunc autem situm duo requirunt Philosophi, continuationem scilicet & cõexistentiam partium; hinc linea, superficies, &c. sunt Quantitates habentes positionem partium; numerus verò & locus non habentes.

DVBIVM II.

An Quantitas molis sit accidens aliquod realiter distinctum à materia 1ª.

Resolutio.

LXVI. Dico, cum Nominalibus, Okamo in 4^um^ q. 4. & quodlib. 4° a. q. 29. Gabriele in 4^um^ dist. 10. q. unicâ. Majore in 2^um^ dist. 12. Eximo P. Nostro Bachone in 3^um^ dist. 15. art. 2° §° 3°. ubi ait, *Corpus de Genere substantiæ formaliter ex seipso habet partem extra partem & non tantùm per Quantitatem* (puta situalẽ) *quæ est accidens*. Hancq; Sententiam putat P. Arriaga Disp. 5ª Metaph. n. 10. probabiliorem contra Scotistas & Thomistas & Suarez è Societate, Hurtadum, Oviedum, Comptonum & Anthonium Rubium (qui non satis consideratè, ut posteà patebit, ait, affirmativam esse in Philosophia evidentem, & negativam è contrà (fide suppositâ) ægrè aut nullo modo defendi posse) Quantitas molis non est Accidens aliquod realiter distinctum à materia 1ª.

LXVII. Probatur 1°. quia, ea realiter identificantur, & fruſtrà realiter multiplicantur, aut dividuntur, quorum nulla sunt signa realis distinctionis; sed talia non sunt materiæ 1ª & Quantitatis, ergò, &c. major patet; quia alioqui frustra essent illa signa, nec realiter identificata à realiter distinctis discernere possemus, ut consideranti patebit. Probatur minor, quia si aliqua essent talia, maximè ex mysterio Eucharistiæ deducerentur; sed ex illo deduci non possunt: probatur hæc minor, quia independenter à mysterio isto, probanda est realis distinctio Quantitatis à materia, quandoquidem illud solum convincat abesse materiam v. g. & remanere quantitatem situalem accidentium, quæ semper in eodem statu permanet, quamdiu virtute agentis circumstantis, (quod semper habet concursum Dei paratum ad augendum per rarefactionem vel aliter, aut minuendum per condensationem, vel aliter, extensionem illam situalem specierum, ut experientia docet) non augetur aut minuitur. Vndè extensio ista potius refundi debet in defectum talis agentis, quàm in Quantitatem molis ab ea realiter distinctam: sicut enim materia 1ª. sinè Quantitate realiter à se distincta retinet 1^am^. Quantitatem situalem, quam à Deo in creatione accepit, donec virtute agentis circumstantis augeatur aut minuatur, ità & illa Accidentia, ergò, &c.

LXVIII. Dices, fortè hinc sequi 1°. nullam dari Quantitatem molis distinctam realiter ab entitate cujuslibet entis materialis: 2°. materiam 1^am^. nonnisi per Accidens & ob defectum circumstantis agentis potentis ejus extensionem situalem augere vel minuere, habere tantam vel tantam extensionem situalem; non verò ex Propria exigentia intrinseca; sic ut, quòd ad punctum materialiter non reducatur, non procedat ab intrinseco, sed ex defectu extrinseco, undè penetratio dimensionum in Eucharistia, non erit miraculosa: hæc autem sunt contrà omnium authoritatem, & periculosa, ergò, &c.

LXIX. Respondeo ad 1^am^. sequelam, multitudinem quidem partium esse de essentia materiæ sive corporis, prout spiritui opponitur; juxta illud Eximii P. Nostri Bachonis in 3^um^ Dist. 15. art. 2° §° 3°. *Definitio corporis est, quod est illud, quod extenditur, quoad omnes partes secundum Commentatorem 3° Phys. Comm. 43° ergò repugnat quòd sit corpus, nisi intelligatur habere partes extra partes actuali extensione & formali, & non virtuali tantùm.* Quantitatem autem molis realiter distinctam ab entitate cujuslibet entis materialis minimè agnoscendã puto; quandoquidem totum, quod Quantitas faceret, satis salvetur in Quantitate situali, in esse tantæ vel tantæ extensionis, determinata ab ipso producente entitatem materialem, & defectu agentis circumstantis, potentis illam extensionem situalem augere vel minuere; ut quid enim entia sinè necessitate multiplicare, & miracula, pro separatione reali istius Quantitatis à materia, de quo iterum infrà?

LXX. Respondeo 2o. concedendo 2^am^. sequelam, sed nego indè sequi penetrationem dimensionum ultrà naturalem virtutem agentium circumstantium, qualis est in Eucharistia, non esse miraculosam. Hinc

LXXI. Colliges, contrà alios, tantùm abesse, ut multiplicemus hîc miracula, quin potius ea omninò minuimus, præsertim cùm aliundè ibi remanere potentiam receptivam instrumentalem à materia realiter distinctam supponamus, de quo Disp. 2ª. Physic. Dub. 4°. Tract. 1ª.

LXXII. Probatur 2°. si Quantitas molis esset realiter distincta à materia 1ª, necessariò præsupponeret materiam quantam actu entitativè, ut omnes Adversarii fatentur. Sed hoc dici non potest, ergò, &c. Probatur minor; quia, cùm eodem modo se habeat albedo v. g. formalis ad subjectum suum, quo Quantitas formalis ad entitativam, albedo præsupponere deberet parietem entitativè actu album, & consequenter peccatum animam hominis entitativè actu peccatricem, &c. sicut Quantitas formalis præsupponit materiam entitativè actu quantam; fruſtrà autem in forma duo realiter distinguuntur formale & materiale, nec ulla est necessitas agnoscendi albedinem unam v. g. quæ sit entitativè albedo & non formaliter, & aliam, quæ sit entitativè & formaliter albedo, quod fieri, propter rationis paritatem, deberet: imò absurdum videtur, animam Christi fuisse actu entitativè peccatricem, quod tamen indè sequitur, ergò, &c.

LXXIII. Dices fortè materiam 1^am^ independenter à Quantitate formali non habere partes, ità Soncinas 5°. Metaph. quæst. 22. & plerique Thomistæ, ergò, &c.

LXXIV. Respondeo, negando assumptum, quia transubstantiari potest media tantùm pars panis, eâdem Quantitate remanente; item & corrumpi media pars aliâ remanente simul cum tota Quanti-

tate, ergò in se independenter à Quantitate, habet partes; alioqui deberet simul perire media pars Quantitatis, quod non sit, nec necessarium est fieri, cùm à Substantia panis realiter distinguatur. Deindè media pars panis potest conservari cum Quantitate, & media, sinè quo casu, quæro an illa pars, quæ fuerit sinè Quantitate fuerit Substantialiter eadem cum illa, quæ fuerit cum Quantitate? Respondere non potes, esse partem eamdem, quia non est sub eadem Quantitate, quod, secundum te requiritur, ad habendum partem eamdem. Nec etiam respondere potes, esse partem diversam; quia una non est sub Quantitate, &, per te, ratio partis habetur à Quantitate. Vndè non video, quid aliud respondere possis, quàm quòd una pars non sit pars quanta, sicut alia, licèt una pars sit Substantialis, sicut alia. Ex quo clarè sequitur intentum, ergò, &c. Hinc

LXXV. Colliges, contrà Pleroſque Thomistas, etiam independenter à Quantitate molis realiter distincta, in omnium sententia admittendas esse partes actu in materia 1ª. ut profundè Docet Noster Bacho, loco suprà citato.

LXXVI. Probatur 3°. Quantitas molis realiter distincta, inventa & inducta est à Philosophis Christianis, contrà omnem rationem naturalem, ad vitanda miracula in V. Sacramento, quæ alioqui admittere oporteret propemodum infinita: sed hoc motivum est omninò insufficiens, ergò, &c.

LXXVII. Probatur minor 1°. quia si ad vitanda miracula liceat contrà omnem rationem naturalem inducere ens aliquod novum & inauditum, sive Quantitatem novam; oportebit infinitas Quantitates molis solo numero distinctas simul in eadem materia admittere, modo quodam incorruptibili, ac proindè inintelligibili, quod sic probo: quia sicut destructâ in Consecratione Eucharistica materiâ panis, ibi inducitur nova & anteà inaudita Quantitas, nè alioqui omnia accidentia sint sinè subjecto, & sic multiplicentur sinè fine miracula; ità, casu quo Deus simul cum materia panis destrueret Quantitatem, oportet novam & anteà inauditam inducere; & ulteriùs, casu quo 1ªm Quantitatem, & hanc 2ªm novam simul cum materia panis destrueret, oporteret aliam 3ªm inducere, & sic in infinitum, ne alioqui sinè fine multiplicentur dicta miracula; quæ si tandem in aliqua destructione, necessariò debere multiplicari admittas, admittere debes necessariò multiplicari in 1ª. destructione panis, ne has Quantitates infinitas contrà communem rationem admittere debeas, ergò, &c.

LXXVIII. Probatur minor 2°. si ad vitanda miracula, quæ consequerentur privationem Quantitatis in V. Sacramento, oporteat admittere, Quantitatem realiter distinctam à Substantia remanere; similiter ad vitanda miracula antecedentia conservationem Quantitatis sinè subjecto in eodem V. Sacramento, oportebit admittere agens naturale, naturaliter destruens per verba consecratoria materiam panis & naturaliter producens sub speciebus Eucharisticis Corpus Christi (& sic de aliis, quæ Theologi Catholici judicant unanimiter miraculosè fieri) quod nullus admiserit, ergò, &c.

LXXIX. Probatur hæc sequela; quia cùm Deus sit infinitè potens, non est ipsi difficilius aut molestius mille & mille miracula facere, quàm unum vel duo, ergò si ad vitanda miracula consequentia oporteat admittere Quantitatem, &c. oportebit etiam admittere agens naturale, &c. ad vitanda dicta miracula antecedentia; vel si hoc non oporteat admittere, neque Quantitatem, &c. admittere oportebit, propter rationis paritatem, ergò, &c.

LXXX. Dices 1°, ad tegendum miracula, quæ in Eucharistiæ Sacramento fiunt, necessariò recurri debet ad Quantitatem tamquam subjectum; licèt ad eam non recurratur ad tegendum miraculum destructionis panis, & conversionis illius in Corpus Christi; sic ut hæc dicantur fieri naturaliter ad tegenda miracula istius destructionis & conversionis; sicut Quantitas ibi dicitur esse naturaliter, &c. quia hæc excedunt vires naturæ; illud verò, puta ibi esse Quantitatem, non, ergò, &c.

LXXXI. Respondeo 1°. quærendo, cur miraculum illud tegi debeat, potiùs quàm miracula destructionis panis, & conversionis illius in Corpus Christi?

LXXXII. Respondeo 2°. illud sufficienter tegi per potentiam instrumentalem receptivam materiæ, ab ea realiter distinctam, de qua Disp. 2. Physic. Dub. 4°. Tract. 2i.

LXXXIII. Respondeo 3°. sive remanserit, sive non remanserit Quantitas realiter distincta; equidem miraculum non magis tegi, quàm experientiâ manifestum sit, ibi esse miraculum & Substantiam panis esse destructam, quod experientiâ manifestum non est; aut (si agatur ex supposito fidei, quòd materia destructa sit) magis, quàm experientia doceat, accidentia non conservari miraculosè sinè subjecto, sed in Quantitate miraculosè conservata sinè subjecto, quod experientia non docet.

LXXXIV. Respondeo 4°. si ad tegendum miraculum existentiæ, &c. adstrui possit existentia creaturæ, alioqui non habentis vestigium in natura; cur similiter adstrui non poterit, ad tegendum miraculum destructionis, conversionis, &c. potentia destructiva & conversiva creaturæ, alioqui non habentis vestigium in natura? si enim illud præcisè ob miraculum tegendum non dicatur excedere vires naturæ; ità hoc præcisè ob tegendum miraculum, dici non debet excedere vires naturæ, ob rationis præcisam paritatem. Vndè quòd unum excedat vires naturæ, aliud non, desumi debet aliundè, quàm ex hac ratione, *ad vitandum miraculum*, quæ in utroque casu æquè militat.

LXXXV. Dices 2°. licèt illa Quantitas molis à materia realiter distincta admittatur, non ideò oportet admittere infinitas in eadem materia: quia licut, si Deus auferret à Petro subsistentiam propriam, secundum leges naturæ teneretur aliam illi substituere; ità & de Quantitate, si eam auferret. Deinde sicut nullus ob illud dicit in Petro fuisse infinitas subsistentias; ita nec dici debet ob hoc esse in materia infinitas Quantitates realiter distinctas.

LXXXVI. Respondeo negando assumptum, ad ejus probationem, respondeo esse disparitatem; eò quòd nullus dicat præcisè admittendam subsistentiam à natura Petri realiter distinctam, quia Deus tenetur secundum legem naturæ eam illi dare, prout Adversarii dicunt præcisè ad vitanda Eucharistiæ miracula admittendam Quantitatem à materia realiter distinctam: si enim illud dicerent, etiam oporteret in Petro infinitas subsistentias admittere, sic ut destructâ 1ª. præcisè admissâ, quia Deus tenetur secundum legem naturæ eam dare; alia præcisè supponi deberet, quia Deus tenetur præcisè secun-

cundum legem naturæ, aliam dare, & sic in infinitum: quia perseverante eâdem necessitate præcisè propter quam forma admittitur, eadem vel alia ejusdem rationis perseverare debet, saltem naturaliter.

Solutio Objectionum.

LXXXVII. Objicies 1°. ex Aristotele 7°. Metaph. Text. 7°. *Longitudo, latitudo & profunditas sunt Quantitates & non Substantiæ, Quantias enim non est Substantia.* Idem repetit Text. 8°. ergò falsa nostra Resolutio, & consequenter falsum est, quod probatione 2ª. assumptum est, scilicet, Quantitatem realiter distinctam à Substantia, esse contrà rationem naturalem, & antè Eucharistiæ miraculum inauditam,

LXXXVIII. Respondeo, ex Aristotele nihil posse contrà nos concludi; quia in Prædicamentis distinguit Relationem à Substantia & Qualitate, Actionem à Passione, Situm ab Vbi; non quidem realiter, ut omnes fatentur, ergò solâ ratione nostrâ. Vndè consequenter, ad locum citatum, & similia, responderi potest, longitudinem, latitudinem & profunditatem esse Quantitates ratione nostrâ distinctas à Substantia, ac proindè *non Substantias* (ut ait) ratione nostrâ: cum quo stat, illas à Substantia realiter non distingui.

LXXXIX. Adde tamen, Aristotelem quoad Prædicamenta non exactè omnia inquisivisse; sed nobis utiliter de multis dubitandum, & consequenter resolvendum, reliquisse; uti expressè fatetur in fine Prædicamenti Relationis his verbis: *Fortasse autem difficile sit de hujusmodi rebus confidenter declarare, nisi sæpè pertractata sint; dubitare autem de singulis, non erit inutile.*

LXXXX. Objicies 2°. materia exigit aliquam proprietatem realiter à se distinctam, quæ sit proxima ejus potentia, & instrumentum passivum ad recipienda alia accidentia; sed illud commodè assignatur Quantitas molis, ergò, &c.

LXXXXI. Confirmatur, formæ habent proprietates suas realiter à se distinctas, ergò & materia.

LXXXXII. Respondeo negando majorem; nam sicut materia per se immediatè potest recipere Quantitatem molis secundum se, ità poterit illa accidentia; meliùs tamen dicitur illa recipi in potentia instrumentali materiæ, de qua paulò infrà.

LXXXXIII. Ad confirmationem, præterquam quòd à forma ad materiam nulla sit consequentia, Respondeo: transeat major, quia solùm vera est in aliquibus formis, ut in Physica patebit: nego consequentiam, ad propritates enim in quibusdam formis admittendas, ut igne, aqua, &c. experientia nos cogit: de Quantitate autem molis realiter distincta nullam experientiam habemus; sed potiùs certam, secundum lumen naturæ, repugnantiam.

LXXXXIV. Objicies 3°, in Eucharistia Quantitas realiter separatur à Substantia, ergò distinguitur realiter ab illa. Probatur antecedens: quia de Fide est ibi desinere Substantiam panis, & videtur remanere Quantitas tamquam subjectum cæterarum specierum, puta coloris, saporis, odoris, &c. aliàs omnes crearentur; omnes se statim penetrarent; & unius hostiæ consecraræ species alterius hostiæ species, contrà experientiam similiter, penetrarent, imò & Corporale, manum Sacerdotis, &c. defectu Quantitatis, à qua habetur impenetrabilitas, etiam secundum nos, ergò, &c.

LXXXXV. Respondeo distinguendo assumptum: Quantitas Substantiæ realiter separatur à Substantia, nego assumptum: accidentium, concedo assumptum. Sed hinc tantùm sequitur, ipsa accidentia esse sibi ipsi Quantitatem, vel potiùs non agnoscendam pro illis Quantitatem realiter distinctam, magis quàm agnosci debeat realiter distincta à materia 1ª. ut patet ex dictis probatione 1ª. Ad ejus probationem pro 2ª parte, Respondeo ibi remanere potentiam receptivam instrumentalem materiæ, tamquam subjectum cæterorum accidentium, de qua potentia aliquid in Physica Tract. 2°. Disp. 1ª. Dub. 4°. Ex quo liquet, species Eucharisticas posse calefieri, frigefieri, intendi, condensari, &c. naturaliter, licèt sub illis nulla sit Quantitas; haud secus quàm si existerent in materia, vel unico facto conservationis istius potentiæ instrumentalis extrà subjectum miraculo. Licèt tamen hæc potentia (quæ aliis videtur paradoxa) non esset, mallem dicere, in Eucharistia tot esse miracula, quot accidentia, nec illa posse calefieri, frigefieri, &c. nisi per elevationem agentis naturalis miraculosam, & sic dicere cum Psalmista: *Memoriam* ibi Deus *fecit mirabilium suorum*; quàm præcisè ad vitanda ista miracula ibi, fingere unam Quantitatem realiter distinctam, quæ sui vestigium aut signum ullum in natura non habet, & infinitas novas sinè necessitate in naturam invehit, ob rationes præmissas.

DVBIVM III.

In quonam consistat ratio-formalis Quantitatis Prædicamentalis.

LXXXXVI. Antè Resolutionem Suppono 1°, ex communi Philosophorum sensu, rationem formalem Quantitatis generaliter sumptæ consistere in extensione partium, ita ut generaliter illud dici possit quantum, quod habet aliquam partium extensionem; & de hac intelligi potest Aristoteles in Textu.

LXXXXVII. Suppono 2° partium extensionem esse triplicem. 1ª. dicitur entitativa, & nihilaliud est, quàm multitudo partium. 2ª. Quantitativa, & est forma, à qua subjectum est proximè exigens partes extrà partes localiter, sive situaliter cum impenetrabilitate, & hæc rectè dicitur Quantitas molis. 3ª. est extensio situalis sive localis, quæ nihil aliud est, quàm forma, à qua subjectum habet partes actu extrà partes localiter.

LXXXXVIII. Suppono 3°. Quantitatem, quam vocant virtutis, non esse nisi impropriè dictam Quantitatem, cùm sit perfectio intrinseca cujuslibet entis.

LXXXXIX. Suppono 4°. Philosophum quidem hîc nullam tradere definitionem Quantitatis generaliter sumptæ, sed statim ab enumerandis Quantitatibus orditi; verumtamen hanc ab ipso 5°. Metaph. tradi. *Quantum est, quod est divisibile in ea, quæ insunt, quorum utrumque vel unumquodque, unum quid & hoc aliquid aptum est esse.* Descriptio autem, quam alii referunt, scilicet *Quantitas est forma accidentalis, à qua aliquid dicitur quantum, & aliqua dicuntur aliquot*, obscura est, & vix notior definito, nam æquè

ignora-

ignoratur, quid sit *quantum* & *aliquot*, quàm quid *Quantitas*.

c. Suppono 5ò. Corporeum sive materiale rectè definiri, quod extensum habet partes extensas, id est extrà invicem realiter. Incorporeum verò sive Spirituale, quod extensum non habet partes extensas, id est, extrà invicem realiter. Quidquid enim plures alii contrà sentiãt, hæ definitiones sunt claræ, & omninò conformes Augustino Tom. 4°. lib. 2. de Incarnatione ad Medium: *Impossibile namque est de Incorporeo divisionem aliquam fieri.* Item & primario nostro modo apprehendendi corporeum & spirituale, fundanturque in modo existendi; tum Substantiæ corporeæ, scilicet, tota in toto & secundum quamlibet partem sui in qualibet parte loci; tum Substantiæ spiritualis, scilicet, tota in toto, & tota in qualibet parte loci. Definitiones autem, quas adferunt è Recentioribus PP. Arriaga, Oviedus, Poncius & alii antiquiores, graves patiuntur difficultates. Si enim, cum illis, corpus (& idem est de Spiritu & spirituali ex oppositio) definias *Substantiam impenetrabilem in se penetratione partis cum parte, aut cum simili Substantia*; & corporeum, *Id quod in corpore connaturaliter subjectatur*; (præterquam quod Disp. 5ª. de Generatione ostendemus condensationẽ debere fieri per penetrationẽ partium) corpus, quod sit naturâ suâ penetrabile (de quo disp. 3. Physicæ) erit spiritus. Deindè non est cur materia considerata in statu præcisionis ab hac, non dividatur in exigentem Quantitatem molis, & exigentem subtilitatem, quâ donantur corpora gloriosa; hæc autem est penetrabilis in se penetratione partis cum parte, & cum aliis similibus. Deniq; non est ratio, cur potiùs materia 1ª. dicatur corpus incompletum, quàm forma materialis; & sicut anima rationalis rectè dicitur spiritus, ità anima equi v. g. rectè dicetur corpus incompletum; hæc autem est penetrabilis in se, penetratione partis cum parte, aut cum simili Substantia sive forma; si enim cum materia sit penetrabilis, à fortiori erit penetrabilis cum simili forma.

c1. Nec dicas, illud dici corpus, quod exigit Quãtitatem: quia datur corpus, quod non exigit Quantitatem; forma v. g. nec est quarè potius illud, quod exigit Quantitatem sit corpus, quàm illud quod exigit esse in Quantitate; nam utrique definitio corporis, ut præcisè opponitur spiritui in genere convenit; & uti quod habet rationem formæ inter spiritus, tam dicitur spiritus, quàm id quod habet rationem subjecti; ita, &c. Quòd autem corporeum, malè etiam ità definiatur: Ratio est; quia cum ex eo, quòd anima nostra spiritualis in corporè connaturaliter adhæsivè subjectetur, & tamen sit spiritualis, & non corporea, rectè inferatur, possibilem esse formam corpoream, quæ connaturaliter in spiritu subjectetur, & tamen sit corporea, & non Spiritualis (imò talem formã puto esse ubi divisibile Angeli:) ex eo quòd aliqua forma in corpore aut spiritu connaturaliter ut sic subjectetur, sive inhæsivè & sustentativè, sive adhæsivè tantùm, malè infertur corporeitas, aut spiritualitas formæ.

c11. Dixi, *Inhæsivè & sustentativè, sive adhæsivè tantùm*; quia inhærentia, sustentatio & adhæsio tantùm, impertinenter se habent ad corporeitatem & spiritualitatem; quia datur forma spiritualis, quæ inhæret & sustentatur, ut gratia sanctificans respectu animæ Iusti; & datur quæ adhæret tantùm, ut anima nostra respectu corporis nostri; item datur forma corporea, quæ adhæret tantùm, ut corpus respectu animæ nostræ, à quo anima nostra denominatur corporata; & denique datur quæ inhæret ac sustentatur, ut anima equi respectu corporis ejusdem.

c111. Nec dicas, omnes formas in esse pendentes à materia, sive quæ separatione ab illa, desinunt, ab omnibus Philosophis dici materiales & corporeas: quia (præterquam quòd non dicantur materiales & corporeæ, quia à materia in esse pendent, & separatione ab illa, desinunt; quia cùm de eo nihil certi habeatur; id finè fundamento diceretur; sed è contrà à materia pendere & separatione ab illa, desinere dicuntur, quia sunt corporeæ; quod omninò supponitur ex eo, quòd Fide non constet esse spirituales & immateriales, &c. nec argumento alio probatur, quàm quia spiritualitas & immaterialitas extendi non debet, nisi ad ea, quæ Fides docet esse spiritualia & immaterialia) neutrum rectè dicitur, nisi sub hac distinctione; sunt materiales prout ly *materiale* sive *corporeum* opponitur *immateriali* sive *incorporeo*, sumpto pro eo quod à materia non pendet, sive quod separatione ab illa, non desinit, concedo: prout ly *materiale* opponitur *immateriali*, &c. sumpto pro eo, quod spiritus aut spirituale est, nego; quia si anima rationalis penderet à materia, uti gratia sanctificans ab anima spirituali pendet, non magis cessaret esse spiritualis, quàm gratia sanctificans, & tamen esset 1°. modo materialis.

c1v. Adde 1°. punctum Substantiale Mathematicum, in Sententia Nostra, nec esse corpus, nec spiritum; sed Genus immediatè individuatum sub Substantia: in Sententia verò eorum, qui negant genus posse immediatè individuari, dici essentialiter corpus vel spiritum; cur autem spiritus & non corpus, vel è contra, præcisè attentis prædicatis utriusque essentialibus, non dicunt.

cv. Adde 2°. gratiam sanctificantem v.g. secundum diversas partes suæ intensionis locum extensum occupantes, non facere gratiam esse corpoream; quia quælibet illius pars est localiter indivisibilis; ac proindè non facit extensum localiter secundum rem & materialiter, sed secundum locum & formaliter tantùm, prout contingeret, si tres Angeli aut tria puncta Mathematica, ponerentur in tribus locis divisibilibus contiguis. His suppositis, sit

Resolutio.

cv1. Dico: ratio formalis Quantitatis Prædicamentalis consistit formaliter in partium extensione sive multitudine quà extensione sive multitudine.

Probatur 1°. ex Aristotele 1°. Physic. Text. 15°. *Si Substantia & quantum sunt, duo sunt*, id est, diversi Prædicamenti, prout partes, & prout multæ. Consonanter loquitur Augustinus 5°. de Trinit. cap. 10. *In his quæ magnitudine* (quod æquivalet, partium multitudine) *Participatione magna sunt, aliud est magnitudo, aliud quod ab ea magnum est.* Quod æquivalet, aliud multitudo, aliud partes multæ. Adstipulatur etiam Noster Bacho. in 2ᵘᵐ Dist. 2. q. 4. art. 2o.

cv11. Probatur 2°. ratione: quia ratio formalis Quantitatis Prædicamentalis consistit in aliqua extensione, ut omnes fatentur, atqui non consistit in

ex-

extensione partium quà partium, quia ut sic est transcendentalis, & omnis Prædicamenti: neque in extensione molis, quæ sit radicalis intrinseca impenetratio partium inter se & cum partibus illius corporis, ergò, &c. Minor pro 1ª parte patet. Pro 2ª in qua sola difficultas, probatur; quia radicalis ista impenetratio satis salvatur in ente materiali extenso præcisè situaliter, & defectu virtutis in agente circumstante ad ponendum partem materiæ aut accidentis materialis extrà vel intrà partem, aliter quàm per rarefactionem aut condensationem, ut num. 67. quis enim dicit, esse in calore qualitatem ab eo realiter distinctam, quia per auditum, odoratum, &c. attingi non potest? item quis dicit, in materia esse qualitatem, vel ens aliquod ab ea realiter distinctum, quia ab alia creatura creari aut destrui non potest? & sic de infinitis aliis, quæ aliud non arguunt, quàm ens unum talis naturæ, & defectum in creatura: & reverà si semel ista radicalis impenetratio intrinseca asseratur, explicari non poterit corporum rarefactio & condensatio; ut ostendemus in Libris de Generatione.

CVIII. Confirmatur 1°. ab authoritate, quia nostra Sententia reipsà videtur Scoti & Divi Thomæ, imò omnium, qui Quantitatis rationem formalem ponunt in mensura & divisibilitate partium; non quidem quà partium, ut jam ostendimus, ergò quà mensura, quà divisibilitate, quà multitudine, &c.

CIX. Confirmatur 2°. à Ratione: esse quantum, est effectus formalis Quantitatis, sicut esse coloratum est effectus coloris, ergò sicut coloratum non potest provenire nisi à colore, ità nec quantum ab alio provenire potest, quàm à Quantitate: sed habere partes multas, est esse quantum, non quidem entitativè tantùm, ut Dub. 1°. vidimus, sed & formaliter, ergò ratio formalis Quantitatis consistit in multitudine partium, & quidem tali, quæ ab illis separari non possit, alioqui remanerent formaliter quantæ sinè Quantitate formali, ut consideranti patebit. Quod autem negat Murcia Disp. 1ª. de Quantitate quæst. 2ª. illam remansuram quantam formaliter, eò quòd non sit futura sensibilis, tangibilis, &c. parvi momenti est; quia indè non sequitur, non remansuram quantam formaliter præcisè, sed quantam formaliter sensibiliter, tangibiliter, &c. quæ toto cælo distinguuntur, ergo, &c.

DVBIVM IV.

Quæ sint Species Quantitatis Pradicamentalis.

Antè Resolutionem

CX. Suppono 1° ex dicendis in Physica, in continuo nulla dari indivisibilia Physica, sive terminantia, sive continuantia.

CXI. Suppono 3°. dubium procedere de linea, superficie & corpore. Item de numero & oratione, motu & tempore, loco & pondere. His suppositis, sit

Resolutio I.

CXII. Dico 1°. neque linea, neque superficies est species Quantitatis Prædicamentalis distincta à corpore. Est contrà P. Oviedum, qui Met. Cont. 1ª. puncto 2°. docet, contrariam esse omniù ferè Doctorù. Ita tamè Okam. Dur. & Nom.

CXIII. Probatur, quia species distinctæ non includunt se mutuò in suo conceptu formali intrinseco; sed Linea, & superficies includuntur in conceptu formali intrinseco corporis; & corpus in conceptu formali intrinseco lineæ, & superficiei, ergò, &c. Major patet, quia est de ratione specierum distinctarum, includere differentias essentiales oppositas, ac proindè se mutuò à conceptu suo formali intrinseco excludere.

CXIV. Probatur minor, quia lineà rectè definitur corpus præcisè conceptum secundum longitudinem; superficies corpus præcisè conceptum secundum longitudinem & latitudinem; corpus individuum materiale conceptum secundum longitudinem, latitudinem & profunditatem. Vel sic etiam linea definiri potest, Quantitas contracta per longitudinem; superficies linea contracta per latitudinem; corpus superficies contracta per profunditatem, ergò, &c.

CXV. Confirmatur. Eodem modo se habent linea & superficies ad corpus, quo vivens & animal homini identificata ad hunc hominem; sed neque vivens, neque animal, sunt species Substantiæ Prædicamentalis distinctæ ab homine, & se mutuò in suo conceptu formali intrinseco includunt. Ergò, &c. Probatur major, quia sicut vivens identificatum huic homini, est homo præcisè conceptus secundum vitam; & animal eidem identificatum, homo præcisè conceptus secundum vitam & sensationem; ità linea est corpus præcisè conceptum, ut antè diximus. Minor patet pro 1ª. parte, probatur pro 2ª. quia inprimis quòd vivens identificatum homini, in suo conceptu formali intrinseco includat hominem, statim ostensum est; quòd verò homo includat vivens, clarum est; quia præterquam quòd definiatur vivens sensitivus rationalis, est vivens contractum per sensitivitatem & rationalitatem, vel (quod in idem recidit) est animal contractum per rationalitatem. Ex his

CXVI. Colliges, longitudinem esse differentiam Metaphysicam contrahentè Quantitatem ad lineã; latitudinem, differentiam Metaphysicam contrahentem lineam ad superficiem; profunditatem, superficiem ad corpus; ad eum modum, quo animitas est differentia Metaphysica contrahens corpus ad vivens; sensitivitas vivens ad animal; & rationalitas animal ad hominem: ac proindè longitudinem, latitudinem & profunditatem esse Quantitates, & non Substantias secundum conceptum formalem præcisivum corporis, in quo formaliter includuntur; sicut illæ sunt differentiæ Metaphysicæ, & non Substantiæ secundum formalem conceptum præcisivum hominis, in quo formaliter includuntur, ut patet ex dictis in Porphyrio Disp. 6. de Differentia Dub. 5.

CXVII. Nec dicas 1ò. Aristotelem hîc enumerare lineam & superficiem inter species Quantitatis; quia hic species non enumerat, sed Quantitates; rectè autè dicuntur Quantitates allato sensu. Tamen

CXVIII. Adde 1°. Aristotelem hic Quantitates non enumerare ex propria Sententia, sed secundum vulgi opinionem, ut constabit infrà de Numero & Oratione, Tempore & Motu, Loco & Pondere, prout ex Alberto & Commentatore 5°. Metaph. Commento 18°. rectè notat Suarez Disp. 41. Metaph. Sect. 3ª.

CXIX. Adde 2ò. Aristotelem 5° Metaph. expresè docere, tempus & motum non esse quanta per se, sed per accidens; ac proinde censeri non debet

debet hîc enumerare Species Quantitatis propriè dictas.

CXX. Nec dicas 2°. corpus non esse superficiem contractam per profunditatem, sed è contrà profunditatem superficie terminatam. Item nec corpus esse Lineam contractam per latitudinem & profunditatem, sed profunditatem Lineâ & superficie terminatam & continuatam, ità scilicet ut sola profunditas sit in recto de essentia corporis, cætera in obliquo importentur, & quasi præsuppositivè; nam intelligi non potest, quid profunditas in recto, nisi juxtà nostram explicationem, dicatur esse differentia contractiva superficiei ad corpus; item intelligi non potest quid latitudo in recto, nisi dicatur esse differentia contractiva lineæ ad superficiem, alioqui similiter diceremus hominem esse rationalitatem in recto terminatam animalitate, quasi verò de essentia hominis esset sola rationalitas, quod nullus dicet.

Resolutio II.

CXXI. Dico 2°. Numerus, Oratio, Tempus, Motus, Locus & Pondus sunt veræ species Quantitatis Prædicamentalis. Ita Eximius P. Noster Bacho in 2. dist. 2ª. q. 1. art. 2°.

CXXII. Probatur, quia univocè conveniunt in ratione multi formaliter multitudine partium, quæ licèt sæpè per respectum ad invicem faciant aggregatum per accidens, ut trinitas personarum vel potiùs personæ tres; quatenus tamen multitudini sive numerabilitati subsunt, faciunt cum illa concretum accidentale per se, haud secus quàm duo parietes eadem albedine infotmati cum albedine faciunt concretum album per se, licet per respectum ad invicem, sint ens per accidens, ergò, &c.

CXXIII. Dices forte, hinc sequi exercitum, populum, cumulum lapidum, &c. per respectum ad formam concreti *multi homines, multi lapides*, &c. esse ens per se; sed hoc omnes negant, ergò, &c.

CXXIV. Confirmatur: multitudo, quæ est eorum forma saltè generica, est ens per accidens, ergò, &c.

CXXV. Respondeo, concessâ majore distinguendo minorem: sed omnes negant exercitum, populum, &c. per ordinem ad formam concreti *multi homines, multi lapides*, &c. esse ens per se de Prædicamento Quantitatis, nego minorem; de Prædicamento Substantiæ, concedo minorem: verùm quæ in illo sunt Substantia & multæ Substantiæ completæ, quæ faciunt ens Substantiale per accidens; in alio quatenus subsunt multitudini, v. g. sunt ens per se accidentale de Prædicamento Quantitatis; quatenus subsunt similitudini, de Prædicamento Relationis, &c. Ad Confirmationem autem

CXXVI. Respondeo negando assumptum; eodem enim modo multitudo se habet ad multa, duas trinitates v. g. quomodò se habet homo ad animam, corpus & unionem: imò sicut homo est tantùm unus, quia tria illa, & non unum eorum tantùm, hominem unum faciunt, quatenus subsunt humanitati; ità duæ unitates sunt una multitudo, quatenus subsunt multitudini; & non una tantùm: quia duæ unitates multitudinem faciunt, & non una earum tantùm.

DISPVTATIO TERTIA

De Relatione.

DVBIVM I.

Quid & Quotuplex sit Relatio.

Resolutio I.

CXXVII. Dico 1°. Relatio generaliter definitur *ordo* seu *respectus unius ad aliud*; qui quoniam est multiplex, sit

Resolutio II.

CXXVIII. Dico 2°. Relatio generaliter sumpta dividitur 1°. in Realem & Rationis. Realis est, *Quæ est antè operationem intellectus.* Rationis *quæ post operationem intellectus*, de quibus infrà. Adverte tamen ly *Reale* ibi ità accipi, ut opponatur *intentionali*, non verò *ficto*; alioqui utraque esset Realis.

CXXIX. Dividitur 2°. in Relationem secundum esse, & secundum dici: Secundum dici *est entitas quædam absoluta, quæ* (ajunt) *quidem in suo conceptu formali non dicit respectum, à nobis tamen ob nostrum imperfectum concipiendi modum, sinè respectu concipi aut explicari non potest.* Verùm malim illam confundere cum transcendentali (de qua statim) quæ ideò à nobis concipi aut explicari non potest sinè respectu, quia respectus est illi essentialis.

CXXX. Secundum esse *est, quæ propriè & secundum se est relatio*; nec malè hanc confundes cum Prædicamentali. Vndè melius

CXXXI. Divides 2°. Relationem in Transcendentalem & Prædicamentalem: Transcendentalis *est respectus essentialis suo subjecto proximo*, ut scientia, omnipotentia, &c. Prædicamentalis *est respectus accidentalis & contingens suo subjecto proximo*, ut paternitas, similitudo, &c. sic enim clarè distinguuntur inter se, quidquid aliter alii illas definiant.

CXXXII. Dividitur 3°. Relatio in mutuam & non mutuam. Mutua *est cui in termino respondet alia Relatio*, ut paternitas, cui in filio respondet filiatio. Non mutua *cui in termino non respondet alia Relatio*, ut paternitas, respectu Pauli, herilitas respectu Petri.

DVBIVM II.

An Respectus, qui Relationi Transcendentali est essentialis, sit Relationi isti quoad se, an quoad nos tantùm essentialis?

CXXXIII. Antè Resolutionem hujus dubii (quod ab aliis non video propositum) & mihi maximi momenti est, tam pro Theologicis, quàm Philosophicis.

CXXXIV. Suppono 1°. varia dari entia transcenden-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

dentaliter relativa, sive quorum respectus sunt suo subjecto proximo essentiales, ut *Unio*, *Visio*, *Potentia*, &c.

CXXXV. Suppono 2°. respectum Relationis transcendentalis per se, & præscindendo ab eo, quòd aliundè subjectum illius proximum sit modus intrinsecus, non esse essentialiter & inseparabiliter absolutè ad terminum existentem: nam materia 1ª. dicit respectum transcendentalem subjecti ad formas, præscindendo ab eo quòd existentes sint, possibiles aut corruptæ, ut probabimus in Physica: cognitio terminata ad Petrum existentem eadem est, sive Petrus existat, sive existere desiverit: quod autem visio materialis Petri existentis Petro desinente desinat, nihil refert; quia id non oritur ex respectu essentiali visionis quoad se, sed ex dependentia visionis illius à specie visuali, quæ à Petro Physicè emittitur; alioqui etiam de potentia absoluta conservari non posset illa visio desinente Petro, quod omninò incredibile videtur; quandoquidem non magis pendere videatur visio illa ab objecto existente, quàm forma materialis Substantialis à subjecto existente, quam tamen posse de potentia Dei absoluta sinè subjecto existente conservari, omnes fatentur.

CXXXVI. Suppono 3°. ens possibile prout condistinguitur contrà existens, dicere negationem entis existentis; ac proindè non magis actu esse aliquid, quàm si esset ens impossibile: ex quo sequi videtur materiam, si omnis forma ex parte sua foret impossibilis, non magis intrinsecè mutandam, quàm intrinsecè mutetur per hoc, quòd forma fiat de existente non existens, quia, ut dictum est, non existens & impossibile, secundum quod sunt *non esse actu præcisè*, confundi possunt. His suppositis, sit

RESOLUTIO.

CXXXVII. Dico: Respectus, qui Relationi transcendentali est essentialis, non est, Relationi isti essentialis quoad se & intrinsecus; sed quoad nos tantùm & extrinsecus.

CXXXVIII. Probatur 1ª. pars. Illimitatio seu independentia Divinæ Essentiæ, & attributorum Divinorum illi identificatorum, omninò exigit ut eadem sit essentia Divina, sive possibiles sint creaturæ sive impossibiles; sed, si omnipotentia, misericordia, visio increata, &c. dicerent respectum ad terminos essentialem quoad se, id esset falsum, ergò, &c. Consequentia est legitima; minorem omnes fatentur: probatur major, quia illimitatio ista, &c. omninò exigit ut eadem sit essentia Divina, sive possibiles sint creaturæ, sive existentes, ergò &, sive possibiles sint creaturæ, sive impossibiles. Consequentia sequitur ex dictis suppositio 3°. & alioqui Dei possibilitas & existentia penderet à possibilitate vel unius formicæ, sic nempè, ut hâc impossibili factâ, Deus impossibilis fieret, quod Deo indignum, & blasphemum videtur, ergò, &c.

CXXXIX. Subsumo, atqui idem omninò dicendum videtur de respectu transcendentali omnium entium creatorũ; quis enim dicet quòd visio Petri existentis possit à Deo conservari destructo Petro, ut posse patet ex suppositio 2°. & non inferet: igitur & Petro impossibili facto; quamvis à nobis concipi non possit quomodò perseveret, & quid tunc ex parte objecti concipiatur? hinc enim solum inferri potest, respectum illum esse essentialem quoad nos, consequenter ad Resolutionem nostram, ergò, &c.

CXL. Objicies, sicut inintelligibile est, meam visionem Petri esse vel manere, suppositio vel facto Petro impossibili; ità inintelligibile est, Dei scientiam simplicis intelligentiæ esse vel manere, suppositio vel facto Petro impossibili.

CXLI. Respondeo, dissimulato antecedente, negando sequelam, est enim disparitas; quia videlicet scientia mea non fit Petri visio per hoc præcisè, quia Petrus existit; sicut Dei scientia sit simplicis intelligentiæ rerum possibilium, ut condistinguitur contra scientiam visionis, *Quia præcisè sunt possibiles possibilitate intrinsecâ*. De quo ex professo in 1ª P. D. Thomæ, fusiùs agimus.

CXLII. Dixi, dissimulato antecedente, quia illud mihi videtur omninò negandum; si enim possit visio Petri esse vel manere suppositio vel facto Petro non existente, uti probabimus in Tract. de Anima Disp. 5ª. Quæstiunculâ circà materiam specierum visibilium; quidni suppositio vel facto Petro impossibili? quia res non existens non plus habet esse, quàm impossibilis; ac proindè non plus potest contribuere ad esse reale alterius, quàm impossibilis: quo dato, sicut illa visio antè erat Petri ut existentis, etiam postea erit Petri ut existentis; quia Petrum existentem repræsentare est de illius essentia, quæ immutabilis est. Sed hinc non sequitur, Petro de possibili, facto impossibili, illam fore impossibilem, licèt sequatur fore falsam, in quo nullum majus absurdum, quàm sit in eo, quòd propositio contingens de vera fiat falsa, ut infrà ostendemus. An autem hoc casu sit mansura intuitiva, spectat ad disputationem de Nomine; Responderi potest, mansuram intuitivam ex parte sua, dicendo speciem intuitivam ex parte sua, nihil aliud esse, quàm visionem objecti secundum propriam speciem: non verò mansuram intuitivam ex parte objecti, dicendo speciem intuitivam ex parte objecti esse visionem objecti in se existentis per propriam speciem.

CXLIII. Instabis ex Francisco Delugo 1ª. part. Disp. 13ª. cap. 2°. æquè absurdum est asserere potentiam Dei ad omnia possibilia manere, illis factis impossibilibus; ac asserere in Deo esse potentiam ad omnia impossibilia & chymæras; ergò, vel negandum, potentiam dicere intrinsecam & specialem perfectionem in Deo; vel affirmandum, ex impossibili ablatione termini, sequi defectum in Deo perfectionis intrinsecæ.

CXLIV. Respondeo, negando assumptum, quia supponitur falsum, videlicet, potentiam Dei dicere respectum transcendentalem & essentialem quoad se & intrinsecum ad creaturas, & non tantùm quoad nos & extrinsecum, uti suppositio 3°. ostendimus. Vndè, asserere potentiam Dei, quatenus dicit respectum transcendentalem & essentialem quoad nos & extrinsecum ad omnia possibilia, manere illis factis impossibilibus, est quidem æquè absurdũ ac asserere in Deo esse quoad nos & extrinsecè potentiam ad impossibilia & chymæras; quia ibi est aperta contradictio in terminis: sed neque est ulla contradictio, neque ullum absurdum in eo, quòd asseratur, potentiam Dei, factis illis impossibilibus, perire quatenus dicit respectum transcendentalem & essentialem quoad nos & extrinsecum tantùm; sed manere quoad se, & secundum intrinseca, sive secundum quod quoad se est ens absolutum, ut consideranti patebit; hoc autem solum dicimus.

DVBIVM III.

Quot & quæ ad Relationem Prædicamentalem concurrant.

Resolutio.

CXLV. Dico: ad Relationem Prædicamentalem varia concurrunt, fundamentum scilicet, sive subjectum, ratio fundandi & terminus.

CXLVI. Fundamentum sive subjectum Relationis *est id quod denominatur à Relatione*. Sive ab ea intrinsecè, sive extrinsecè tantùm denominetur, de quo infrà.

CXLVII. Ratio fundandi (quam nonnulli vocant fundamentum proximum) est duplex: una fundamentalis, & *ut quod*, & est ratio proxima fundandi formalem: alia formalis, & *ut quo*, & est id quo posito, statim exurgit Relatio, sive id quod ultimò requiritur, ut à Relatione denominatio suscipiatur. Sic generatio est ratio fundamentalis & *ut quod* fundandi Relationem *paternitatis*; conceptus verò entitatis patris præcisè ut principii *quod* filii, & entitatis generationis præcisè ut principii *quo* ejusdem, est formalis: sic enim dicimus Petrum & Paulum esse ratione fundandi fundamentalem & *ut quod* universalitatis; conceptum verò universalificantem esse rationem fundandi formalem & *ut quo*; quia eo præcisè appositio statim in Petro & Paulo per denominationem extrinsecam exurgit universalitas. Pro majori tamè intelligentia

CXLVIII. Adde ex Aristotele 5°. Metaph. cap. 15. rationem fundandi esse triplicem. 1ª est unitas & multitudo, sive convenientia & disconvenientia. Quæ (ut communiter dicitur) si sit immediatè in Substantia, fundat Relationem identitatis & diversitatis. Si in Quantitate, æqualitatis, & inæqualitatis. Si in qualitate, similitudinis & dissimilitudinis: hæcque ratio fundandi est formalis, ut infrà patebit. 2ª est potentia activa & passiva formaliter ut talis, id est, sumpta pro actione & passione, in quibus fundamentaliter fundantur *paternitas* & *filiatio*; vel quasi actione & quasi passione, in quibus fundamentaliter fundantur *herilitas* & *servilitas*. Hæc autem ratio fundandi, est fundamentalis tantùm, ut insinuatum est, & infrà monstrabitur. 3ª est mensura & mensurabile, id est objectum & potentia, juxtà quosdam Interpretes; nam objectum est mensura potentiæ; potentia verò per objectum mensurabilis. Hinc omne intelligibile dicitur mensura intellectus.

CXLIX. Terminus Relationis est alterum extremum, sive id, ad quod fundamentum refertur; sic filius dicitur terminus paternitatis, quia pater ad filium per paternitatem refertur.

DVBIVM IV.

Quomodò formalis ratio fundandi debeat distingui à fundamento & termino.

CL. Antè Resolutionem, quæ ab aliis non videtur ex professo agitari,

Suppono 1°. dubium procedere de 1ª & 3ª formali ratione fundandi, (de quibus num. 148.) unitate scilicet & multitudine: mensurâ & mensurabili, de quibus Dubio præcedenti. Quia certum est 2ªm, (quam volunt esse formalem) actionem scilicet & passionem ab illis distingui realiter.

CLI. Suppono 2°, identitatem indifferenter reperiri inter Substantias, Quantitates & Qualitates, imò inter quælibet entia sub ea ratione qua inter se non distinguuntur; quia ubi non est distinctio, necessariò est identitas; nam, ex præmissis Tract. 1. Disp. 2. Dub. 1°. distinctio & identitas contradictoriè opponuntur. Quia verò identitas Quantitatum est summa æqualitas, & identitas Qualitatum summa similitudo; non malè, æqualitas Quantitatum dicetur identitas Quantitatum, & similitudo Qualitatum identitas Qualitatum. Et consequenter si æqualitas & similitudo confundi possint cum identitate, rectè ulteriùs dicetur, inter substantias esse identitatem, æqualitatem & similitudinem substantiarum; inter Quantitates esse identitatem, æqualitatem & similitudinem Quantitatum, & sic de Qualitatibus. Loquere proportionaliter de diversitate, inæqualitate & dissimilitudine.

CLII. Nec dicas cum P. Oviedo Metaph. Controv. 6ª. punct. 3°. si ab altera extensionum ulnarum demas palmum, manere inter illas identitatem, non verò æqualitatem. Nam eo sensu quo manet identitas, scilicet secundum rationem formalem extensionis, manet æqualitas; & eo sensu, quo non est æqualitas, scilicet secundum commensurationem & extensionem situalem, non est identitas, ut clarè patet. His suppositis, sit

Resolutio I.

CLIII. Dico 1°, contrà P. Oviedum loco citato: rationes formales & *ut quo* fundandi Relationes æqualitatis & similitudinis, non sunt Quantitates & Qualitates à propriis subjectis (vel ut alii) à fundamentis remotis æqualitatis & similitudinis realiter distinctæ ut v. g. ratio formalis & *ut quo* fundandi similitudinem inter Petrum & Paulum, non est hæc & illa albedo.

CLIV. Probatur, quia formalis ratio fundandi (ipso fatente) est illud, quo posito, statim exurgit Relatio, sive quod ultimò requiritur ex parte fundamenti ut à Relatione denominetur; sed præcisè positâ hâc & illâ Quantitate in hoc & illo subjecto, hâc & illâ albedine, in hoc & illo pariete, non habetur quod ultimò requiritur, ut hoc subjectum sit æquale, ut hic paries sit similis, ergò, &c.

CLV. Probatur minor 1°. quia æqualitas fundatur in unitate Quantitatum, similitudo in unitate qualitatum; sed præcisè positâ hâc & hâc Quantitate, &c. hâc & illâ albedine, &c. non habetur identitas Quantitatum aut albedinum, ergò, &c. Probatur minor; quia, uti Tract. 2° de Distinct. fusè probatum est, inter hanc & hanc Quantitatem, hanc & hanc albedinem, est summa distinctio; ac proindè summa non identitas antè intellectum, ergò, &c.

CLVI. Confirmatur minor, quia si præcisè positâ, &c. haberetur identitas, illa vel esset numerica, vel specifica? Non numerica, ut ad sensum patet; neque specifica, quia illa non habetur antè 1ªm intentionem formalem specificantem, ergò nulla tunc habetur.

CLVII. Probatur minor 2ª. Id quod ultimò requiritur, ut hoc subjectum sit æquale, sive ut sit æqualitas in hoc subjecto, est unitas Quantitatum. Item id quod ultimò requiritur, ut hic paries sit similis, sive ut sit similitudo in hoc pariete, est unitas Qualitatum; sed illa non habetur præcisè posi-

tâ,

ta, &c. ergò, &c. Probatur minor, quia unitas illa, non habetur nisi per conceptum; sed non habetur conceptus, præcisè positâ, &c. ergò, &c. Hinc ulterius, sit

Resolutio II.

CLVIII. Dico 2°. ratio formalis & *ut quo* fundandi identitatem Substantiarum, æqualitatem Quantitatum, & similitudinem Qualitatum, realiter distinguitur à fundamento reali Relationis.

CLIX. Probatur, quia illa formalis ratio fundandi aliud esse non potest, quàm conceptus confusus unificans multas Substantias, Quantitates & Qualitates; nam sicut juxtà Aristotelem, *Illa sunt similia quorum qualitas est una:* ita illa sunt eadem, quorum Substantia est una: æqualia quorum Quantitas (in genere, si de Quantitate in genere; vel commensurata, si de Quantitate commensurationis) est una; sed ille conceptus distinguitur realiter à fundamento reali Relationis, ut patet, ergò, &c.

CLX. Objicies cum P. Oviedo & aliis, ratio fundandi Relationem identitatis inter Substantias, æqualitatis inter Quantitates, similitudinis inter Qualitates, non est unitas formalis earum, quæ sola pendet ab intellectu; sed fundamentalis & specifica, quæ est antè omnem intellectum, non secus ac ipsæ Substantiæ, Quantitates, &c. quæ dicuntur eædem, æquales, &c. ergò, &c.

CLXI. Confirmabis, sicut nullo intellectu cogitante Petrus, qui Paulum genuit est pater Pauli à se geniti, & hoc, quod est esse patrem, est quid independens ab intellectu, & consequenter etiam paternitas; ità nullo intellectu cogitante, una Substantia est eadem cum alia; & hoc, quod est esse idem, est quid independens ab intellectu, & consequenter etiam identitas.

CLXII. Respondeo, negando antecedens, quia Relationes illæ secundùm *unitatem* multorum, si hæc sit formalis, illæ formales; si fundamentalis tantùm, illæ fundamentales tantùm, ut à simili patet ex Relationibus *communis*, *superioris*, *identificabilis* multis, &c. quæ sunt formales, si *unitas* naturæ universalis formalis sit; fundamentales tantùm, si hæc fundamentalis tantùm. Adde, *unitatem* fundamentalem nihil aliud esse antè intellectum, quàm hoc & hoc summè intrinsecè distincta, conceptibilia uno conceptu confuso; tam verò repugnat, hanc *unitatem* esse formalem antè intellectum, quàm repugnet summè intrinsecè distincta, esse unum formaliter antè intellectum, vel etiam, quàm dari universale formaliter à parte rei, quòd daretur, ut patet: quia multa à parte rei, essent unum formaliter à parte rei sive antè intellectum.

Ad Confirmationem

CLXIII. Respondeo, distinguendo antecedens, nullo intellectu cogitante, Petrus qui Paulum genuit, est pater formaliter, &c. prout ly *pater* formaliter exprimitur nomine Paternitatis distinctæ Prædicamentaliter à Substantia, actione, &c. nego antecedens; nam ut sic fundatur formaliter in conceptu, quo entitatem patris ut principium *quod*, & entitatem actionis ut principium *quo* filii præcisè concipio; alioqui, si fundaretur formaliter in generatione, deberet resultare antè intellectum modo quodam inintelligibili, ut infrà contrà Thomistas videbimus. Deindè importat distinctionem rationis à generatione, ut infrà patebit, quæ sicut esse non potest, nullo intellectu cogitante, ità nec illa. Est pater fundamentaliter & materialiter, prout ly *pater* significat entitatem realem patris esse generantem, & subjectum denominationis Relationis Paternitatis, concedo assumptum; sed ut sic non pertinet ad Prædicamentum Relationis, de qua hîc agimus, sed ad Prædicamenta Substantiæ & actionis, ut patet.

CLXIV. Instabis 1°. in Divinis Paternitas sub illo nomine, est antè intellectum, ergò & in creatis. Ita ferè P. Noster Bacho in 1^um^ dist. 28. q. 1. art. 2°.

CLXV. Respondeo 1°. negando consequentiam, quia ut Tract. 1°. Disp. 2ª, Dub. 5°. clarè ostendi, à Divinis ad creata, absurda est, & plerumque hæretica consequentia.

CLXVI. Adde, hinc sequi, Paternitatem in creatis terminari ad respectivum, sicut in Divinis, quod esse absurdum, infrà ostendemus; alia est enim ratio Paternitatis increatæ, alia creatæ, quòd scilicet increata terminari non possit ad absolutum; quia cùm Relationes omnes Divinæ secundùm absolutum, id est, naturam Divinam, sint una & eadem, si diversæ, uti reverà sunt, debent necessariò esse diversæ secundùm diversum terminum præcisè ut respectivum. Vnde communiter Theologi docent, in Divinis omnia esse idem, ubi non est Relationis oppositio; creata verò terminari potest ad absolutum, imò debet, saltem in non mutuis, ut infrà patebit.

CLXVII. Respondeo 2°. distinguendo antecedens juxtà insinuata Tract. 1°. Disp. 2. Dub. 5°. conclusionem, quam in Theologia propugnamus, nempè, *Relationes Divinas à Natura Divina solâ ratione formali extrinsecâ distingui.* In Divinis Paternitas sub illo nomine est antè intellectum ut realiter correlativa filiationis, concedo antecedens: nec mirum, quia præcisè ut talis, realiter distinguitur à filiatione: verùtamè ut realiter est, nõ minùs est de Prædicamẽto Substantiæ & actionis, quàm Relationis: ut forma constituens formaliter Patrẽ, & ut à subjecto suo Prædicamentaliter distincta, nego antecedens, quia ut talis solâ ratione à Natura Divina distinguitur; quomodò autem possit eadem Paternitas esse realiter ut correlativa, & non esse realiter ut forma, &c. cùm tamen sit eadem entitas, est mysterium fidei incomprehensibile, & his simile, *Paternitas & filiatio sunt realiter inter se distinctæ & tamen unum & idem cum Natura Divina; Natura Divina potest realiter produci ut Filiatio; non verò ut natura, cum tamen eadem sit entitas.* Vnde Pater in Divinis, est realiter Pater ut correlativus filiationis realiter; & non est realiter Pater, prout Paternitas Divinam essentiam tamquam subjectum denominationis respicit: quia ut sic, ratione formali ab ea distinguitur, ut dictum est.

CLXVIII. Instabis 2°. ratio fundandi paternitatem, est generatio; sed illa est antè intellectum, ergò & Paternitas.

CLXIX. Confirmatur: eodem modo se habet Paternitas ad generationem, quo se habet unio relativa Prædicamentalis ad unionem realem transcendentalem; sed hæc est antè intellectum, & ratio fundandi illius etiam est antè intellectum, ergò similiter Paternitas.

CLXX. Respondeo, distinguendo majorem: fundamentalis ratio fundandi paternitatem est generatio, & illa est antè intellectum, concedo majorem:

formalis, & illa est antè intellectum, nego majorem: nam illa est conceptus, de quo immediatè antè. Eodem modo Respondè ad Confirmationem. Nec putes, rationem formalem fundandi hîc fruſtrà à fundamentali distingui: tanta enim est necessitas hujus distinctionis, quanta distinctionis Prædicamenti Relationis à Prædicamento Actionis, cujus Prædicamenti est generatio, & à Prædicamento Qualitatis, cujus Prædicamenti est unio accidentalis distincta ab eductione. Vel enim Paternitas à generatione, unio prædicamentalis à transcendentali, distinguitur prædicamentaliter antè intellectum, vel non? si non, ergò Paternitas & unio, ut Prædicamenti Relationis, fundantur formaliter in ratione sive conceptu. Si sic; ergò Prædicamentum Relationis distinguitur realiter, & antè intellectum ab aliis Prædicamentis, quod Dub. 4°. fusè impugnabitur.

CLXXI. Objicies 2°. fruſtrà poni duplicem rationem fundandi; remotam unam, v. g. generationem, eò quòd posità solâ generatione non ponatur formalis Relatio Paternitatis; aliam proximam, quæ dicitur esse cognitio intellectus concipientis hominem v. g. generantem ut principium generativum, eò quòd hâc solâ posità ponatur statim Relatio; fruſtrà, inquam & falsò, quia independenter ab omni cognitione, per solam positionem generationis pater est formaliter pater, & filius formaliter filius; ponituŕque hâc solâ posità formalissimè ratio Paternitatis & Relationis, ut latiùs infrà monstrabitur.

CLXXII. Respondeo, negando assumptum, quia si independenter ab omni cognitione, per solam generationis positionem ponatur formalissimè Relatio Paternitatis, ergò Relatio formalissimè sumpta, non distinguitur à generatione, entitate patris & entitate filii, quod est evidenter falsum; quia Relatio formalissimè sumpta, dicit esse abstractum à fundamento, termino & ratione fundandi, de illisque negari potest, ut evidenter patet: imò formalissimè sumpta, dicit illam abstractionem, quia dicit id, quo præcisè sub mente Prædicamentum Relationis distinguitur à reliquis Prædicamentis; alioquì nec re, nec ratione formali Prædicamentum Relationis distingueretur ab aliis Prædicamentis, quod contrà Aristotelem & omnes admitti non potest; independenter verò ab omni cognitione per solam positionem generationis, fundamenti & termini, non habetur abstractio, quam importat Relatio formalissimè sumpta; ergò est falsum Relationem formalissimè sumptam non distingui à generatione, entitate patris & entitate filii, sive fundamento, termino & ratione fundandi.

DVBIVM V.

An Relatio Prædicamentalis exigat terminum actualem realiter actu existentem.

RESOLUTIO.

CLXXIII. Dico contrà RR. PP. Suarem, Hurtadum, Arriagam & Oviedum Metaph. Controv. 9. parte 3ª. ubi sic habet: *Fert omnium Doctorum sententia Relationem Prædicamentalem essentialiter exigere terminum realem realiter existentem.* Item & contrà Comptonum Metaph. Disp. 11. Sect. 13. ubi dicit, affirmativam esse communem contrà Gregor. in 1. dist. 28. q. 23. Nulla Relatio Prædicamentalis exigit terminum actu existentem. Hæc conclusio, suppositâ veritate Resolutionum Dub. 4ª, videtur debere esse omnium, ita nominatim P. Noster Bacho Quodlib. 1°. q. 13. Concl. 4. & Quodlib. 2°. q. 2ª art. 2° §° 4°.

CLXXIV. Probatur 1°. si aliquæ Relationes exigerent terminum realiter actu existentem, maximè essent Relatio identitatis inter Substantias; Relatio æqualitatis inter Quantitates; & Relatio similitudinis inter Qualitates: atqui hæ Relationes non exigunt terminum realiter actu existentem, ergò, &c. probatur minor, quia quælibet identitas Substantiarum; æqualitas Quantitatum; similitudo, Qualitatum, sequitur unitatem formalem earum: sed hæc, utpotè conceptus confundens duo per modum unius, non exigit duas Quantitates, vel duas Qualitates actu existentes, ergò, &c. Hinc paulò aliter

CLXXV. Confirmari potest conclusio, Relationes dictæ necessariò sequuntur conceptum multa unificantem, sive multa repræsentantem per modum unius; sed conceptus, ut vel experientia docet, non requirit terminum actu existentem, ergò, &c.

CLXXVI. Nec dicas ex P. Oviedo hæc esse naturæ lumini dissona, parietem album esse similem parieti non albo, sive non existenti, quia possibile est talem parietem album existere; item montem esse æqualem lapillo, quia potest in montem magnum excrescere: ne id dicas inquam, quia videtur decipi P. Oviedus: non enim dicimus parietem album existentem esse similem parieti albo non existenti, quia possibile est hunc parietem album existere; sed quia uterque uno conceptu, sive conceptu utrumque in ratione albi confundente, concipitur; item non dicimus montem esse æqualem lapillo, quia lapillus potest in montem magnum excrescere, sed quia duo quanta v. g. duo montes, sive existant, sive non, sub conceptu unificante in ratione quanti confunduntur, commensurantur, &c. quæ sunt toto cœlo diversa, nec Adversarii nostri aliter suam similitudinem & æqualitatem rectè explicant, ut patet ex Dub. 4°: hinc ulterius enervatur 2ª ratio P. Oviedi, terminus est de essentia Relationis, ergò illo non existente existere non potest. Respondeo distinguendo consequens, ergò termino non existente realiter, Relatio existere non potest modo sibi proprio sive sub conceptu, nego consequentiam: termino non existente intentionaliter, concedo consequentiam; verùm hæc existentia non est realis, sed sub conceptu, undè manet quod Relatio non requirat terminum realiter existentem.

CLXXVII. Probatur 2°. inter causam & effectum, 1ªm. horam & 2ªm. est Relatio prædicamentalis prioris & posterioris; sed Relatio prioris est non realiter actu existente posteriore, sive termino, ergò, &c. probatur minor: quia; præterquam quod optimè concipiam dependentiam effectus à causa, & successionem horæ 2ª. ad 1ªm, in quibus fundamentaliter fundatur Relatio prioris & posterioris, licèt nec causa, nec effectus, nec hora 1ª. nec 2ª existant; Relationes prioritatis & posterioritatis sunt correlationes, quæ non debent esse simul tempore, alioquì desineret Paternitas moriente filio, quod loco citato negat P. Oviedus, sed simul naturâ, id est conceptu, ergò, &c.

CLXXVIII. Probatur 3°. terminus Relationis prædicamentalis sæpè est ens omninò fictum & chymæra,

chymæra, ergò non requirit terminum realiter actu existentem. Probatur antecedens, quia actus quo dico, *chymæra terminat judicium*, pro tempore quo id terminat dicit Relationem prædicamentalem conformitatis actus ad objectum; pro tempore verò quo id non terminat, difformitatis, ergò, &c.

CLXXIX. Objicies tamen 1°. Relatio est accidens, sed non erit talis, nisi requirat terminum actu existentem, ergò, &c. Probatur minor, quia cum à subjecto, utpotè accidens, abesse possit, ipsa saltem, ratione termini desinentis, abesse debebit, quod non poterit, quia terminus desinere non poterit, ergò, &c.

CLXXX. Respondeo, negando minorem, ad ejus probationem, Respondeo semper abesse posse permentem negantem, quod sufficit: deindè Relatio, non tantùm abesse potest cum desinit terminus, sed etiam cum incipit; nam ut patet ex probatione 3ª. quandò incipit chymæra judicium terminare, Relatio prædicamentalis conformitatis actus, quo dicebam, *chymæra terminat judicium*, desinit esse, & ponitur Relatio difformitatis.

CLXXXI. Objicies 2°. si similitudo non requirat terminum actu existentem, paries albus existens dicet infinitas similitudines ad infinitos parietes albos possibiles, & idem est de æqualitate; sed hoc est absurdum, ergò, &c.

CLXXXII. Resp. negando sequelam, quia quælibet similitudo præsupponit suam rationem sive conceptum unificantem, undè paries non dicit nisi similitudinem cum iis, cum quibus est per conceptum unificantem factus unus, eo modo, quo suprà Tract. 1°. Disp. 3. Dub. 8. diximus naturam universalem non esse universalem, nisi respectu eorum, quæ uno conceptu confuso concepta sunt, & à quibus proindè abstracta est.

CLXXXIII. Probatur 4°. juxtà communem modum loquendi omnium, pater rectè dicitur pater filii defuncti; & è contrà, filius defunctus rectè dicitur filius patris existentis; cur hoc, nisi quia Relatio prædicamentalis paternitatis & filiationis fundatur immediatè in conceptu generationis filii, ut principiati, à patre ut principio tamquam immediata ratione fundandi *ut quo*, ut constat ex dictis Dub. 4°. atqui conceptus ille, nec patrem, nec filium actu existentem requirit, ergò, &c.

CLXXXIV. Objicies 1°. ex P. Comptono loco citato. Est de communi consensu omnium, neminem esse patrem, nisi qui actu habet filium juxtà illud Damasc. lib. 1°. Orthod. fidei. cap. 8°. *Neque enim pater vocari queat, qui filio careat.* Vndè communiter dici solet, *Ablato termino perit Relatio.* Item *posito fundamento & termino resultat Relatio*, ergò, &c.

CLXXXV. Confirm. ex eodem. 1°. Communiter ab omnibus dicitur. *Pater est, qui habet filium*; quæ definitio esset diminuta, nisi Relatio requireret actualem existentiam termini; jam enim quivis esset pater respectu filii possibilis, cum non requirat terminum actu existentem; vel saltem mortuo filio adhuc esset actu Pater, quod est contrà communem Philosophorum sententiam, & per se videtur falsum. Vndè S. Thomas 4°. contra Gen. cap. 14. ait, hæc est ratio patris, ut sit filii pater; non potest autem esse pater filii, si filius non sit, sicut nec dominus servi mortui; quia nullus dicit talem esse, sed fuisse filium talium parentum, ergò communis sensus est actu illum non esse filium, qui non habet vel patrem vel matrem. 2°. quia Relatio Prædicamentalis est, *Cujus totum esse est ad aliud se habere.* Res autem non existens non est propriè *aliud*, cum omninò non sit, imò nihil. 3°. quia paries albus non est actu similis parieti, qui nullum in se habet colorem, quamvis sit albedo in eo possibilis, ergò requirit Relatio similitudinis terminum existentem.

CLXXXVI. Respondeo, negando assumptum; ad ejus probationem, Respondeo Damascenum hoc modo videri intelligendum, *Neque enim pater vocari queat, qui filio careat*, id est, qui filium non genuerit; quia reverâ magis ille filio caret, qui filium generat, quam qui genuit filium, sicut magis est filius, quem genuit pater, quam qui gignitur; hoc tamen magis statim declarabitur, quarè

Ad Confirmationem

CLXXXVII. Respondeo verborum istorum, *Pater est, qui habet filium*, esse hunc per ampliationem sensum, *Pater est, qui gignit, vel genuit filium*, non verò, *qui gignit tantùm*, quia, qui gignit magis est in fieri pater, quam in facto esse, ut consideranti patebit; ac proindè melius dicetur esse in potentia proxima ad habendum filium, quam filium habere, quia *habere* præsupponit factum; undè illa definitio, *Pater est, qui habet filium*, hoc sensu intellecta, *Pater est, qui gignit vel genuit filium*, etiam defuncto filio, non est magis diminuta, quam hæc, *Filius est, quem gignit vel genuit pater*, defuncto patre, sit diminuta: sive enim adhuc vivat filius, aut pater, sive mortuus sit, ly *genuit* semper suam significationem retinet, ex quo patet responsio ad cætera, quæ pro objecta confirmatione à Patre Comptono adferuntur. 1°. non dari patrem respectu filii possibilis, licèt ly *pater* non requirat terminum actu existentem. 2°. dari dominum respectu servi defuncti, quia, uti *Pater significat eum, qui filium gignit, vel genuit*, ità *dominus servi* per ampliationem significat eum, *Qui dominatur vel dominatus fuit servo*: quis enim neget eum, qui domino aliquando inservivit, dicere tandem *dominus meus mortuus est*; & eum, qui aliquandò servum habuit è contrà tandem dicere, *Servus meus mortuus est?* qui modus loquendi verificari non potest, nisi ex præsuppositio dictæ ampliationis. Et certè equidem, non est, qui prudenter neget D. Virginem, Christo jam defuncto, doluisse mortem filii, & nunc post resurrectionem ejus, jam primâ Christi generatione transactâ, eam esse Matrem Christi, idque ideò præcisè, quia Christum aliquando genuit. 3°. definitionem quâ Relatio definitur *cujus totum esse est ad aliud se habere.* non significare ly *aliud* debere existere, sed solùm distingui à fundamento, saltem tamquam intentionale à reali, quia ibi non dicitur *est ad aliud realiter se habere*, ut patet.

CLXXXVIII. Confirm. tandem Resolutio nostra: Relatio transcendentalis non requirit existentiam, imò ulla, nec possibilitatem termini, ut patet, in omnipotentia, cognitione, &c. ergò nec prædicamentalis: probatur consequentia. 1°. quia Relatio transcendentalis in eo præcisè à prædicamentali distinguitur, quod illius denominatum proximum concipi non possit sinè Relatione ad terminum; hujus verò concipi possit, ut Dub. sequenti probabitur, alioqui existentia termini ad istud *posse vel non posse concipi*, planè impertinens est, ut consideranti patebit, ergò, &c.

DVBIVM VI.

In quo præcisè distinguatur Relatio transcendentalis à Prædicamentali.

CLXXXIX. NOnnulli in eo eam præcisè distinguunt, quod transcendentalis non petat distinctionem realem à suo termino, secus prædicamentalis. Sed

CLXXXX. Contrà est 1°, quod nec prædicamentalis, prædicabilitatis videlicet speciei ad individuum, petat distinctionem realem à suo termino; nec transcendentalis eam renuat, ut in cognitione Petri patet: 2°, quod sicut transcendentalis in cognitione prout est sui ipsius cognitio, non petit distinctionem realem à suo termino; ità nec Relatio similitudinis A. prout est seipsâ similis similitudini B. eam petit.

CLXXXXI. Dices, non datur Relatio sui ad seipsum, sive ut loquitur P. Comptonus Disp. 11. Metaph. Sect. 13. Relatio non potest esse inter extrema non realiter distincta; quia Relatio est quædam oppositio, undè Aristoteles in Post-Prædicamentis inter oppositiones unam numerat *relativam*; sed ubicumquè est oppositio est distinctio; nam oppositio intercedit necessariò inter extrema realiter distincta; ejusdem enim ad seipsum non datur unio, ac proindè nec oppositio, ob defectum distinctionis, ergò, &c.

CLXXXXII. Confirmatur: ex eodem ibidem. Theologi indè probant realem distinctionem inter Personas Divinas, quia inter illas datur vera Relatio seu oppositio relativa, ergò censent ad veram Relationem requiri distinctionem realem.

CLXXXXIII. Respondeo, distinguendo assumptum, non datur Relatio sui ad seipsum 1o. intentionalis, concedo assumptum: 2°. intentionalis, nego assumptum. Talis enim est Relatio superioris & inferioris, speciei & individui, &c. ad probationem assumpti distingue proportionaliter. Relatio est quædam oppositio determinatè 1°. intentionalis, nego assumptum: 1°, aut 2°. intentionalis disjunctivè & indeterminatè, concedo assumptum.

Ad Confirmationem

CLXXXXIV. Respondeo, Theologos probare distinctionem realem inter Personas Divinas ex oppositione relativa inter illas, non quàcumque, ut patet, sed 1°. intentionali & reali; ex quo erui non potest, non dari aliam 2°. intentionalem & rationis; undè Petrus dici non debet realiter idem secum formaliter, sed ratione nostra tantùm, & sub conceptu formaliter identificante Petrum secum, sic ut realiter nonnisi fundamentaliter sit idem secum, prout realiter nonnisi fundamentaliter est homo, prout ly *homo* condistinguitur contra hunc hominem, ut Tract. 1°. Disp. 1ª. vidimus.

CLXXXXV. Alii, ut Cajetanus, Suarez, Conimb. Comptonus, &c. Relationem transcendentalem à prædicamentali in eo distinguunt, quod transcendentalis non respiciat suum terminum omninò gratis, seu purè ut terminum, id est, aliam denominationem ei non dando, quàm respecti, prout visio v. g. præter denominationem respecti, dat etiam objecto denominationem visi.

CLXXXXVI. Rejicitur distinctio ista à plerisque, eò quod in omnium sententia creatura respiciat Deum Relatione transcendentali, & tamen ipsum respicit purè ut terminum. Sed hæc impugnatio non placet; quia creatura Deum creationis Relatione respicit, creatio autem præter denominationem respecti, dat Deo denominationem creatoris, ac proindè Deum non respicit ut purè terminum: igitur aliter.

CLXXXXVII. Contrà est, quod juxtà illam sententiam Relationes prædicamentales in unione, in cognitione, ut prædicabilitas v. g. &c. fundatæ, sint transcendentales, quia hæ præter denominationem respecti, dant suo objecto denominationem uniti, prædicabilis, &c. His itaque præ aliis probabilibus sententiis rejectis, sit

Resolutio.

CLXXXXVIII. DIco, Relatio Transcendentalis à Prædicamentali in eo distinguitur, quod illa sit essentialis quoad nos fundamento, quod proximè denominat; hæc verò nonnisi accidentalis.

CLXXXXIX. Probatur, quia Transcendentalis ab eo dicitur, quod omne Prædicamentum, saltem quoad nos, transcendat; Prædicamentalis, quod in hoc solo Prædicamento ponatur, quæ distinctio sufficit & maximè vera videtur, ergò, &c.

DVBIVM VII.

An Relatio formalis Prædicamentalis sit forma fundamento intrinseca, an extrinseca.

CC. VIx in tota Philosophia quæstio est, quæ magis moveatur, & disputetur accuratius, quam hæc, eo quod Relatio omnia fere tangat, & quæ tangit referat: quod autem hîc controvertitur præsertim est 1°. an Relatio formalis Prædicamentalis sic sit fundamento intrinseca, ut ab eo realiter modaliter distinguatur. 2°. an Relatio formalis Prædicamentalis sic sit fundamento intrinseca, ut ita sit tota intrinseca fundamento connotando terminum extrinsecum, ut ab eo nequidem realiter modaliter distinguatur; vel sic, ut sit partim intrinseca fundamento, partim extrinseca, utpotè fundamento & termino æquè 1°. identificata. 3o. an sit tota extrinseca soli conceptui realiter identificata, & nonnisi per denominationem extrinsecam fundamento & termino conveniens. Pro quibus, sit

Resolutio I.

CCI. DIco 1°. contrà Scotistas communiter post Scotum in 2um. Dist. 2ª. q. 4. & Thomistas etiam communiter; (an cum D. Thoma? infrà apparebit) Relatio formalis Prædicamentalis, non est fundamento intrinseca, sic ut ab eo realiter modaliter distinguatur.

CCII. Probatur 1°. vel etiam ex ipso D. Thoma Quæst. 7. de potentia art. 3°. ubi docet, Relationem *Non facere compositionem cum subjecto: non significare aliquid in subjecto manens: desinere sine mutatione fundamenti*, &c. Et Opusc. 48. Tract. 5°. de Prædicamento ad aliquid cap. 2°. *Si quis in India modo fieret albus* (inquit) *fieret similis mihi, & ego sibi, nullâ in me factâ mutatione: similitudo enim jam in me nullam rem addit, suprà albedinem, quæ realiter sit in me.* Similia ferè habet cap. 1°. & 3°. ergò, &c.

CCIII. Dices, cum P. Comptono Disp. 11. Metaph. Sect. 7. verba illa Divi Thomæ explicari debent juxtà hæc alia ejusdem 1. p. q. 28. art. 2°. ad 2um. *Sicut in rebus creatis in illo, quod dicitur relativè,*

non

non solum est invenire respectum ad alterum, sed etiam aliquid absolutum, ità & in Deo: sed tamen aliter & aliter: nam id quod invenitur in creatura, præter id quod continetur sub significatione nominis relativi, est alia res, in Deo autem non est alia res, sed una & eadem. Item 4°. contrà Gent. cap. 14. art. 1°. *Relatio realiter adveniens substantiæ, & postremum & imperfectissimum esse habet, quia non solùm præexigit esse substantiæ; sed etiam esse aliorum accidentium, ex quibus creatur Relatio, sicut unum in Quantitate causat æqualitatem, & unum in Qualitate similitudinem.* Quid clarius? addit P. Comptonus, ergò, &c.

CCIV. Respondeo ad 1^um^. nihil indè contrà nos erui posse, quia S. Thomas ibi tantùm intendit contrà Porretanum salvare Dei simplicitatem, quæ non sit in creatura, propter quod dicit, *In creatura præter id quod continetur sub significatione nominis relativi*, id est, Relatione & ejus immediato denominato, albedine v. g. quantitate, &c. *Est alia res* videlicet substantia. *In Deo autem, non est alia res.* Ex quo tantùm sequitur immediatum denominatum Relationis in creaturis esse aliam rem à mediato, in Deo autem non dari mediatum.

CCV. Resp. ad 2^um^ nihil plus ex eo, quàm ex præcedenti contrà nos erui posse, quia ibi tantùm intendit D. Thomas salvare identitatem Relationum Divinarum cum Dei substantia & ab alio independentiam, è contrà nostrarum à substantia nostra distinctionem & ab alio dependentiam, quod totum salvatur dicendo, Relationes in nobis identificari conceptibus relatificantibus secundùm modum operandi spectatis, juxtà dicta suprà de intentione formali universalificante; ut sic enim Relatio in nobis *est realiter adveniens*, id est, conceptus realiter existens adveniens *substantiæ*. Item *& postremum & imperfectissimum esse habet*, utpotè esse conceptum tantùm: & denique *non solùm dependet ab esse substantiæ* tamquam denominato & fundamento, saltem remoto, *sed etiam*, ut ibidem loquitur, *Ab esse alicujus exterioris*, conceptus scilicet. Hæ autem explicationes mihi tantò sunt probabiliores quod alioqui, nonnisi contortè loca ex q. 7. de potent. & Opusc. 48. num. 200. citata explicari possint, & alioqui videatur S. Thomas apertè sibi contradicere. Quod autem 2°. contrà Gent. cap. 12. num. 3°. dicat *Deum non referri ad res in tempore productas per Relationem realiter in ipso existentem, quia non mutatur*, & ut loquitur num. 4°. *Cuicumquè aliquid de novo advenit, necesse est illud mutari, vel per se, vel per accidens*, &c. Non obstat, sed, cum inde insinuet Deum solùm referri ad res in tempore productas per Relationem ipsi extrinsecam, Resolutionem nostram confirmat, præsertim cum de Relatione in nobis non dicat esse intrinsecas, sed *ab exteriori*, ut statim vidimus: imò Opusc. 48. Tract. 5°. de Prædicamento ad aliquid dicit, *Relationem à Qualitate extrinsecè distingui.*

CCVI. Probatur 2°. ratione. Sicut compositum ut tale non est modus animæ vel corpori intrinsecus, ab eoque modaliter distinctus; ità nec Relatio est modus fundamento vel termino intrinsecus, ab eoque modaliter distinctus: non enim est major ratio in uno unum modum multiplicandi, quam in alio. Undè D. Thomas q. 7. de potent. art. 8°. ait *Relationem non facere compositionem cum subjecto.* Puta realem ut opponitur intentionali, ergò, &c.

CCVII. Probatur 3°. quia ex opposita sententia sequitur ad leviss imum frondis vel atomi motum resultare infinitos modos Relationum præsentiæ, distantiæ, similitudinis, dissimilitudinis, &c. in omnibus entibus totius mundi; sed hoc est absurdum, ergò, &c. Probatur minor, quia non est assignabilis causa determinans entia ista ad tales entitates novas in se producendas: non enim frons ipse, quia plerumquè nimium distat, nec agere potest in distans: non etiam ipsamet entia, quia quis illis vellicat aurem ut ad leviss imum frondis, plerumque summè distantis, motum evigilent, & tot novas entitates in se producant; neque id refundi potest in propensionem naturalem ipsorum, nam cum uno potius tempore, quàm alio illas producant, & nonnisi dicto motu facto, natura instituisse debuisset suos emissarios cursores, qui quàm citissimè cætera entia talis motus recens facti certiora facerent, quod est plusquàm delirium. Undè D. Thomas Opusc. 48°. Tract. 5°. de Prædicamento ad aliquid cap. 2°. dicit, *Si quis in India modo fieret albus, fieret similis mihi & ego sibi, nulla in me facta mutatione; similitudo enim in me nullam rem addit, suprà albedinem quæ realiter sit in me, ut patet.*

CCVIII. Nec salubriter hoc absurdum devorant nonnulli dicentes id admitti posse, quia Relationes non sunt simpliciter aliquid, sed ad aliquid: Ens enim & aliquid convertuntur; ens autem univocè dividitur in respectivum & absolutum; ac proindè licèt Relationes non sint simpliciter ens aut aliquid absolutum, sunt tamen simpliciter ens, & aliquid respectivum, sive simpliciter aliquid ad aliquid. Adde ex dicendis in Physica de ubi, Relationes in illa sententia non esse modos dicendas, sed res, quæ in omnium sententia sunt simpliciter ens absolutum & aliquid; ex qua etiam parte multiplicabuntur entia, scilicet unio Relationis, & Relatio uniti ad Relationem, subjectum, &c. sinè necessitate.

CCIX. Confirmatur: unitas sivè similitudo formalis duorum est quædam prædicabilitas de multis ut suprà num. 159. vidimus; sed prædicabilitas formalis non est prædicabilibus suis intrinseca, ergò nec Relatio relativis.

CCX. Probant alii 1°. communiter ex Aristotele 5°. Physic. Text. 10. & 11. *Ad Relationem non datur motus*, quia Relatio fit ad mutationem alterius: ille autem (ut patet) ad eam dari deberet si Relatio distingueretur, &c. Sed hæc probatio non placet, quia responderi potest Aristotelem solùm negare resultantiam sive motum à Relatione realiter distinctum, non verò ipsam esse ipsammet sui resultantiâ & motum, prout esse deberet, ne alioqui in actionibus & relationibus inter se realiter distinctis admittere oporteret processum in infinitum, ad quem vitandum dicitur actio fieri seipsâ, unio uniri seipsâ &c. si enim pater v. g. genito filio producat in se paternitatem per actionem realiter distinctam, paternitatem & istam actionem respiciet per Relationem novam causæ ad effectum, quam etiam producere debebit & respicere, &c. & sic in infinitum. Quod verò alii hinc inferunt saltem fore, ut Deus, posito fundamento, termino & ratione fundandi, Relationem impedire possit, per subtractionem concursus, cum tamen sit impossibile illam non sequi illis positis; mihi non est majoris efficaciæ; quia responderi potest illas Relationes esse omninò necessarias, non secus ac ubicationes, durationes, &c. de quibus in Physica. Deindè responderi potest Aristotelē tantùm negare ad Relationē

dari motum 1°. intentionalem, quia ipsa fit ad mutationem conceptus, ut infrà docebimus.

CCXI. Probat 2°. alii cũ P. Arriaga Disp. 12. Log. Sect. 6ª. dantur duo similia sinè Relatione realiter distincta, ut v. g. duæ similitudines, ergò idem de omnibus dicendum. Verùm hoc argumentum non est efficacius altero, quia imprimis optimè negari potest antecedens; ex eo enim, quod duæ similitudines referantur ad invicem per similitudinem realiter distinctam, non magis sequitur processus in infinitum (quem sequi malè putat P. Arriaga) quam ex eo, quod universalitas, quæ est aliis ratio prædicandi *ut quòd*, apta sit prædicari *ut quòd* per universalitatem realiter distinctam: ratio est, quia semper intervenire debet novus conceptus universalificans, in quo pro voluntatis arbitrio sisti possit. Deindè retorquetur argumentum hoc modo: datur aliquis effectus sinè actione realiter distincta, aliquod unitum sinè unione realiter distincta, ergò idem de omnibus dicendum, consequentia est apertè falsa & contrà ipsummet Arriagam; & ratio disparitatis quam adfert Arriaga, videlicet, quod effectus alii sint indifferentes ut pendeant ab hac vel illa causa; duæ albedines verò existentes, vel duæ earum similitudines, non sint indifferentes ut sint inter se similes, etiam divinitus, sed necessariò sunt tales; nulla est, quia, ut diximus, non sunt tales fundamentaliter, nisi interveniat conceptus unificans, qui abesse & adesse potest, illis existentibus.

CCXII. Adde tamen, quod sicut duæ albedines non sunt sibi invicem albedines per aliam albedinem, eo quod sint sibi ipsi essentialiter, quod aliis dant accidentaliter; ità nec duæ similitudines esse possunt sibi invicem per aliam similitudinem similitudines, eo quod sint sibi ipsi essentialiter, quod aliis dant accidentaliter, sic nempè, ut similitudo sit Prædicamentalis respectu fundamenti, & quodammodò transcendentalis ab eo, quod necessariò concipiatur similis omni similitudini, sive existenti, sive non, seu similitudini præscindendo ab ejus existentia vel non existentia; & dissimilis omni enti, quod est diversæ naturæ; idem enim esse isto sensu similitudinem & dissimilitudinem, vel ipsi Adversarii fateri debent, dum dicunt Relationem saltem inadæquatè fundamento identificari.

CCXIII. Probat 3°. P. Oviedus Disp. 9. Metaph. punct. 4°. si Relatio distingueretur realiter intrinsecè à fundamento & termino, una Relatio fundaret aliam: Relatio enim identitatis inter Petrum & Ioannem esset diversa à Relatione similitudinis inter duo alba, ac proindè fundaret aliam Relationem diversitatis, & hæc aliam, & sic in infinitum. Sed hæc probatio rejicitur ut præcedens P. Arriagæ, & retorquetur in actionem: quæro enim quare actio seipsâ, in sententia P. Oviedi & aliorum, dependeat ab hoc principio tamquam proprio modificato, & non seipsa ab alio, sic ut ab alio, quam proprio modificato, saltem divinitus, pendere possit per actionem realiter distinctam? Respondebit, quia ex eo quod actio seipsâ ab hoc principio tamquam proprio modificato non penderet, sequeretur processus in infinitum; non verò ex eo quod ab alio quam proprio modificato seipsâ non penderet: similiter respondeat Relationes illas inter se & ad alias referri seipsis, quia alioqui sequeretur processus in infinitum (ut ait,) undè malè trahit paritatem ab actione ad Relationem hoc modo, sicut actio à proprio modificato dependet seipsâ, & non seipsâ ab alio, quam proprio, ità Relatio identitatis Petri ad identitatem Ioannis refertur seipsâ, & non seipsâ ad alias; malè inquam, quia si ad alias non referretur seipsâ, sequeretur processus in infinitum, qui non sequitur ex eo, quod actio non pendeat seipsâ ab alio, quam proprio modificato.

CCXIV. Addo tamen allatas probationes in aliorum sententia esse plerumque efficacissimas, quod colligendum erit ex diversis uniuscujusque principiis; quam tamen sint infirmæ in nostra sententia, ostendisse sat est.

Resolutio II.

CCXV. Dico 2°. contrà plerosque Nominales, quos sequuntur PP. Arriaga Disp. 12. Logic. Sect. 5. numer. 19. Hurtadus Disput. 15. Metaph. Sect. 2ª. Oviedus Controv. 9. Metaph. Sect. 4. numer. 19. imò etiam Suarez & plures alii locis Resolut. præcedenti citatis. Relatio prædicamentalis est forma fundamento & termino extrinseca, ab eisque realiter adæquatè distincta: est Aureoli in 1^um. Dist. 30. q. 1ª. apud nostrum Bachonem in 1^um. Dist. 28. q. 1. art. 2°. ubi sic scribit: *Aureolus Dist. 30. q. 1. art. 2°. tenet, quod Relatio accepta pro habitudine non habet esse circumscripto omni opere intellectus & sensus: imò illud, quod est in rebus de Relatione sunt fundamenta & termini, habitudo vero inter illa est solùm objectivè in anima cogitativa: & q. 2ª. art. 1°. declarat se sic: Relatio realis non dicitur eo quod est in actu* (puta 2°) *in re, sed eo quod est in re secundùm potentiam propinquam, ita quod cogitur intellectus illam reducere in actu.* Est similiter Henrici Quodl. 7. q. 1. in Resp. ad 2^um Arg. etiam apud nostrum Bachonem loco citato art. 3°. ubi sic scribit. *Henricus Quodl. 7° q. 1. &c. declarat suam opinionem*, nempe quod Relatio non sit aliquid reale secundùm propriam & formalem rationem, *Sic in omni Prædicamento aliud est res Prædicamenti, aliud ratio formalis Prædicamenti: formalis enim ratio Prædicamenti à reipsa Prædicamenti præcisa non est nisi nomen 2ª intentionis.* Id est, post conceptum, ut Tract. 1. Disput. 1. probatum est. Neque ab hac sententia alienus videtur Aristoteles 6. Metaph. textu cap. 8^i. cap. ult°. ubi de entibus prædicamentalibus ait: *entia, quæ sunt in rei veritate, aut sunt quale, aut quantum, aut si quid aliud, copulat aut dividit mens.* Imò sententia nostra omnino videtur D. Thomæ locis à numer. 199. citatis: putoque eam debere esse omnium omninò Nominalium aliquousque Prædicamentum Relationis à cæteris distinguentium.

PROBATVR

1ª *Pars Resolutionis.*

CCXVI. Probatur 1ª pars. Relatio Prædicamentalis non est fundamento & termino intrinseca, ergò est extrinseca. Probatur antecedens pro 1ª. parte, posito solo fundamento non est in fundamento (ipsis Adversariis fatentibus) formalis intrinseca denominatio relativi; ac proindè nec forma intrinseca Relationis; quia formam intrinsecam esse in subjecto, & denominationem formalem intrinsecam illius esse in subjecto, sunt eadẽ, ut constat ex omnibus formis denominantibus: ergò

ergò ut formalis intrinseca denominatio relativi, & forma intrinseca Relationis, sit in fundamento pendet à positione termini extrinseci (quod fatentur) plerumq; summè dissiti. Atqui hoc intelligi non potest, ergò, &c. probatur minor, quia ut Resolut. 1ª. argumentabamur contrà Thomistas, non est assignabilis causa determinans fundamentum, ut se jam denominet formaliter intrinsecè relativum, potius quam antè; non enim ipse terminus, quia omninò extrinsecus & plerumque summè dissitus, nec determinare potens in distans sinè medio: non etiam ipsum fundamentum, ut rectè suprà probavimus, ergò, &c.

CCXVII. Probatur antecedens pro 2ª parte eodem argumento, loco fundamenti ubique ponendo terminum, hoc modo, posito solo termino non est in fundamento, &c.

CCXVIII. Respondebit 1º. Suarez & plurimi alii Connotatores, posito solo fundamento esse quidem totam formam Relationis secundùm intrinseca, non verò secundùm esse formale denominationis relativi, defectu termini, quem essentialiter connotat, & à quo in esse denominationis essentialiter pendet. Sed

CCXIX. Contrà 1º. posito solo termino, non est tota forma Relationis secundùm intrinseca defectu fundamenti à quo essentialiter pendet, ergò neque posito solo fundamento. Consequentia probatur, quia vel per eos non dantur Relationes mutuæ; quod est falsum; vel si dentur, non est major ratio unius quam alterius, & consequenter esse patrem, & esse filium, idem erunt, quod nullus dixerit.

CCXX. Contrà 2º. vel terminus est intrinsecè constitutivus Relationis spectatæ secundùm esse formale denominationis relativi, vel extrinsecè tantùm? si 1ᵘᵐ. ergò nec est tota intrinseca fundamento, sive secundùm intrinseca & esse formæ, sive secundùm esse formale denominationis (quæ malè distinguerentur) contrà ipsosmet; adde & ea, quæ statim adferemus contrà responsionem 2ᵃᵐ. si 2ᵘᵐ. manet tota vis nostræ Probationis, ut consideranti patebit.

CCXXI. Contrà 3º. ex illa Responsione sequitur 1º. intellectionem, sensationem, visionem, &c. non distingui realiter ab anima; dicam enim posità solâ animâ dictos actus semper esse secundùm intrinseca, & tantùm non esse secundùm extrinseca, objectum scilicet, & cætera, quæ requirunt ut sint, illis præcisè ut realiter distinctis exceptis. 2º. esse visum, conceptum, commune, Vniversale, &c. esse denominationes intrinsecas respectu Petri & Pauli; dicam enim absente visione, conceptu, 1ª. intentione formali communificante, universalificante, &c. non esse quidem denominationem visi, concepti, &c. secundùm extrinseca, visionem scilicet, conceptum, &c. benè autem secundùm intrinseca, Petrum scilicet & Paulum, & sic de aliis denominationibus extrinsecis, quas ista responsio & sententia tollit contra omnem rationem.

CCXXII. Respondebunt 2º. PP. Hurtadus, Arriaga, Oviedus, &c. non esse quidem soli fundamento, vel soli termino intrinsecam; sed fundamento, termino & rationi fundandi simul sumptis. Ast

CCXXIII. Contrà 1º, posito fundamento præcisè, aut termino præcisè, non est Relatio secundùm esse formale denominationis relativi, ergò fundamentum & terminus ad hanc denominationem habendam debent se mutuo ab invicem summè distantes determinare, ut suprà num. 214. argumentabamur, quod intelligi non potest: 2º. in Relationibus mutuis v.g. similitudinis, æqualitatis, &c. in utroque extremorum est Relatio, ergò si terminus sit pars intrinsecè constitutiva Relationis fundamenti, & fundamentum pars intrinsecè constitutiva Relationis termini; terminus summè distans à fundamento debebit esse intrinsecus fundamento, & fundamentum summè distans à termino debebit esse intrinsecum termino, quod magis intelligi non potest, quàm quod summè distantia, quæ se respiciunt Relatione distantiæ, sint sibi invicem summè præsentia, ergò, &c.

CCXXIV. Contrà 2º. argumenta contrà Connotantes num. 217. facta vim suam retinent, ergò, &c. assumptum patet, nam ex ista responsione.

CCXXV. Sequitur 1º. Intellectionem, Sensationem, Visionem, &c. non distingui realiter adæquatè ab anima; sed esse inadæquatè positâ solâ animâ; adæquatè verò positâ animâ, objecto & cæteris, quæ requirunt ut sint, ipsis præcisè ut realiter distinctis exceptis: 2º. esse visum, conceptum, commune, universale, &c. esse denominationes inadæquatè intrinsecas respectu Petri & Pauli, cum sint à forma adæquatè extrinseca, &c.

CCXXVI. Contrà 3º. ex hac definitione Aristotelis, *Ad aliquid sunt, quibus hoc ipsum est esse ad aliud quodammodo se habere.* Communis Philosophorum sententia (ait Oviedus hîc contr. 9. punct. 1º.) hanc deprompsit, *relativa sunt* (puta formaliter) *quorũ totũ esse, est ad aliud*, ut sit sensus, *Relatio est, cujus totum esse est ad aliud*: atqui nõ apparet ad quid aliud tota esse possit Relatio, si dicat intrinsecè fundamentum, terminum & rationem fundandi, aut si (ut nonnulli loquuntur) illis omnibus simul sumptis identificetur. Vnde consequenter omninò cessat solemnis illa quæstio, an Relatio ad absolutum, an ad relativum formaliter terminetur, ergò, &c.

PROBATVR

2ª Pars, Resolutionis.

CCXXVII. PRobatur 2ª Pars, quia Relatio Prædicamentalis vel formaliter fundatur in *unitate*, vel in *multitudine*, vel in *actione* aut *passione* fundamentaliter, & formaliter in conceptu agentis præcisè ut principii *quod* effectus, & actionis præcisè ut principii *quo* ejusdem: si 1ᵘᵐ. identificatur conceptui unificò: si 2ᵘᵐ conceptui distinctivo: si 3ᵘᵐ. identificatur conceptui agentis, &c. atqui hi conceptus realiter adæquatè distinguuntur à fundamento & termino, ergò, &c.

CCXXVIII. Probatur major, quia eodem modo se habent identitas, æqualitas & similitudo ad conceptum ut unificum; & diversitas, inæqualitas & dissimilitudo positiva prædicamentalis ad conceptum distinctivum, sive quo unum concipitur non esse aliud (puta in ratione Substantiæ, Quanti, vel Qualis secundum exigentiam Relationis;) & causalitas relativa ut v.g. Paternitas (& idem est proportionaliter de effectivitate v. g. filiatione) ad conceptum agentis, &c. quo se habent communitas ad conceptum ut communificum, & superioritas ad conceptũ ut superiorificũ; atqui communitas & superioritas identificantur realiter & objectivè adæquatè istis conceptibus, & ab objectis eorum realiter

liter adæquatè, non secus ac ipsi, distinguuntur, ergò similiter, &c. Sed pro clariori hujus intelligentia

CCXXIX. Nota duplicem esse diversitatem, inæqualitatem, & dissimilitudinem; unam negativam, & hæc est idem quod negatio identitatis æqualitatis, &c. vel potius idem quod negatio conceptus unifici, commensurantis, &c. in quibus fundantur; & hæc est antè intellectum, de hacque loquebamur suprà, cum diximus illa esse summè diversa, summè dissimilia, &c. quæ sunt diversa, dissimilia, &c. antè intellectum: aliam positivam, & hæc sola (ut patet) est relatio Prædicamentalis diversitatis, inæqualitatis, &c. fundata in conceptu, quo unum concipitur non esse aliud, puta secundùm rationem Substantiæ in genere, vel specie, secundùm rationem quanti in genere, vel commensurati juxtà exigentiam Relationis; nam spiritus v.g. & palmus dicunt Relationem Prædicamentalem diversitatis secundùm rationem Substantiæ & Quantitatis in genere, quia spiritus non est quantus sicut palmus: palmus verò & semipalmus dicunt Relationem Prædicamentalem diversitatis secundùm rationem quanti commensurati; quia palmus & semipalmus non sunt ejusdē commensurationis; idē dic proportionaliter de dissimilitudine inter Substantiam & albedinem, albedinem & nigredinē, & hæc Relatio est tantùm post intellectum (ut patet:) nam sicut illa sunt eadem Prædicamentaliter, quæ concipiuntur ut unius Prædicamenti; æqualia, quæ concipiuntur ut unius mensuræ, &c. ita illa sunt diversa Prædicamentaliter, quæ concipiuntur ut distinctorum Prædicamentorum; inæqualia, quæ concipiuntur ut distinctæ mensuræ; oppositorum enim oppositа est ratio; & alioqui diversitas, inæqualitas, &c. esset negativa & exclusa à Prædicamento, contrà Aristotelem & communem omnium.

CCXXX. Confirmatur 1o. ab authoritate, quia præterquam quòd hæc sententia omninò videatur D. Thomæ locis Resolutione præcedenti citatis, manifestè est Anselmi in Monolog. cap. 24o. ubi docet Relationes, seu relativas denominationes non solùm in creatis, sed etiam in Deo, sinè scrupulo admitti posse & debere, idque sinè ulla prorsus mutatione facta in Deo, ergò, &c.

CCXXXI. Confirmatur 2o. à ratione pro utraque parte, quæ possunt esse & non esse, immutato fundamento & termino, sunt extrinseca, & realiter adæquatè distincta à fundamento & termino; atqui Relationes Prædicamentales sunt tales, ergò, &c. Probatur minor, quia Relatio sequitur rationem formalem fundandi, sive conceptum, quo præcisè posito ponitur, & quo præcisè ablato tollitur; sed dicta ratio fundandi sive conceptus potest esse & nō esse immutato fundamēto & termino, ergò, &c.

Resolutio III.

CCXXXII. Dico 3o. Relatio est formalitas realiter & objectivè adæquatè identificata rationi formali & *ut quo* fundandi, ab eaque solâ ratione formali distincta. Est omnium Nominalium Prædicamentum Relationis à cæteris aliquousquè distinguentium

CCXXXIII. Probatur 1a. & 2a. pars Resolutionis clarè, tum ex tota Resolutione 2a, tum ex Refutatione distinctionis objectivæ suprà Tract. 1o. de distinctione Disp. 2a. Dub. 5o.

CCXXXIV. Probatur 3a. pars 1o. ex Refutatione aliarum sententiarum: 2o. quia eodem modo se habet Relatio ad rationem formalem fundandi, quo Quantitas ad materiam, & potentiæ animæ rationalis ad animam in sententia eas realiter non distinguentium: sed Quantitas à materia, & potentiæ ab anima, in illa sententia, solâ ratione formali distinguuntur, ergò, &c. Minor patet, quia in illa sententia Quantitas & materia non distinguuntur, nisi ut conceptus formalis materiæ præcisè secundùm exigentiam partium extensarum localiter, & conceptus materiæ ut primi subjecti omnium formarum: item potentiæ & anima non distinguuntur, nisi ut conceptus formalis animæ præcisè secundùm quod potens est taliter vel taliter operari, & conceptus animæ ut Substantiæ spiritualis naturalis incompletæ. Consequentia tenet à pari, nam alius conceptus formalis similitudinis, utpotè formæ accidentalis referentis unam Qualitatem ad aliam, alius conceptus unifici, in quo fundatur, utpotè conceptus formalis, imaginis vitalis plures Qualitates unificantis: Item alius conceptus formalis Paternitatis, utpotè formæ referentis genitorem ad genitum; alius generationis utpotè modi tollentis indifferentiam, quam habet genitor, ut sit generans, vel non generans: Item alius conceptus, quo entitatem genitoris ut principii *quod*, & entitatem filii ut principii *quo* præcisè concipimus, & sic de aliis, ergò, &c.

CCXXXV. Confirmatur: vel dicendum duo alba esse similia formaliter secundùm suas entitates Physicas, ut docet P. Compt. Metaph. disp. 11. Sect. 12. vel agnoscendū puto similitudinem realiter distinctam, vel defendendum sententiam nostram, hac & præcedenti Resolutione allatam; atqui 1um dici non potest; quia similitudo formalis fundatur in unitate formali; duo autem alba dici non possunt formaliter unum antè intellectum, magis quam formaliter universalia antè intellectum, ut considerati patebit. 2um autem sufficienter rejectum est Resolutione 1a, ergò, &c.

CCXXXVI. Dices fortè 1o. ex hac Resolutione & suprà dictis de Relatione Transcendentali, sequitur Relationem prædicamentalem & transcendentalem non esse Relationes nisi secundùm dici, sed hoc est absurdum, ergò, &c.

CCXXXVII. Respondeo, in eo nullum esse absurdum, sed id omninò dicendum, tum juxtà dicta suprà de Relatione Transcendentali; tum juxtà hîc dicta de Relatione Prædicamentali; quia reverà omnia esse intrinsecè absoluta, & penes conceptus nostros solùm distincta, satis convincunt ibi dicta.

CCXXXVIII. Dices 2o. dici non potest quod Relatio sit tantùm fundamentaliter à parte rei: 1o quia ad quid ponere aliam similitudinem quàm fundamentalem, distinctam ab ea, quæ est fundamentaliter, à parte rei. 2o eodem pacto possemus dicere albedinem non esse nisi fundamentaliter albedinem antè intellectum; humanitatem non esse formaliter animam & corpus unita antè intellectum; colorem non facere formaliter coloratum antè intellectum, & infinita alia chymærica, quæ gratis fingi possunt, sicut in sententia ista fingitur similitudo distincta, ergò, &c.

CCXXXIX. Resp. ad 1um rogando cur, sicut alibi agnoscitur, unitatē Qualitatum à parte rei esse universalē tantùm fundamētaliter, non agnoscatur illā unitatem esse relativam fundamentaliter tantùm antè intellectum? in illā enim evidenter retorqueo illas tuas duas probationes: 1o. quia sicut dicis, *ad*

quid

quid ponere aliam similitudinem, quam fundamentalem, &c. dico, ad quid ponere aliam unitatem specificam, quam fundamentalem, &c. si dicas, quia per illam unitatem fundamentalem non habetur unitas specifica formaliter; tibi dico similiter, quia per illam similitudinem fundamentalem non habetur similitudo formaliter, & sic de cæteris, quæ adferre potes; quia unitas specificâ, & similitudo formalis solo nomine distinguuntur: nam ficut juxtà Aristotelem *illa sunt formaliter similia, quorum qualitas est una*; ità secundum omnes, illa sunt formaliter in qualitate unum unitate specificâ, quorum qualitas est una: quod autem addi posset, unum & simile esse respectus disparatos, videtur omninò falsum, si agatur de uno unitate communi, de qua hic agimus; nec minus possunt summè distincta esse unum hâc unitate, quam similitudine: est tamen verum, si agatur de unitate indivisionis in se, & divisionis à quolibet alio; sed de hac unitate, cum sit hæc sola uniuscujusque rei hæcceitas in particulari, nec ipse, nec ullus alius ad rem agere potest. Ex his

CCXL. Dico: omnino debere poni ex Aristotele suprà num. 213. citato, Relationem formalem distinctam à fundamentali; quia Prædicamenta saltè ratione inter se distinguit; sic enim ponitur unitas formalis universalis distincta à fundamentali, quia si fundamentalis esset formalis, sequeretur aliqua contradictio, &c. dum verò respondent aliqui secundùm Aristotelem hæc decem Prædicamenta non semper significare res distinctas inter se, quia actio & passio sunt duo Prædicamenta, & tamen non distinguuntur, ut omnes admittunt; se proprio gladio jugulant; quia licèt plærique admittant actionem & passionem non distingui realiter, nulli tamen negant distingui ratione; ac proindè, per hoc saltem stat, quod Aristoteles duo illa Prædicamenta inter se ratione distinxerit, & consequenter etiam Prædicamentum Relationis à cæteris; item quòd similiter ipsi Adversarii Relationem prædicamentalem, id est, formalem, à cæteris Prædicamentis ratione nobiscum distinguere debeant.

CCXLI. Resp. ad 2^um attendendo ad communem loquendi modum, nullam esse distinctionem inter totum & partes, albedinem formaliter & similitudinem, &c. Ratio est, quia communis loquendi modus, non distinguit inter terminos *formaliter* & *fundamentaliter*; Philosophi verò (saltem non vulgares & alicujus notæ) distinguunt illos: undè Thomistæ dicunt Relationem formaliter distingui realiter à fundamento & termino: non autem Relationem fundamentaliter: Scotistæ autem dicunt totum formaliter distingui realiter à suis partibus, sivè à toto fundamentaliter, ac proindè albedinem, ut est totum formaliter, distingui realiter à suis partibus integrantibus; ego verò, ut Philosophum decet, rationem sectatus, præclaros illos Philosophos imitatus, & incultæ Plebi communè loquendi modum relinquens, distinxi hos terminos *formaliter* & *fundamentaliter*, non quidem realiter antè intellectum (ut ipsi in Relatione, toto, &c.) sed realiter post intellectum, volens ly *formaliter* importare distinctionem per intellectum; quod idem, facio in Physica pro albedine respectu suarum partium, & humanitate respectu animæ & corporis unitorum; volens, hæc quidem esse à parte rei, non tamen totum ut totum formaliter, nisi juxtà communem loquendi modum, quem incultis lubens relinquo. Et sic patet quid respondendum sit ad infinita alia, quæ (non satis attentè) finguntur esse chymærica; sed de distinctione totius à partibus aliquid ex professo dicemus in Physica.

DVBIVM VIII.

An Relatio terminetur ad absolutum, an ad correlativum formaliter.

ANtè Resolutionem

CCXLII. Suppono, sensum dubii esse, an Relatio terminetur ad Correlationem sibi oppositam? an ad subjectum extrinsecum illius, sive ad subjectum ab illa extrinsecè denominatum: ex quo liquet dubium tantùm procedere de Relationibus mutuis; quia non mutuæ non habent Correlationem. Hoc supposito, sit

Resolutio I.

CCXLIII. DIco 1°. Nullæ Relationes (etiam æquiparantiæ) seipsis terminantur ad oppositam Correlationē: est contrà PP. Compl. Nostros, Ioan. à S. Thom. Arriagā, Oviedū & alios.

CCXLIV. Probatur, quia omnis Relatio est indifferens, ut termineiur ad oppositam correlationem, vel non terminetur, ergò, &c. probatur antecedens, quia ad illam terminari non potest, nisi adsit ratio fundandi, sed 1ª. Relatione positâ ratio fundandi Relationis ipsius ad correlationem, utpotè conceptus, est indifferens ut sit vel non sit, & abesse ac adesse potest, ergò, &c.

CCXLV. Nec dicas rationem fundandi Relationes similitudinis inter albedinem A. & albedinē B. simul esse rationem fundandi Relationes similitudinis harum Relationum; quia eadem ratio ob quam requirimus rationem fundandi Relationes similitudinis inter albedinem A. & albedinem B. ab his realiter distinctam, videlicet, summa distinctio & diversitas negativa albedinis A. & albedinis B. antè conceptum eas unificantem, hic militat. Nam hæc similitudo albedinis A. & hæc similitudo albedinis B. non minus sunt summè distinctæ & diversæ antè conceptum eas unificantem, utpotè objectivè indivisibiliter *hoc & hoc*, quam hæc albedo A. & hæc albedo B. nec unificantur per conceptum has unificantem, quia hic conceptus in illas non tendit in actu signato; sed in actu exercito facit duas; unam unum extremum extrinsecè afficiens, aliam alterum.

CCXLVI. Confirmatur. Ideò universalitas, quæ est aliis ratio prædicandi *ut quod*, non est sibi ipsi ratio prædicandi *ut quod*: sed debet esse talis per universalitatem realiter distinctam; ideo uni°, quæ est propriis extremis ratio uniendi *ut quod*, non est sibi ipsi ratio uniendi aliis *ut quod*, sed debet illis *ut quod* uniri per unionem realiter distinctam; ideò actio, quæ est effectui ratio fiendi *ut quod* à Proprio principio, non est sibi ipsi ratio fiendi *ut quod* ab aliis principiis, sed debet ab illis *ut quod* fieri per actionem realiter distinctam: quia sunt indifferentia ad hoc ut sint talia, ut colligitur ex eo quod non sequitur processus in infinitum; si dicantur talia fieri per universalitatem, unionem, actionem, &c. realiter distinctam: subsumo, atqui ex eo quod Relationes (etiam æquiparantiæ) seipsis non terminentur ad oppositam correlationem, non

sequi-

sequitur processus in infinitum, quia pro arbitrio sistitur in conceptu, ergò, &c.

Resolutio II.

CCXLVII. Dico 2°. 1ª. Relationes, sivè æquiparantiæ, sivè disquiparantiæ terminantur ad absolutum tantùm. Ita Scotus in 1ᵘᵐ. Dist. 26. q. 1. & Dist. 30. q. 1. ac ejus discipuli communiter, quos sequitur P. Noster Bacho in 1ᵘᵐ Dist. 29. q. 1. art. 3. §. 3°. Item è Patribus Societatis Vasquez, Suarez, Hurtadus, & ex Thomistis Soncinas, Sotus, Capreolus, &c.

CCXLVIII. Probatur, quia ad id terminantur, ad quod fundamentum, quod extrinsecè afficiunt, referunt, ergò terminantur ad absolutum tantùm: probatur consequentia, quia suum fundamentum referunt ad absolutum tantùm; nam albedo A. v. g. non est similis similitudini albedinis B. sed albedini B. nec pater est filiationis pater, sed entitatis filii, ergò, &c.

CCXLIX. Confirmatur 1°. non est necessaria correlatio ad esse terminum Relationis, ut patet in termino Relationis non mutuæ, ergò Relatio non necessariò terminatur ad correlativum formaliter.

CCL. Confirmatur 2°. ad hominem contrà Thomistas: destruat Deus filiationem, quam dicunt modaliter ab entitate filii distingui (quod potest, quid enim obstat?) & conservet paternitatem, pater per paternitatem adhuc filium respiciet, non ut correlativum formaliter, quia, ut patet, non erit tale, ergò ut absolutum; ac per consequens antè ità illum respiciebat; quia per dictam destructionem non mutatur pater.

CCLI. Objicies 1°. paternitas & filiatio terminantur ad invicem; quia non minùs paternitas est filiationis paternitas, quàm pater filii pater, ergò Relatio terminatur ad correlativum formaliter.

CCLII. Respondeo 1°. negando consequentiam, quia paternitas ut refertur ad filiationem, non est Relatio formaliter, de qua hîc quæritur, ad quid terminetur; sed fundamentum relatum ad filiationem per Relationem novam, quæ filiationem non respicit ut correlativum, sed ut terminum ad quem refert paternitatem illius correlativum, ac proindè non nisi ut Relationem materialiter. Vnde

CCLIII. Respondeo 2°. distinguendo antecedens paternitas & filiatio terminantur ad invicem sub ratione fundamenti & termini, vel Relationum materialiter, concedo antecedens: sub ratione Relationum formaliter, nego antecedens.

CCLIV. Instabis, Paternitas & Filiatio in Divinis, terminantur ad correlativum formaliter, ergò & in creatis.

CCLV. Respondeo, negando consequentiam, nulla enim est consequentia (ut suprà ostensum est) à Divinis ad creata, alioqui statim sequeretur in creatis paternitatem non produci, & filiationem produci; paternitatem & filiationem in creatis eidem indivisibili Substantiæ identificari, & inter se realiter distingui, quod est trahere mysterium Sanctissimæ Trinitatis ad creaturas. Ratio igitur disparitatis est; quòd Relationes Divinæ sint suum sibi ipsi fundamentum, utpotè Substantiales, non item creatæ: undè mirum non est, si illæ seipsas ad se invicem referant, & non ad terminum absolutum; ex quo rectè P. Suarez, *Sicut Relationes Divinæ seipsis fundantur, ità seipsis terminantur.*

CCLVI. Objicies 2°. correlativa secundum Aristotelem hîc *sunt simul naturâ*; atqui si Relatio non terminetur ad correlationem, non erunt simul naturâ, ergò, &c. Probatur minor, paternitas, secundum nos, terminatur ad Substantiam filii, & non ad filiationem; sed Substantia filii est prior naturâ filiatione, ut patet, ergò & paternitas est prior naturâ filiatione, quia, dum terminatur, est.

CCLVII. Respondeo, ly *natura* ibi latè sumi pro *intellectu*; unde concessâ majore, neg. minorem. Ad ejus probationem, nego etiam min. pro qua nota 1°. Substantiam filii esse in creatis, naturâ (hâc strictè sumptâ) posteriorem Substantiâ patris; quia hæc est causa illius, sive quia hæc influit esse in illam defectibile. 2°. Substantiam filii esse in creatis origine posteriorem actione generativâ, quia ab illa ut principio quo, originatur, non tamen intellectu, quia actio generativa, utpotè essentialis productio geniti, non magis esse aut intelligi potest sinè genito, quàm unio sinè unibili. 3°. Substantiam patris in creatis esse naturâ & origine priorem actione generativâ; quia illa est causa hujus tamquam effectus *quo*: ex quibus sequitur paternitatem & filiationem in creatis esse posteriores intellectu Substantiâ patris, priores tamè origine Substantiâ filii, non secus ac est actio generativa, licèt non sint illâ priores intellectu; ex quo optimè intelligitur paternitatem & filiationem esse simul intellectu, non secus ac est generatio activa & passiva: undè quandò paternitas terminabitur ad Substantiam filii, erit filiatio, licèt ad eam paternitas non terminetur, & pater formaliter intelligi non possit sinè filio formaliter, nec pater formaliter sit senior filio formaliter, etsi genito 30. annis post patrem materialiter, quo sensu pater est senior filio. Sumitur ex Nostro Bachone in 1. Dist. 6. q. 1. art. 5. §. 2°. & Quodl. 1°. q. 13. concl. 3ª.

CCLVIII. Objicies 3°. secundum eumdem Aristotelem hîc, si auferatur ab hero quod sit bipes, scientiæ susceptivus, imò homo; si nihilominus relinquatur herus; servum adhuc ad herum referendum, ergò censet Aristoteles Relationem servi terminari ad herum formaliter.

CCLIX. Confirmatur, vel servus formaliter terminatur ad herum formaliter, vel ad herum quà hominem: 2ᵘᵐ est falsum, quia alioqui ad omnem hominem terminaretur, ergò 1ᵘᵐ est verum.

CCLX. Resp. 1°. Aristotelem ibi non agere de termino Relationis, sed de correlativo, ac proindè tantùm velle, quod etiamsi auferatur ab hero, quòd sit bipes, scientiæ susceptivus, &c. si nihilominus relinquatur herus, herum adhuc fore correlativum servi: vel dic Aristotelem ibi non quærere ad quid referatur servus simpliciter, sed ad quid referatur ad convertentiam, quomodò certum est referri ad herum formaliter, sive ad correlativum, eò quòd sint simul intellectu; si tamen velis, Aristotelem ibi agere de termino Relationis, & quærere ad quid herus referatur simpliciter, in procinctu est Responsio, quia Aristoteles non vult ab hero auferri omne omninò absolutum, sed quod sit homo, bipes, &c. quia dicit si relinquatur herus in concreto, cujus materiale significatum (quodcumque illud sit) esse debet absolutum; undè ad illud terminari poterit servus formaliter.

Ad

Ad Confirmationem

CCLXI. Respondeo servum formaliter non referri ad hominem simpliciter; sed quatenus est hic homo habens servum, quod non convenit omnibus hominibus.

CCLXII. Objicies 4°. oppositio relativa est formaliter inter duas Relationes; atqui inter Relationem & terminum est oppositio Relativa, ergò terminus est relatio, respectus, &c. & non quidpiam absolutum.

CCLXIII. Respondeo distinguendo minorem, atqui inter Relationem & terminum est oppositio relativa, latè sumpta pro distinctione unius ab alio, concedo minorem; nam juxta nostra principia Relatio distinguitur realiter à termino: strictè sumpta, & prout media est inter Relationem & correlationem, nego minorem: hoc modo etiam distingui poterit minor, inter Relationem & terminum est oppositio relativa materialis, sive ex parte materialium significatorum Relationis & termini, quę sunt absoluta entitas fundamenti, & absoluta entitas termini, in quantum scilicet fundamentum non potest esse idem cum termino, concedo minorem: formalis sive ex parte ipsius Relationis & termini ut ipsam terminantis, nego minorem; quia, ut patet in Relatione non mutua, is non debet esse relativus, siquidem Relatio non terminatur ad terminum ut terminum in actu signato, quomodò est formaliter respectivus, sed ad terminum in actu exercito, id est, ad id, quod sit tantùm terminus, per hoc, quòd Relatio exercitè ad ipsum fundamentum suum referat.

DVBIVM IX.

An multiplicatis terminis multiplicentur Relationes.

CCLXIV. Sensus dubii est, an quandò unum relativum terminatur ad plures terminos ejusdem speciei, ut pater ad plures filios, simile ad plura similia, respiciat singulos filios per diversas paternitates, & singula similia per diversas similitudines; an omnia per unam, quam 1°. habuit, ut communiter affirmant Thomistæ, & omnes, qui Relationem à fundamento realiter intrinsecè distinguunt, pro quo sit

Resolutio I.

CCLXV. Dico 1°. multiplicatis simul tempore terminis, non necessariò multiplicantur Relationes.

CCLXVI. Probatur, quia, ut fusè suprà probatum est, Relatio sequitur & identificatur formali rationi fundandi; sed illa potest esse una ad terminos simul tempore multiplicatos, sive ad multos terminata, ergò, &c. Probatur minor, quia Relationes primi generis fundantur in conceptu unifico, vel distinctivo, qui potest esse multorum inter se unificus vel distinctivus ut patet; secundi verò fundantur in actione vel quasi actione; passione, vel quasi passione, quæ sicut (ut probabitur in Physica) principiari potest à multis simul tempore causis, ita & terminari ad multos simul tempore effectus; formaliter verò in conceptu agentis vel quasi agentis, patientis vel quasi patientis præcisè ut principii *quod*, & actionis vel quasi actionis, passionis vel quasi passionis præcisè ut principii *quò* effectus, vel effectuum, ergò, &c.

CCLXVII. Confirmatur, una est Relatio filii ad patrem & matrem, quia una ratio fundandi filiationem, ergò similiter una est Relatio patris & matris ad multos simul tempore filios (si per Deum ponerentur) quia una est ratio fundandi fundamentaliter *ut quod* & formaliter *ut quo* fundans paternitatem, & maternitatem; idem clarius patet in Relationibus primi generis: sicut enim una est Relatio similitudinis, ubi unus conceptus confundit multas albedines v.g. cum albedine A, ita è converso una est, ubi conceptus confundit unam cum multis, & sic de aliis, ergò, &c.

Resolutio II.

CCLXVIII. Dico 2°. multiplicatis successivè terminis, ordinariè multiplicantur Relationes.

CCLXIX. Probatur ut antè, quia Relatio sequitur & identificatur formali rationi fundandi; sed illa ordinariè multiplicatur multiplicatis successivè terminis, ergò, &c. Probatur minor, quia nullus conceptus aut actio attingit terminum, quem à principio non attingit, alioqui termini essent concepti, quia esset ipsorum conceptus, & facti, quia esset eorum fitio sivè actio, & non essent, quia unus supponitur esse alio absente, quod implicat, ergò, &c.

CCLXX. Dixi *ordinariè*, quia necessarium non est, conceptum nostrum ferri successivè in res existentes, sed res successivas simul repræsentare potest, licèt ordinariè contrarium contingat spectatâ rei exigentiâ.

DVBIVM X.

An detur unicum genus supremum hujus Prædicamenti.

Resolutio.

CCLXXI. Dico contrà Scotum & plures alios Veteres, datur unicum genus supremum hujus Prædicamenti.

CCLXXII. Probatur, quia datur unicum definitum in definitione Relationis, videlicet ipsa Relatio, ergò & unicum genus supremum hujus Prædicamenti.

CCLXXIII. Confirmari potest, tum authoritate Porphyrii Cap. de Specie, ubi docet esse unum genus supremum cujuslibet Prædicamenti, aliàs non fore unicum Prædicamentum; tum quia, si plura forent, tria maximè forent, videlicet Relatio, fundamentum & terminus; sed fundamentum & terminus tale esse non possunt, ergò, &c. Probatur minor, quia, cum communissimè sint entia absoluta, ad hoc Prædicamentum pertinere non possunt, ergò, &c.

CCLXXIV. Objicies, Relatio in genere, quæ est supremum genus, debet habere fundamentum & terminum sibi in genere correspondentem, sed hoc implicat, ergò, &c.

CCLXXV. Probatur, quia, vel essent entia absoluta? & hoc non, quia fundamentum & terminus in communi debent, non secus ac ipsa Relatio, omnibus in particulari convenire, quod non fieret, quia,

ut vidimus suprà, fundamentum & terminus materialiter interdum sunt entia relativa: vel essent entia relativa? & hoc multò minùs, quia ordinariè sunt entia absoluta, undè omnibus in particulari convenire non possent: vel denique abstraherent ab absoluto & relativo; nec etiam hoc dici potest, 1°. quia fundamentum & terminus in particulari non abstrahunt, sed sunt determinatè entia absoluta, vel relativa: 2°. quia id quod abstrahit ab absoluto & respectivo, est ipsum ens, quod est superius ad relationem genus generalissimum, ac proindè non potest esse fundamentum & terminus illius, ergò, &c.

CCLXXVI. Respondeo 1°. retorquendo argumentum in causam in genere, cognitionem in genere, &c. Causa in genere, quæ est supremum genus ad omnes causas, debet habere effectum sibi in genere correspondentem: Item cognitio, quæ est supremum genus ad omnes cognitiones debet habere objectum sibi in genere correspondens; sed hoc implicat, ergò, &c. Major patet, quia causa in genere definitur *Principium influens esse in aliud*; cognitio verò *objecti repræsentatio*. Probatur minor, quia vel ille effectus esset causa alterius? & hoc non, quia effectus in communi debet non secus ac ipsa causa in communi, omnibus effectibus in particulari convenire, quod non fieret, quia dantur effectus, qui non sint causa alterius: vel non esset causa alterius? & hoc multò minùs, quia ordinariè effectus sunt activi & causa alterius: undè etiam omnibus in particulari convenire non posset: vel denique abstraheret ab esse causam, vel non esse causam alterius; neque etiam hoc dici potest, 1°. quia effectus in particulari non abstrahunt, sed sunt determinatè causa, vel non causa alterius. 2°. quia, quod abstrahit à causa & non causa est ipsum ens, &c. ut suprà in objectione: idem argumentum fit in cognitione hoc modo: objectum cognitionis in genere est cognitio, vel non cognitio, vel abstrahit ab utraque, &c.

CCLXXVII. Respondeo 2°. in forma negando minorem, ad ejus probationem, nego assumptum pro 1°. parte; haberet enim terminum abstrahentem ab absoluto & respectivo, id est, qui in actu signato, sivè in esse termini, non potius exigeret esse ens absolutum, quàm respectivum, vel è contrà, sed absolutum & respectivum indifferenter esse posset, licèt in actu exercito necessariò absolutum vel respectivum esset: sic enim Propositio in omnium Sententia, abstrahere debet in suo conceptu formali ab affirmativa & negativa, in quantùm in actu signato, sivè in esse Propositionis, non magis exigit esse affirmativa, quàm negativa, vel è contrà, sed affirmativa vel negativa indifferenter esse potest, licèt in actu exercito sit affirmativa vel negativa, saltem quoad nos. Idem proportionaliter dicendum de effectu suprà, de objecto cognitionis, &c.

DISPVTATIO QVARTA.

De Qualitate.

DVBIVM I.

Quid sit Qualitas Prædicamentalis, sive quænam sit ejus vera definitio.

CCLXXVIII. QValitatem hìc definit Aristoteles, *quâ quales quidam dicuntur*, ut albedo, scientia, virtus, &c. dici autem qualis, est denominari à concreto per quod responsio detur, ad quæstionem factam qualis res est: circà hanc definitionem, vel potius descriptionem, ut benè notant Cajetanus, Sotus, Robel, Murcia, &c. sensum nostrum in disputatione aperiemus; hìc tantummodo adverte, aliquid tribus modis posse denominari quale: 1°. latissimè à quocumque concreto 4i. aut 5i. prædicabilis, quod potest esse substantiale, ut aurum respectu calicis: 2°. strictius à concreto accidentali non substantiali, quod potest esse quantum, relativum, &c. 3°. strictissimè à concreto, cujus forma est Qualitas hujus Prædicamenti, sed quid Qualitas hujus Prædicamenti, difficulter dicitur, ut patebit infrà, ubi etiam de speciebus Qualitatis agemus. Quarè sit

Resolutio I.

CCLXXIX. DIco 1°. definitio, quam suprà ex Aristotele recensuimus, præterquam quòd obscura sit (ut constat ex advertentia ibi facta) & cõtortâ explicatione indigeat, sèper manet, quòd sit illegitima, quia non est notior definito, siquidè æquè nobis ignotum est, quid sit *esse quale*, per quod Qualitas definitur, quàm quid sit *esse qualitas*, quæ per illam definitionem definitur: eodem modo hanc rejicies, *qualitas est accidens merè qualificativum substantiæ*. Cur enim linea, non æquè est accidens merè qualificativum substantiæ, ac albedo, & sic de aliis?

Resolutio II.

CCLXXX. DIco 2°. definitio, quam varii Thomistæ adferunt, videlicet, *Qualitas est accidens absolutum perficiens substantiam secundùm formam*, in multis peccat: 1°. in eo, quòd omnes Qualitates in se non comprehendat, ut Qualitates afficientes Angelos, actus v. g. intellectus, voluntatis ipsorum, &c. quia in Angelis non est forma: item nec raritatem & densitatem, quæ magis sequuntur materiam, utpotè tantam vel tantam illius extensionem, vel potius ipsam protendentes, quàm formam: 2°. in eo, quòd comprehendat sub se ea, quæ non sunt Qualitates, ut v. g. *ubi* (maximè cum in Physica probemus, illud esse rem) actionem, &c. vel enim per ly *absolutum* in definitione positum excluditur omne relativum formaliter, tam transcẽdentaliter quàm prædicamentaliter, vel solum relativum Prædicamentaliter: si 2um, clarum est comprehendere *ubi*, *actiones*, &c. quia hæc non sunt relativa Prædicamentaliter: si 1um, nulla dabitur (quod nullus dixerit) Qualitas, nam illa debet esse accidens; omne verò accidens præter Relationem Prædicamentalem, utpotè ex suo conceptu formali entis ens, est Relativum transcendentaliter: eodem modo rejicies definitionẽ. PP. Hurtadi & Arriagæ *Qualitas est accidens absolutum à quantitate distinctum.*

Reso-

Resolutio III.

CCLXXX. Dico 3°. neque hæc aliorum definitio, *Qualitas est accidens principaliter ordinatum à natura, ut substantiam perficiat in essendo, vel operando*; minus peccat. quia imprimis convenit *quantitati, ubi, actioni*, &c. quia *quantitas* & *actio* ut *passio*, à materia ut materiam, *ubi* & *actio* ut *actio* à forma ut formam (quæ sunt partiales substantiæ & naturæ) saltem in essendo perficiant, principaliter ordinatæ sunt: deindè actus v.g. vitales non sunt principaliter à natura ordinati ad perficiendum substantiam, sed potentias, ad quas dicunt immediatam Relationem transcendētalem, & ad substantias non nisi mediatam; & tamen, secundùm omnes, sunt Qualitates: denique Deus, natura naturarum perfectissima, principaliter creet qualitates extrà omne subjectum, ut potentiam suam manifestet principaliter, vel insigne aliquod miraculum tegat, uti de facto in sententia P. Arriagæ & nonnullorum ex Nominalibus, Species Eucharisticas creat, non erunt à materia ordinatæ ad perficiendum substantiam, ergò desinent esse Qualitates? consequentia est per-absurda; vidè dicta contrà P. Oviedū Disp. de Substantia Dub. 1°.

Resolutio IV.

CCLXXXI. Dico 4°. ex duplici capite rejici debet hæc definitio *qualitas est accidens absolutum* (de quibus particulis suprà num. 278. contrà Thomistas) *ordinatum ex se* 1°. *ad perficiendam substantiam*: vel enim ly *ex se* 1°. idem est, quod principaliter à natura, & id statim refutatum est: vel idem, quod connaturaliter; quid obsecro connaturalius substantiæ, quam productio proprietatum, quam ubi, quam quantitas materiæ. &c. Deindè numquid vitia sunt Qualitates voluntatis, errores Qualitates intellectus; has tamen potentias connaturaliter non perficiunt, sed omninò contingenter, sicut albedo parietem: quod enim aliqui velint has Qualitates deturpare & non perficere; verum est moraliter, non Physicè & transcendentaliter, nam ad actus Physicè & transcendentaliter bonos, licèt moraliter malos, perficiunt.

Resolutio V.

CCLXXXII. Dico 5°. propius ad naturam Qualitatis accedit definitio P. Oviedi, *Qualitas est accidens, quod secundùm rationem superiorem Prædicamenti tantùm sequitur actualitatem perfectam*, id est, est accidens, quod secundùm genus supremum sui Prædicamenti sequitur tantùm substantiam simplicem completam, vel tantùm formam; per ly *tantùm* exclude *Relationem, ubi, actionem*, &c. quæ sequuntur materiam & formam, per ly *actualitatem* exclude quantitatem, quæ sequitur potentialitatem, sivè materiam: si verò *hæc relatio, hoc ubi, hæc actio*, &c. sequatur actualitatem perfectam tantùm, hoc non habet secundùm genus supremum sui Prædicamenti, id est, *ut relatio, ut ubi*, &c. quarè non est Qualitas. Verum hæc definitio suas etiam habet difficultates: 1°. quia non satis apparet, quid significet illud *sequitur* in definitione positum: vel enim significat idem, quod, actualitatem perfectam, sive formam substantialem tantùm perficit; vel idem, quod ab actualitate perfecta tantum producitur; vel idem, quod in actualitate perfecta recipitur: si 1^um^, quatuor 1^æ Qualitates non erunt Qualitates, quia non tantùm actualitatem perfectam perficiunt, sed etiam materiam 1^am^, in qua, vel immediatè, vel saltem mediante ejus potentiâ receptivâ instrumentali recipiuntur: si 2^um^, *Gratia, Fides, Spes, Charitas* respectu hominis, *lux* respectu aëris, *calor* respectu aquæ, &c. non erunt Qualitates, quia ab eorum actualitate perfecta sivè forma substantiali non producuntur: si 3^um^, 1^æ Qualitates, imò nullæ materiales (saltem non modales) erunt Qualitates, quia in materia immediatè, vel saltem mediante ejus potentiâ receptivâ instrumentali (ipsomet teste) recipiuntur: deindè ab Oviedo probandum manet, quod illud sit Qualitas, quod secundùm rationem superiorem Prædicamenti tantùm sequitur actualitatem perfectam; si enim poneretur unicum Prædicamentum *entis*, vel duo tantùm, *substantiæ* & *accidentis*, ut probabiliter potest, nihil esset assignabile, quod secundùm rationem superiorem Prædicamenti tantùm sequeretur actualitatem perfectam, quia ens & accidens sunt communia materiæ & formæ; ergò isto casu nulla daretur Qualitas; absurda est sequela, ergò & definitio, ex qua sequitur: deindè, sicut datur vera Qualitas, videlicet unio inter materiam & quantitatem (in sententia P. Oviedi hanc realiter distinguentis à materia, & illam ab eductione) quæ actualitatem perfectam nullo modo sequitur, secundùm rationem specificam *qualis*, & à fortiori secundùm rationem superiorem Prædicamenti, ut patet; ità ad essentiam Qualitatis omninò frustrà requiritur illā secundum rationem superiorem Prædicamenti sequi actualitatem perfectam: adde species visuales esse veras qualitates, & tamen dictam actualitatem non sequi, sed colorem sivè in materia tamquam subjecto, sivè extrà omne subjectum.

Resolutio VI.

CCLXXXIII. Dico 6°. minus, quam aliæ hæc definitio nonnullorum aliorum Recentiorum: *Qualitas est accidens non modale, à quantitate distinctum, benè aut malè afficiens subjectum in se, vel in ordine ad operationē* admitti debet; quia potiùs dicit quid Qualitas non sit, quam quid sit: deindè superflua continet, videlicet *benè aut malè*, quia quidquid Qualitas afficit *benè aut malè afficit*: deniq; nec *ubi*; nec *relationem*; nec *situm* excludit; hæc enim non sunt accidentia modalia, & subjectum saltem in se benè afficiunt; imò unionem accidentalem, si realiter ab eductione distinguatur (quod plerique docent) non includit.

CCLXXXIV. Dices fortè cum Patre Comptono Disp. 10. Metaph. Sect. 1ª. omissis aliorum definitionibus. Qualitas omninò melius definiri videtur, hoc modo, Qualitas *est accidens absolutum à quantitate distinctum benè aut malè afficiens subjectum*, ergò, &c.

CCLXXXV. Respondeo hanc definitionem minus, quam præcedentem admitti debere, quia præterquam quod impingat in omnes difficultates contrà illam allatas, includit *actionem, unionem*, & cæteros modos, quibus convenit esse absolutum, prout opponitur relativo, puta prædicamentaliter, quia cuilibet Qualitati convenit esse relativum transcendentaliter, utpote essentialiter entis ens.

RESOLUTIO II.

CCLXXXVI. DIco 2°. omnium commodissimè Qualitatem definies hoc modo, *Qualitas est accidens solidum substantiæ duranti & ubicatæ realiter adveniens.*

CCLXXXVII. Dixi *accidens solidum*, ut excludat actionem de Prædicamento actionis, quæ ut prædicamentalis abstrahit ab eo, quod sit ens solidum vel modale, uti *ubi* quatenus prædicamentale abstrahit ab eo, quod fiat cum tali vel tali correspondentia partium inter se, quam dicit *situs*, *sessio*, *cubatio*, &c. Vndè ens ut unius Prædicamenti specificativè potest de ente alterius prædicamenti prædicari essentialiter, ut patet in *ubi* respectu sessionis, cubationis, &c. non verò ut alterius Prædicamenti reduplicativè, quia ut sic formaliter ab altero semper distinguitur, ut consideranti patebit.

CCLXXXVIII. Nota Aristotelem hîc multipliciter qualitatem ad sensum vulgi dividere, eodem modo, quò suprà quantitatem divisit.

CCLXXXIX. 1°. In habitum vel dispositionem: habitus autem vel dispositio (ut communiter explicatur) *est qualitas acquisita vel infusa, difficulter aut facile amovibilis*, quæ aliquo modo subjectum disponit in ordine ad bonum proprium, vel alienum, ut omnes qualitates supernaturales, albedo, sonus, &c. habitus autem & dispositio accidentaliter tantùm distinguuntur sivè secundùm majorem, quomodo habitus, & minorem, quomodo dispositio dicitur, intensionem.

CCLXXXX. 2°. In potentiam vel impotentiam: potentia vel impotentia *est qualitas à natura insita, quâ subjectum redditur potens vel impotens*, id est, debiliter potens ad operandum, patiendum, vel resistendum; sic visus in juvene, dicitur potentia, in sene impotentia: nec hæc (ut patet) aliter distinguuntur, quàm habitus & dispositio.

CCLXXXXI. 3°. In passibilem qualitatem, vel passionem: passibilis qualitas vel passio hîc accipi solet pro qualitate aliquo sensu perceptibili, vel affectione appetitus difficulter aut facile amovibili; sic pallor ex metu, calor ex ira, rubor ex verecundia, & ipsemet actus metus, iræ, verecundiæ, &c. sunt passibilis qualitas, si diu durent; passio, si cito transeant: neque hæ aliter distinguuntur, quam priores, ut consideranti patebit.

CCLXXXXII. 4°. In figuram vel formam: figura autem vel forma *est qualitas quantitatem terminatam consequens*; si corporis artificialis, vocatur figura; si viventis, forma, juxtà hunc versum

Viventis formam, ficti dic esse figuram

ex quo liquet illas solo connotato distingui, nec, quod verisimilius, ad hoc Prædicamentum pertinere, sed ad situm, à quo nulla ratione videntur distingui, licet hic numerentur ex vulgi opinione.

DISPVTATIO V.

De reliquis Prædicamentis.

CCLXXXXIII. ANtè Resolutiones Suppono reliqua Prædicamenta esse sex. *Actionem* scilicet, *Passionem*, *Vbi*, *Quãdò*, *Situm* & *Habitum*, quæ brevissimè hîc prosequitur Aristoteles, eò quòd illorum tractatio maximè Physicam concernat, in quam etiam illorum pleraque rejiciemus.

RESOLUTIONES.

I.

CCLXXXXIV. DIco 1°. actio *est forma à qua aliquid dicitur agere*; Passio *forma à qua aliquid dicitur pati*: sic productio caloris, dicitur actio; ejus receptio in subjecto, passio: sed de his in Physica.

II.

CCLXXXXV. DIco 2°. ubi *est præsentia rei in loco*, ut esse in classe, in choro, &c. an autem illa *præsentia* debeat esse formalis, an fundamentalis tantùm? an *actio* & *ubi* sint res solida; an tenuis & modus; fusè declarabitur in Physica.

III.

CCLXXXXVI. DIco 3°. quandò *est existentia rei in tempore*, ut esse hodie, fuisse heri, &c. an & quomodo *quandò* distinguatur à relactione, similiter in Physica declarabitur.

IV.

CCLXXXXVII. DIco 4°. Situs *est dispositio partium totius cum certa proportione & correspondentia ad invicem in ordine ad locum*, ut sessio, cubatio, statiò, &c. Situs autem non distinguitur realiter ab ubi circumscriptivo, sed formaliter tantùm, eò quòd fiat cum proportione & correspondentia, ubi verò circumscriptivum ab ea abstrahendo. Hinc

CCLXXXXVIII. Colliges Angelos non habere situm, quia non habent partes, caput, ventrem & similes heterogeneas, ratione quarum dicitur hoc animal stare, sedere, &c.

V.

CCXCIX. DIco 5°. habitus *est indumenti hominis ad corpus applicatio*, id est, tales ubicationes partium corporis hominis, & indumenti ad illum, ut dicatur indutus, vestitus, armatus, &c. habitus non distinguitur realiter ab ubi circumscriptivo, sed formaliter tantùm, sicut & à situ; quia præter ubi circumscriptivum & proportionem ac correspondentiam partium ejusdem corporis inter se, dicit duorum corporum coexistentiam, v. g. hominis & vestis, cum proportione & correspondentia inter se.

TRAC-

TRACTATVS VI.

DE POST-PRÆDICAMENTIS.

1. DE Post-prædicamentis Aristotelis satis suprà in Præparamento Logico.

TRACTATVS VII.

IN LIBROS DE INTERPRETATIONE.

1. HIc Liber à Græcis *Perihermenias* inscribitur, à Latinis *de Interpretatione*, id est, enuntiatione, eò quòd hæc sit mentis interpres: Aristoteles autem in illo agit 1° de Signis. 2° de Nomine. 3° de Verbo. 4° de Oratione. 5° de Propositione, de quibus permulta diximus in Præparamento Logico; quæ autem difficiliora, & quæ majori digna discussione videbantur, in hunc locum rejecimus; quarè, &c. sit

DVBIVM I.

Quodnam sit objectum propositionis mentalis.

II. ANtè Resolutionem Suppono 1°: Propositionē quidem objectivam esse subjectū, sivè objectū Propositionis mētalis, & significatū vocalis; sed, cum in Propositione illa objectiva sit Propositionis mentalis objectum materiale & formale, directum & indirectum; abs re non erit & supervacaneum de objecto Propositionis mentalis dubium speciale instituisse.

III. Suppono 2°. objectū Propositionis mentalis esse duplex, materiale & formale: materiale est id, circà quod versatur Propositio mētalis, ac proindè est ipsa Propositio objectiva, sivè ipsū enuntiabile: formale est ipsa ratio propter quā Propositio mentalis affirmat vel negat, de qua latius Resolut. 2ª.

IV. Suppono 3°. objectum materiale Propositionis mentalis esse duplex: unum proximum & directum, & est, quod per se, quasi in recto, ab actu tangitur: aliud remotum & indirectum, & est, quod tantùm, quia directo conjungitur, & quasi in obliquo, ab actu tangitur.

V. Suppono 4°. dubium esse posse de duplici Propositione mentali: 1ª. scilicet seu directa, & 2ª. seu reflexa: 1ª. seu directa est illa, quam 1°. format ille, qui Propositionem vocalem facit: 2ª. seu reflexa est illa, quæ in hanc propositionem vocalem tendit, & consequenter in Propositionem mentalem, pro qua supponitur. His suppositis sit

RESOLUTIO I.

VI. DIco 1°. objectū proximum & directū Propositionis mentalis primæ & directæ est *identitas*, si affirmativa sit; *non idētitas*, si negativa sit.

VII. Probatur objectum proximum & directum Propositionis mentalis est id, quod proximè & directè pro mentali supponitur, vel ut alii, est id quod proximè & directè Propositionem mentalē, significat: sed *identitas* proximè & immediatè supponitur pro mentali affirmativa, *non identitas* pro mentali negativa, eamq́ue significat, ergò, &c. Probatur minor, quia copula *est* proximè & directè significat Propositionem mentalem affirmativam *non est* negativā; sed ly *est* proximè & directè significat identitatem, ly *non est* proximè & directè significat *non identitatem*, ergò, &c.

VIII. Confirmatur proximum & directū Propositionis mentalis objectum materiale, est id, circà quod proximè & directè versatur Propositio mentalis: sed mentalis affirmativa proximè & directè versatur in actu signato circà *identitatem objectivam*, negativa circà *non identitatem*, ergò, &c.

IX. Dixi *objectivam*, quia Propositio 1ª. & directa mentalis affirmativa, non tendit in *identitatem formalem* factam & in actu signato, sed eam in actu exercito facit, per hoc scilicet, quod fiat & exerceatur: sic 1ª. & directa negativa non tendit in *non identitatem formalem* factam & in actu signato; nam alioqui negaret *non identitatem formalem*, esseţque Propositio affirmativa *identitatis formalis*; quia negare *non identitatem*

formalem in actu signato est affirmare *identitatem formalem*; sed eam facit per hoc, quod ipsa Propositio fiat & exerceatur. Hinc autem

x. Sequitur negationem objectivam *non identitatis objectivæ* esse affirmationem objectivam : item negationem formalem *non identitatis formalis* esse affirmationem formalem, non autem negationem formalem *non identitatis objectivæ*; quia ut duæ negationes faciant affirmationem, debent esse ejusdē Generis, ambæ scilicet objectivæ, vel ambæ formales, alioqui non daretur judicium negativum, quod est absurdum.

Resolutio II.

xi. Dico 2o. objectum remotum & indirectum Propositionis mentalis, sunt prædicatum & subjectum.

xii. Probatur, quia Propositio eà tantum attingit, eo quod sint medio, *identitati* scilicet vel *non identitati* conjuncta, ergò, &c.

Resolutio III.

xiii. Dico 3o. objectum proximum & directum Propositionis mentalis 2æ. seu reflexæ est *identitas* vel *non identitas*, sive Propositio sit affirmativa, sive negativa.

xiv. Probatur, quia in omni Propositione mentali reflexa, affirmatur, vel negatur *identitas* vel *non identitas*, ergò, &c. Probatur antecedens; inter argumentandum proponenti, *Petrus est animal, Petrus non est lapis*, respondetur concedendo, sivè affirmativè; proponenti verò, *Petrus non est animal, Petrus est lapis*, respondetur negando, sivè negativè; sed ibi affirmatur *identitas* vel *non identitas*; hìc verò negatur *identitas* vel *non identitas*, ergò in omni Propositione affirmatur vel negatur *identitas* vel *non identitas*. Probatur consequentia; quia non apparet, cur in aliis Propositionibus id similiter non contingat, ergò, &c.

xv. Confirmatur : Responsalis inter argumentandum semper directè tendit in *identitatem* vel *non identitatem* prædicati cum subjecto, in actu signato ab Argumentante propositam, idque per actum reflexum suprà actum Argumentantis: sed sæpè concedit *identitatem*, ut cum Argumentans dicit *Petrus est animal*, & etiam *non identitatem*, ut cum dicit *Petrus non est lapis*; è contrà verò etiam sæpè negat *identitatem* propositam, ut cum Argumentans dicit *Petrus est lapis*, & sæpè negat *non identitatem*, ut cum dicit, *Petrus non est animal*, ergò, &c. Ex dictis

xvi. Colliges 1o. actum affirmativum 1um & directum non tendere *in identitatem* sui objecti materialis in actu signato; quia alias eam factam præsupponeret, cum tantùm eam faciat per hoc, quod ipse fiat ab intellectu, & tendat in duo, quæ in actu exercito identificet: idem dicendum de actu negativo respectu *non identitatis*; nam si in actu signato in *non identitatem* tenderet, jam tolleretur omnis actus negativus, quia actus in actu signato negans *non identitatem*, affirmat *identitatem*.

xvii. Colliges 2o actum affirmativum & negativum reflexum tendere *in identitatem* & *non identitatem* in actu signato, quia jam supponūt eam per 1um directum actum factam, ipsíque in actu signato proponitur: undè omnis actus mentalis reflexus est affirmativus; nam si actus reflexus tendat in *identitatem* eam affirmat, vel negat; si affirmet, jam patet quod sit affirmativus; si illam neget, est etiam affirmativus; quia negare *identitatem* in actu signato reverà est affirmare *non identitatem*, quod ex contradictorio patet; sicut enim negare *non identitatem* in actu signato, est affirmare *identitatem*; ita negare *identitatem* in actu signato est affirmare *non identitatem*: si verò actus reflexus tendat in *non identitatem*, etiam eam affirmat, vel negat: si affirmet, jam clarum est esse affirmativum; si neget, est etiam affirmativus, quia negare in actu signato *non identitatem* reverà est affirmare *identitatem*.

Resolutio IV.

xviii. Dico 4o. objectum formale Propositionis mentalis affirmativæ est ipsa ratio assentiendi; negativæ est ipsa ratio dissentiendi. Ità Divus Thomas 2æ. 2æ. q. 1a. art. 1o. & alii communiter.

xix. Probatur ex communi omnium Philosophorum. Ratio quâ movetur intellectus, vel alia potentia, ad suum actum, vocatur objectum formale actus, ergò ratio, quâ movetur intellectus ad assentiendum sivè affirmandum est objectum formale Propositionis affirmativæ; & illa, quâ movetur ad dissentiendum sivè negandum est objectum formale Propositionis negativæ. Sed

xx. Petes quid sit illa ratio assentiendi, vel dissentiendi?

xxi. Respondeo, quandoque esse ipsam evidentiam terminorum, ut in Propositionibus immediatis, *quodlibet est vel non est. Totum est majus suâ parte*; vel, ut alii, claram apprehensionem incomplexam *identitatis* vel *non identitatis* extremorum inter se; quandoque tamen opus est medio aliquo & argumento ad intellectum proximè disponendum, si nempè *identitas* vel *non identitas* non sufficienter in apprehensione incomplexa appareat: Hinc ulterius

xxii. Divides Propositionem in immediatam & mediatam.

xxiii. Immediata est, cui assentimur ex sola evidentia terminorum, ut *omne totum est majus sua parte*.

xxiv. Mediata est, cui non nisi assentimur propter aliquod medium sivè argumentum, ut, *est ignis sub camino*, quia nempè videmus fumum; *homo est rationalis*, quia experimur illum ratiocinari.

Dvbivm II.

An Propositio vocalis separata ab intellectu sit vera Propositio.

xxv. Dixi separata ab intellectu, quia conjuncta actui intellectus enuntiativo, pro quo supponitur, rationem veræ Propositionis emēdicare passim à Philosophis admittitur. Quare sit

Resolutio.

xxvi. Dico Propositio vocalis etiam separata ab actu intellectus, est verè Propositio.

xxvii. Probatur 1o. ex mente Aristotelis, qui libro 1o. Topic. definiens Propositionem, pro Genere definiti assignat *orationem*, quæ est indifferens ad vocalem & mentalem. Nam lib. 1o. de Interp. Cap. 4o. docet *vocem* esse Genus orationis, ergò, &c.

xxviii. Probatur 2o. propositio definitur *alicujus*

cujus de aliquo affirmativa, negativavè oratio; sed talis est Propositio vocalis separata ab omni actu intellectus, ergò est verè Propositio.

XXIX. Probatur minor, affirmare est *significare aliquid alicui inesse*, negare est *significare aliquid alicui non inesse*. Ita Aristoteles 1°. de Interp. Cap. 5°. sed Propositio separata ab omni actu intellectus significat *aliquid alicui inesse*, vel *non inesse*, ergò, &c. probatur minor, quia hæc propositio vocalis, *homo est bonus*, significat bonitatem inesse homini; hæc verò, *homo non est bonus*, significat bonitatem non inesse homini, ergò, &c.

XXX. Probatur 3°. cuicumque conveniunt proprietates, convenit essentia; sed propositioni vocali, &c. conveniunt proprietates propositionis, scilicet *esse veram*, vel *falsam*, ergò, &c.

XXXI. Probatur minor 1°. quia, ut ait Aristoteles, *verum & falsum in compositione*: id est, affirmatione; & *divisione*, id est, negatione, consistit; sed Propositioni vocali convenit affirmatio & negatio, ergò, &c.

XXXII. Probatur minor 2°. veritas propositionis vocalis est conformitas significationis cum re significata; falsitas difformitas: sed hæc Propositio, *Deus est trinus*, habet significationis conformitatem cum re significata; & hæc, *Deus non est trinus*, difformitatem, ergò & veritatem ac falsitatem. Hinc patet veritatem Propositionis vocalis non debere considerari secundùm entitatem vocum, sed secundùm entitatem significatorum per voces, sivè (quod in idem recidit) *voces* ad veritatem Propositionis vocalis debent considerari ut significativæ, quomodo Tract. 2°. Dub. 5°. diximus illas esse Universales; non verò ut talia entia, quomodo sunt singulares tantùm, & nullæ Universales.

XXXIII. Objicies 1°. Propositio vocalis habet ab aliquo actu mentis, quod hoc, vel illud significet; ergò ratio Propositionis non convenit Propositioni vocali ab actu mentis separatæ.

XXXIV. Respondeo distinguendo antecedens, Propositio vocalis habet ab aliquo actu primùm imponente vocibus significationem, quod hoc vel illud significet, concedo antecedens: ab actu mentis, pro quo supponitur, nego antecedens: contrarium enim per Resolutionem nostram statuimus: similiter distingue consequens.

XXXV. Objicies 2°. solius est intellectus affirmare vel negare, ergò Propositio vocalis separata ab actu mentis, non est affirmativa, vel negativa.

XXXVI. Respondeo distinguendo antecedens, solius est intellectus affirmare assertivè & judicativè concedo antecedens; significativè seu significando nego antecedens: contrarium enim constat ex Aristotele 1°. de Interp. Cap. 5°. ubi dicit, *affirmare esse significare inesse, negare significare non inesse*. Sic enim habet: *Una autem affirmatio & negatio est, quæ unum de uno* (puta inesse vel non inesse, ut præmiserat in initio) *significat*. Significare verò est proprium vocum.

XXXVII. Instabis, indè sequeretur psittacum posse affirmare & negare, ac proindè facere veras Propositiones.

XXXVIII. Respondeo psittacum impropriè affirmare & negare, &c. sicut impropriè format voces; si verò propriè formaret voces, etiam propriè affirmaret, vel negaret, formando tres voces, quarum una esset prædicatum, alia copula, tertia subjectum; quia illæ necessario essent significativè conformes vel difformes suo objecto.

XXXIX. Urgebis, si Propositio vocalis esset affirmativa, & per consequens vera, vel falsa, prout conformis vel difformis suo objecto; qui dormiens diceret, *Deus non est trinus*, mentiretur, & esset hæreticus; sed hoc est absurdum, ergò, &c.

XL. Respondeo negando sequelam majoris, quia istæ denominationes *mendacis* & *hæretici*, non secundùm falsitatem vocum significantium, sivè in significando, accipi debent; sed secundùm falsitatem vocum asserentium & judicantium in asserendo & judicando; ac proindè non secundùm difformitatem vocum cum suis significatis præcisè, sed judicii & dictionis assertivæ, cui conjunguntur & subsunt.

XLI. Objicies 1°. Propositio vocalis negativa non est vera Propositio, ergò, &c. probatur antecedens, quia ipsi deest copula, nam cum dicat *non est*, dicit *non copulam*, sivè negationem copulæ, ergò, &c.

XLII. Respondeo negando antecedens, ad ejus probationem distinguo assumptum, ipsi deest copula affirmativa concedo assumptum: ipsi deest copula correspondens judicio v.g. negativo, prout opponitur affirmativo, quæ est positiva, haud secus quam ipsum judicium, cui correspondet, aut non secus quam significatum harum vocùm *non rationale*, sivè potius *irrationale* prout brutum constituit, nego assumptum: unde liquet Propositionem vocalem negativam esse veram, & de copula negativa prædicari copulam positivam requisitam ad Propositionem in genere, prout reipsâ, licet verbo sivè voce nostra neutiquam, ab affirmativa & negativa abstrahit.

DUBIUM III.

An apprehensioni, an soli judicio, conveniat ratio Propositionis.

ANtè Resolutionem

XLIII. Suppono 1°. apprehensionē, sivè 1am. mentis operationem definiri simplicem objecti repræsentationem & imaginem, quâ intellectus rem sibi in sua specie, tamquam in speculo, objectam repræsentat; apprehensio verò sic descripta est triplex. Una simplex, sivè simplicis termini, ut v. g. illa, quæ fertur in subjectum Propositionis tantùm, copulam tantùm, aut prædicatum tantùm: alia virtualiter multiplex ut v. g. illa, quæ simul & semel indivisibiliter fertur in totum enuntiabile, ac proindè æquivalet multis simplicibus & incomplexis: 3a. denique, est formaliter multiplex, ut v. g. illa, quæ componitur ex apprehensione simplici subjecti 1o. pronuntiati, ex apprehensione simplici copulæ 2o. pronuntiatæ, & ex apprehensione prædicati 3°. pronuntiati.

XLIV. Suppono 2°. antè actum judicii, sive actus assertivi, varias formari apprehensiones, unam, scilicet, simplicem subjecti; aliam simplicem copulæ, 3am simplicem prædicati, idque successivè, sicut à proferente, 1um. subjectum, deindè copulam, denique prædicatum profertur: his autem tribus apprehensionibus simplicibus præmissis, nonnumquam formatur apprehensio una virtualiter multiplex totius enuntiabilis; quia cum intellectus bene feratur in totum enuntiabile per judicium simplex, virtualiter tantùm multiplex; non apparet, cur etiam id non possit apprehensio; quo casu, licet apprehensio

non secus ac judicium feratur in totum enuntiabile, adhuc tamen sufficienter à judicio distinguitur ratione diversi modi tendendi in illud enuntiabile; nam apprehensio illa in totum enuntiabile tendit repræsentando & cognoscendo quasi examinativè tantùm; judicium verò in illud tendit asserendo, sivè resolutivè sententiam ferendo, &c. cognoscere autem seu repræsentare examinativè tantùm, & asserere seu resolutivè sententiam ferre, non minus inter se distinguuntur, quàm affirmatio quâ Doctor volens examinare hanc Propositionem hæreticam dicit, *Deus est mendax*, distinguatur à resolutione & judicio quo post sufficiens examen resolutivè (sed erroneè) affirmaret, ità *Deus est mendax*. de quo etiam aliquid diximus suprà Tract. 1. Disp. 1. num. 5°.

Resolutio I.

XLV. Dico apprehensio virtualiter multiplex seu composita, etiam à judicio separata, est verè Propositio : est contrà Gregor. in 1. q. Prologi art. 3°. Fonsecam 4°. Metaph. Cap. 2°. q. 6. sect. 6. & lib. 6°. Cap. 1°. q. 3. sect. 2. quibus consentire videntur Vasquez & Suarez in Metaph. Tomo 10. Disp. 8. sect. 3.

XLVI. Probatur 1°. Propositio est *alicujus de aliquo affirmativa, negativa-vè oratio*, abstrahendo, an sit talis, significativè, apprehensivè, vel assertivè; sed illa apprehensio composita, etiam à judicio separata, *est alicujus de aliquo affirmativa, negativa-vè* apprehensivè *oratio*, ut solutione objectionum patebit, ergò, &c.

XLVII. Confirmatur 1°. ipsi conveniunt proprietates Propositionis, scilicet *esse veram, vel falsam*, ergò, &c. Probatur antecedens, quia hæc apprehensio, *Deus est verax*, est apprehensivè seu repræsentativè *vera*, hæc verò *falsa*, *Deus est mendax*, ergò, &c.

XLVIII. Confirmatur 2°. vocalis enuntiatio est vera Propositio, quia est *alicujus de aliquo affirmativa, negativa-vè* significativè *oratio*; sed dicta apprehensio est talis, ergò, &c.

XLIX. Confirmatur 3°, Propositio vocalis sæpè supponitur pro mentali apprehensiva, ergò hæc est vera Propositio.

L. Objicies 1°. Propositio *est vera vel falsa*: atqui in apprehensione (ut communiter asseritur) non est falsitas, ergò, &c.

LI. Respondeo distinguendo minorem, in apprehensione simplici sivè simplicis termini non est falsitas concedo minorem ; in ea enim nequidem est veritas, prædicamentalis scilicet, nam alioqui veritas transcendentalis omni enti convenit; in apprehensione virtualiter multiplici & propositionali, nego minorem; de hac autem sola procedit dubium.

LII. Instabis, ergò qui apprehendit hoc enuntiabile, *Deus est mendax*, facit Propositionem falsam & hæreticam.

LIII. Respondeo negando consequentiam pro ultima parte; quia licet is faciat propositionem falsam, non facit tamen hæreticam; nam sola talis propositio assertivè seu judicativè falsa, est malitiosa & hæretica ; non verò talis significativè & repræsentativè falsa, ut insinuatum est Dubio 1°. n. 40.

LIV. Vrgebis, ergò saltem, qui habet talem falsam apprehensionem, formaliter fallitur.

LV. Respondeo distinguendo consequens, ergò formaliter fallitur apprehendendo, sivè inchoativè & incompletè, concedo consequentiam; judicando, sive formaliter & completè, nego consequentiam: vitio verò tantum vertitur falsitas judicii, sivè formalis & completa; nam si absurdum non esset Deum in se rem apprehendere aliter, quam sit, dicerem tales falsas apprehensiones Deo in se convenire posse, non secus ac conveniunt profundissimo Doctori examinanti Propositiones hæreticas; adde, simpliciter loquendo, eum solum dici falli, qui habet falsitatem assertionis, dictionis seu judicii, quod in idem recidit.

LVI. Objicies 2°. Propositio est affirmatio , vel negatio; atqui mera apprehensio non est affirmatio, vel negatio, ergò, &c.

LVII. Respondeo distinguendo minorem; mera apprehensio simplex sivè simplicis termini non est affirmatio, &c. concedo minorem; sed de illa non est dubium; virtualiter multiplex & composita (de qua dubium procedit) non est affirmatio apprehensivè & repræsentativè, nego minorem: nam licet sit judicii affirmare, vel negare judicativè seu assertivè; vocum tamen est significativè, apprehensionum virtualiter compositarum repræsentativè & apprehensivè affirmare vel negare.

Resolutio II.

LVIII. Dico 2°. Iudicio , etiam ab apprehensionibus separato & seorsim concepto, convenit verè & propriissimè ratio Propositionis. Ita D. Thomas 1. p. q. 16. art. 2°. quem sequuntur plures docti Philosophi Ferrara , Suarez, Soncinas, Fonseca, &c.

LIX. Probatur, judicium sivè 2a. mentis operatio; est actus intellectus Propositionem apprehensam judicans & assereris, sivè assertivè conjungens ejus prædicatum cum subjecto, aut illud ipsum assertivè ab eodem removens , vel, ut alii, est oratio unum de alio per modum dictionis enuntians (nam apprehensio solum enuntiat per modum nudæ repræsentationis & imaginis) sed talis actus propriissimè est Propositio, ut patet, ergò, &c. Probatur minor, quia illi conveniunt proprietates veræ Propositionis, ut consideranti patebit, ergò, &c.

LX. Confirmatur 1°. Plurimi putant in solo judicio consistere rationem Propositionis, ergò, &c.

LXI. Confirmatur 2°. ratio Propositionis convenit vocali & apprehensivæ, ergò & judicativæ, sivè judicio. Probatur consequentia à fortiori.

Solutio Objectionum.

PRo solutione Objectionum

LXII. Nota præter virtualem & formalem compositionem actuum intellectus initio Dubii num. 44. insinuatam, à Philosophis benè assignari objectivam & præsuppositivam.

LXIII. Compositio objectiva est *multiplicitas objectorum unius actus*,

LXIV. Compositio præsuppositiva est *multiplicitas actuum præsuppositorum ad actum, qui dicitur præsuppositivè compositus*, ut v. g. multæ apprehensiones simplicis termini præsuppositæ ad judicium. His notatis

LXV. Objicies 1°. ex Aristotele, *in quo inest veritas vel falsitas, in eo etiam inest compositio conceptuum*: sed

sed judicio ab apprehensionibus separato, non inest compositio conceptuum, ergò, &c.

LXVI. Respondeo Aristotelem solùm velle, quod ubicumque inest veritas vel falsitas, insit etiam compositio conceptuum objectivorum, quæ inest etiam judicio, eò quòd objectum ipsius sit compositum & multiplex; licèt non insit compositio conceptuum formalium, ut infrà dicetur.

LXVII. Objicies 2°. illa censeri debet Propositio mentalis, pro qua supponitur vocalis; atqui vocalis non supponitur pro judicio, ergò, &c.

LXVIII. Respondeo distinguendo minorem, atqui vocalis non supponitur pro judicio, universaliter concedo minorem; non enim apparet, cur homo doctus, qui novit distinctionem apprehensionis propositionalis à judicio; non possit proferre hanc Propositionem sine mendacio, *Christus non est Deus*; non posset autem, si Propositio vocalis necessariò supponeret pro judicio; nam judicium scienter falsum, ut istud foret, semper est mendacium & peccatum: aliquando, nego majorem; nam in rudibus & idiotis fortè probabilius est supponere pro judicio; quia apud ipsos, non aliter videntur supponere voces prolatæ ab homine, quibus constat Propositio vocalis, quam supponerentur prolatæ ab Angelo in corpore assumpto; quo casu supponerentur pro judicio, quia Angelus apprehensiones non præmittit; quod ex eo confirmatur, quod rudes illi soleant dicere mentiri, peccare, &c. eos, qui falsas Propositiones vocales faciunt.

LXIX. Objicies 3ò. in hoc distinguitur cognitio Angelica à cognitione humana, quod hæc fiat cum compositione formali, illa sinè; atqui compositio formalis requirit plures conceptus, quos non includit judicium, utpotè qualitas simplex; ergò judicium ab apprehensionibus separatum non est vera Propositio.

LXX. Respondeo negando antecedens, quia ad distinctionem cognitionis Angelicæ ab humana, sufficit si humana præsuppositivè sit composita ex apprehensionibus, non item Angelica.

DVBIVM IV.

An Iudicium sit qualitas formaliter simplex.

LXXI. DIxi *formaliter simplex*, quia satis constat ex Dubio præcedenti, num. 44. esse objectivè præsuppositivè compositum. Ita communiter Philosophi, Gregor. Gabriël, Sotus, Toletus, Conimb. Suarez, Hurtadus, &c. contra P. Rubium Periher. Cap. 4. q. 4. num. 61.

RESOLUTIO.

LXXII. DIco judicium est qualitas simplex & indivisibilis formaliter.

LXXIII. Probatur 1°. experientiâ: præmissis terminorum apprehensionibus hujus Propositionis *homo est animal*, omnes experimur nos unico actu judicare *Petrum esse animal*, ergò, &c.

LXXIV. Probatur 2°. quia natura judicii talis est, ut feratur in totum enuntiabile; non enim judicatur vel sententia fertur nisi de toto; ergò, &c.

LXXV. Confirmatur, nolitio, volitio, &c. sunt actus simplices formaliter, ergò, & judicium. Hinc

LXXVI. Colliges judicium non componi intrinsecè ex apprehensionibus subjecti, copulæ & prædicati, quia nulla est necessitas istiusmodi compositionis; deindè judicium esset aggregatum per accidens, quia componeretur ex pluribus actibus ex se completis, & non unitis.

LXXVII. Objicies 1°. omnis propositio debet posse resolvi in terminos; atqui, si judicium sit qualitas simplex & indivisibilis; non poterit, ergò, &c. Probatur minor, quia in id tantum aliquid resolvi potest, ex quo componitur, ergò, &c.

LXXVIII. Respondeo distinguendo majorem, Propositio debet posse resolvi in terminos reales vel virtuales, prout composita fuerit, concedo minorem; necessariò in reales, nego minorem; nam sola vocalis objectiva, & apprehensiva formaliter composita, habet terminos reales; sicut verò apprehensiva virtualiter tantùm multiplex & judicium, sunt virtualiter tantùm composita, ità habent tantùm terminos & partes virtuales.

LXXIX. Objicies 2°. judicium affirmativum dicitur communiter compositio, ergò est formaliter compositum.

LXXX. Respondeo distinguendo antecedens, judicium affirmativum dicitur communiter compositio activa & intentionalis, per hoc v.g. quod intentionaliter prædicatum componat cum subjecto, concedo antecedens; passiva & formalis, per hoc scilicet, quod in se intrinsecè ex pluribus actibus componatur, nego antecedens: eodem modo responderi debet ad id, quod objicitur judicium negativum dici divisionem.

LXXXI. Instabis, Propositio vocalis est formaliter & intrinsecè composita, ergò & mentalis judicativa. Probatur consequentia, quia talis mentalis, qualis vocalis.

LXXXII. Respondeo negando consequentiam, ad ejus probationem. Respondeo sufficere, si sit repræsentativè composita, sicut vocalis est formaliter in se composita; nam vocalis, non est judicio intrinseca, sed extrinseca tantùm.

DVBIVM V.

Quid veritas & falsitas propositionis.

LXXXIII. ANtè Resolutionem

Nota 1°. Veritatem & falsitatem posse esse duplicem, unam apprehensionis incomplexæ, & aliam apprehensionis complexæ: veritas incomplexæ *est apprehensionis simplicis termini prout in se est, vel non est:* veritas autem complexæ *est cognitionis apprehensivæ Propositionis objectivæ prout est in se.*

LXXXIV. Nota 2°. nos hîc non agere de Propositionis veritate transcendentali, sivè in essendo, quæ est proprietas entis in genere, nec aliud realiter, quam entitas cujusque rei, prout nata est intelligi, sicuti est, undè etiam convenit propriè Propositioni falsæ; sed de prædicamentali, sivè in repræsentando, quæ est triplex (& idem est de falsitate) una vocalis, alia apprehensiva, 3ª. judicativa. His notatis, sit

RESOLUTIO I.

LXXXV. DIco 1°. veritas fundamentalis proxima est actus talis in repræsentando, quale est objectum in essendo: falsitas verò est

actus

actus alius in repræsentando, quam objectum sit in essendo; sic nempè, ut actus & objectum sint fundamentum & terminus relationis prædicamentalis veritatis, aut falsitatis; ratio verò fundandi, dicta talitas vel alicitas; prout hæc & hæc albedo sunt fundamentum & terminus relationis prædicamentalis similitudinis, ratio verò fundandi earum unitas.

LXXXVI. Probatur ex Aristotele de Substant. Cap. 1°. *ab eo quod res est, vel non est*, subde prout per Propositionem enuntiatur, *Propositio est vera vel falsa*; non quidem formaliter, ut constat ex dictis suprà de Relatione prædicamentali; ergò fundamentaliter. Probatur consequentia, quia alia non restat ratio veritatis aut falsitatis propositionalis; & reverâ positâ affirmativâ Propositione cursus Petri, & Petro currente, & quocumque alio ablato, illa Propositio intelligitur esse vera fundamentaliter, præsertim cum veritas sit quædam similitudo intentionalis, & similitudo fundamentalis duarum albedinum sit, præcisè positis duabus albedinibus, ergò, &c.

LXXXVII. Objicies ex R. P. Comptono Log. Disp. 44. Sect. 3ª. malè sonaret, si quis diceret Deum esse partem erroris vel hæresis, quod tamen in hac sententia necessariò admittendum videtur, si objectum sit pars actus, quà veri aut falsi: ut in hac Propositione hæretica, *Deus non est trinus & unus*: vel *Deus est mortalis*, ergò, &c.

LXXXVIII. Respondeo hîc R. Patrem Comptonum esse plus æquo scrupulosum, quandoquidem id aliud in nostra sententia non sit, quam Deum esse objectum falsi actus, quod omnes unanimiter Deo tribuunt; ex quo non sequitur, ut nonnullus malè autumat, actum erroneum esse divinum, quia denominatio divini actus non est ab objecto, sed ab actu, qui realiter Deus sit, alioqui denominatio creati actus esset ab objecto creato, ac per consequens in Deo essent actus creati, videlicet illi, quibus in creaturas tendit, quod nullus dixerit.

Resolutio II.

LXXXIX. Dico 2°. formalis veritas aut falsitas Propositionis est relatio prædicamẽtalis conformitatis aut difformitatis actus ad objectum.

LXXXX. Probatur, quia formalis veritas aut falsitas Propositionis est species quædam formalis similitudinis inter objectum & actum (loquere proportionaliter de falsitate, quæ est species quædam dissimilitudinis) atqui similitudo formalis est talis relatio, undè profundè R. P. Poncius Log. Disp. 19. q. 3. Concl. 2ª. *in hac re*, puta de veritate & falsitate, *discurrendum conformiter ad sententiam, quam quis tenere voluerit de similitudine aut dissimilitudine.*

LXXXXI. Objicies 1°. ex P. Comptono loco num. 87. citato, nulla necessitas talis relationis à fundamentali distinctæ, & in Deo talis veritas datur, sinè tali relatione prædicamentali, ergò, &c.

LXXXXII. Respondeo huic argumento abundè satisfactum suprà toto Prædicamento Relationis: cognitio enim Dei antecedenter ad veritatem illam prædicamentalem non est aliter una, quam duę albedines sint similes antè relationem similitudinis prædicamentalem.

LXXXXIII. Objicies 2°. cum P. Oviedo de anima cont. 7ª. punct. 1. actus est formaliter verus vel falsus antè dictam Relationem Prædicamentalem, ergò, &c. Probatur antecedens, quia *ab eo, quod res est, vel non est, dicimus verum vel falsum*, ergò, &c.

LXXXXIV. Respondeo negando antecedens, ad ejus Probationem, Respondeo distinguẽdo assumptum, *ab eo, quod res est vel non est* fundamentaliter *dicimus verum, vel falsum* fundamentaliter, concedo assumptum; *ab eo quod res est, vel non est* fundamentaliter *dicimus verum vel falsum* formaliter, nego assumptum, hæc enim debent sibi invicem proportionari.

LXXXXV. Instabis ex eodem, actus, quo Deus judicat se esse Deum, & quo dico Deum existere, est formaliter verus antè ulteriorem conceptum; contrarium enim est absurdum, & malè audit, ergò, &c.

LXXXXVI. Respondeo distinguendo assumptum, actus quò Deus judicat se esse Deum, se existere, &c. est formaliter verus antè ulteriorem conceptum, si ly *formaliter* accipiatur prout opponitur *eminenter*, ut sit sensus, actus, quò Deus, &c. est verus, eò modo quò Deus est omnipotens, immensus, &c. & non tantùm eminenter eò modo quò Deus est quælibet perfectio creata, concedo assumptum: si ly *formaliter* accipiatur prout opponitur *fundamentaliter*, ut sit sensus, actus, quò Deus, &c. est verus veritate formali, sivè veritate formaliter & relativè prædicamentaliter distincta ab actu antè ulteriorem conceptum, (quô sensu nequidem Deus est formaliter omnipotens antè ulteriorem actum, quia non datur in Deo omnipotentia formaliter distincta à natura antè actum intellectus, ut satis probatum est Tract. 1°. Disp. 2ª. Dub. 5°. & hoc ipsum est, quod potius est absurdum, & potius malè audit) nego assumptum, id enim suprà Tract. 1°. cit. contrà Scotum fusè impugnatum est, nec admittet P. Oviedus, quin sibi contradicat: ad actum verò, quo dico Deum existere, respondeo ut antè, esse tantùm fundamentaliter verum antè ulteriorem conceptum, quia habere non potest veritatem formaliter à se distinctam antè ulteriorem conceptum (ut patet) quod sonat ly *formaliter* ut opponitur *fundamentaliter*.

LXXXXVII. Nec magis verum est, quod addit P. Oviedus, nostrum *verum* fundamentaliter sufficere, ut Propositio sit vera formaliter; quam verum sit universale fundamentaliter sufficere, ut natura sit universalis formaliter; simile fundamentaliter sufficere, ut albedo sit formaliter similis, &c.

LXXXXVIII. Adde Resolutionem nostram & oppositum istius assumpti omninò videri D. Thomæ 1ª. p. q. 16. art. 2°. ubi ait, *quando intellectus judicat rem ita se habere, sicut est forma* (ubi attende ad istum actum reflexum) *quam de re apprehendit, tunc primò cognoscit & dicit verum.*

Resolutio III.

LXXXXIX. Dico 3°. veritas & falsitas fundamentaliter sunt actibus (saltem in materia contingenti,) accidentales, & inadæquatè extrinsecæ: formaliter verò accidentales & adæquatè extrinsecæ. 2ª Pars patet ex Resolutione præcedenti. 1ª verò probatur, quia, vel est sermo de actu in complexo, sivè apprehensione simplicis termini vel de complexo prout præscindit ab esse verum aut falsum; quando in Præparamento Logico,

aut

num. 243. & paulò antè Dub. 3°. num. 42. diximus Propositionem in genere præscindere ab esse veram vel falsam, aut prout supponitur actus de facto esse verus? atqui quodcumque eorum dicatur, veritas & falsitas est actui accidentalis & inadæquatè extrinseca, ergò, &c.

Probatio minoris pro I. Parte.

CI. PRobatur minor pro 1ª. parte contrà RR. PP. Suarem Disp. 9. Met. Sect. 1ª. num. 14. Hurtadum Disp. 9. de anima Sect. 2ª. Arriagam Disp. 14. Logic. Sect. 4. quos sequitur Comptonus Logic. Disp. 44. Sect. 2ª. apprehensio simplicis termini sic ex se & essentialiter est imago sui objecti, prout actui objicitur, ut tamen non sit ex se & essentialiter imago sui objecti, prout est in se, ergò fundamentalis veritas actus incomplexi sivè apprehensionis simplicis termini est illi accidentalis & inadæquatè extrinseca. Probatur consequentia, quia si illius objectum nunc, ut antè, intellectui objiciatur, & tamen prout est in se mutetur; veritas apprehensionis illius in falsitatem mutabitur, ergò, &c. Probatur antecedens, quia esse essentialiter sui objecti imaginem, non plus dicit; & alioqui dicendum esset terminum esse, quoad se & intrinsecè essentialem omni respectui transcendentali, quod Disp. de Relatione Dub. 2°. rejectum est, ergò, &c.

CII. Objicies 1°. ex P. Comptono loco citato, si quis volens apprehendere *aurum* apprehendat *aurichalcum*, ipsius apprehensio non est falsa auri apprehensio, sed vera *aurichalci* & illi conformis; non difformis auro propriè loquendo, seu difformitate oppositâ, sed solum disparatâ, ergò, &c.

CIII. Respondeo negando assumptum, nam ipsum imprimis in voluntate secundùm intentionem decipi patet; deindè, si aurum, quod apprehendit existere, desinat, & apprehensio illa perseveret, de vera, fit falsa, ut patet; undè apprehensio aurichalci loco termini auri, non est quidem, nisi secundùm intentionem falsa auri apprehensio, sed id non impedit, nè alio casu à nobis allato, auri veri apprehensio vera mutetur in falsam, ob rationem in probatione allatam.

CIV. Objicies 2°. est essentiale apprehensioni repræsentare objectum quod existit, verum & reale, ergò etiam est essentiale & intrinsecum illi repræsentare objectum, quod existit, sicuti est.

CV. Respondeo distinguendo consequens: ergò est illi essentiale & intrinsecum repræsentare objectum, quod existit sicuti objectivè est, seu sicuti intellectui objicitur, concedo consequentiam: sicuti est in se, nego consequentiam, ob rationem datam in conclusione.

Probatio minoris pro II. Parte.

CVI. PRobatur minor pro 2ª. parte, quia illo casu eodem modo apprehensio se habet ad veritatem & falsitatem, quo paries ad esse cognitum & non cognitum, nullus autem negat utrumque esse parieti accidentale & extrinsecum, ergò, &c.

probatio minoris pro III. parte.

CVII. PRobatur 3°. pars à fortiori ex probatione minoris pro 1ª. parte.

CVIII. Confirmatur, quia Propositio ut Propositio præscindit ab esse vero vel falso, & ad verum vel falsum se habet tamquam commune quidpiam, quod per veritatem ad Propositionem veram, & per falsitatem, ad falsam contrahi indifferenter possit, ergò, &c.

CIX. Objicies 1°. omnis Propositio affirmans cursum Petri v.g. objectum attingit ex suppositione, quòd sit; sed ex suppositione quòd sit, non potest non esse, ergò Propositio respicit essentialiter objectum ut est in se.

CX. Respondeo 1°. retorquendo argumentum in suppositionem ipsam, quæ de vera potest fieri falsa, haud secus, quàm ipsa Propositio.

CXI. Respondeo 2°. non obstante suppositione (quæ ad veritatem affirmationis nihil refert, quia sivè sit, sivè non sit suppositio, illa esset) Propositionem esse veram, si conformis objecto, sivè repræsentans objectum prout est in se; falsam, si difformis, sivè repræsentans objectum aliter, quàm est in se.

CXII. Objicies 2°. actus per suam essentiam assimilatur, vel non assimilatur objecto? si assimiletur, est verus: si non, est falsus, ergò semper erit essentialiter verus, aut essentialiter falsus.

CXIII. Respondet P. Arriaga Disp. 14. Log. num. 36. actum non esse similem vel dissimilem objecto per suam essentiam; quia ista similitudo, vel dissimilitudo, dicit utrumque extremum, quorum alterum nō est de essentia ipsius actus: sed hæc responsio non placet, quia objectum prout actui objicitur, semper est de essentia actus. & eo non obstante, ut contendimus, actus per suam essentiam non assimilatur, aut dissimilatur objecto, sic ut de vero fieri non possit falsus. Vndè aliter

CXIV. Respondeo distinguendo assumptum: actus per suam essentiam assimilatur, vel non assimilatur objecto spectato prout actui objicitur, concedo assumptum; prout objicitur ut in se est, nego assumptum, quia illi ut sic, non nisi per accidens in materia contingenti assimilatur; vel non assimilatur; sicut non nisi per accidens existit vel non existit: undè Propositio ut fundamentaliter vera præter se & objectum spectatum ut actui objicitur, dicit objectum objici ut est in se.

CXV. Instabis, hinc sequeretur Deum in suis rerum contingentium cognitionibus falli posse; sed hoc est absurdum, ergò, &c.

CXVI. Respondeo distinguendo sequelam majoris; sequeretur Deum falli posse quoad intrinseca suæ cognitionis, nego sequelam majoris; quoad extrinseca, concedo sequelam majoris; nec in eo majus est absurdum, quàm Deo, & Dei verâ de Petro cognitione existente, Petrum desinere esse. Hoc tamen etiam modo distingui potest; sequitur Deum in istis cognitionibus falsis quà falsis sive ex parte objecti falli posse, concedo sequelam: in istis cognitionibus falsis, quà cognitionibus, sive ex parte ipsius Dei, nego sequelam; in hac autem tantùm potest esse absurdum, quia illæ quà falsæ, sunt aggregatum ex Deo & creatura, quæ creatura, cùm modò sit, modò non sit, in suo esse fallit, quod, & nihil præterea, per istam distinctionem concediatur.

DVBIVM

DVBIVM VI.

An idem numero actus de vero possit fieri falsus.

ANtè Resolutionem

cxvii. Suppono 1°. esse triplicis generis Propositiones: quædam sunt necessariæ, & sunt quæ non possunt esse falsæ, *ut homo est animal*, quia scilicet sunt de objecto necessario & immutabili: aliæ impossibiles, & sunt, quæ non possunt esse veræ, ut *homo est lapis*, quia scilicet sunt de objecto impossibili: aliæ denique sunt contingentes, sivè de objecto contingenti, & earum aliquæ sunt veræ, aliquæ falsæ, quia scilicet eorum objectum modò est, modò non est.

cxviii. Suppono 2°. Propositiones contingentes, sivè de objecto contingenti, esse multiplices; nam aliquæ sunt de futuro, ut *Petrus nascetur*: aliquæ de præterito, ut *Petrus natus est*; aliquæ de præsenti, ut *Petrus nascitur*: aliquæ universales, ut *omnis homo currit*; aliquæ singulares intuitivæ, vel non intuitivæ, ut *Petrus currit*. His præmissis sit

Resolutio.

cxix. DIco cum doctissimo P. Suarez Disp. 8. Metaph. sect. 2. num. 19. Rubio hic q. 5. Amico Tract. 21. Disp. 4. q. 1ª. Mastrio Disp. 10. q. 2ª. contrà RR. PP. Smiling. Tract. 3°. de Deo uno, Disp. 1ª. Cavellum, Mendozam, Arriagam, Oviedum, Comptonum, Aversam, Poncium, &c. eadem Propositio mentalis contingens singularis de præsenti, non intuitiva, sed abstractiva, potest de vera fieri falsa.

cxx. Probatur 1°. ex Aristotele in Prædicamentis cap. 7°. ubi fatetur quòd opinio eadem possit de vera fieri falsa per solam objecti mutationē, ergò, &c.

cxxi. Probatur 2°. quia potest mutari ipsius objectū materiale, ipsa eadē remanente; atqui hoc sufficit, ut dicta Propositio de vera fiat falsa, ergò, &c.

cxxii. Probatur minor, quia mutato objecto materiali Propositionis mentalis, intellectus habet fundamentum in re, ut actum, quem antè concipiebat esse talem in repræsentando, quale est objectum in essendo, ad quem sequebatur veritas formalis, concipiat non esse talem in repræsentando, quale est objectum in essendo, ad quem sequitur falsitas formalis, ergò, &c.

cxxiii. Probatur major in qua tota difficultas: hæc Propositio, *Ioannes scribit*, significat successivè plura instantia copulativè; ita scilicet, ut hoc instanti pro hoc instanti nihil aliud significet, quàm *Ioannem scribere* hoc instanti; hoc instanti verò pro instantibus futuris, significet *Ioannem scribere*, & instanti 1°. futuro, quando est; & instanti 2°. futuro, quando est, & sic de aliis: atqui si hoc instanti *scribat*, ut potest, erit vera, utpotè conformis toti objecto, quod hoc instanti significat pro hoc instanti; & si uno ex futuris, quando est, *non scribat*, ut etiam potest, erit falsa, utpotè difformis toti objecto; quod illo instanti pro illo instanti, quando est, significat, ergò, &c.

cxxiv. Probatur hæc major, quia illa Propositio est indefinitè instantanea aut successiva; indefinitè successiva disjunctiva aut copulativa determinata, ad hoc v. g. ut determinatè significet totam mediam horam, ergò rectè explicari potest modo à nobis explicato.

cxxv. Confirmatur 1°. si detur vera Propositio, quæ dicat pro suo objecto formali, *Ioannes scribit hoc instanti pro hoc instanti præcisè, & futuris pro futuris instantibus*, sic ut 1°. ex futuris, quando est, idem significet, quod jam significat; si *hoc instanti scribat*, est vera; si sequenti, quando est, *non scribat*, est falsa: atqui talis est hæc Propositio, *Ioannes scribit*, ergò, &c.

cxxvi. Dices, si illa Propositio pro suo objecto formali, id est, prout actui objicitur spectato, dicat *Ioannes scribit hoc instanti pro hoc instanti*; & hoc instanti non dicat, sed 1°. ex futuris instantibus, quando est, illud quod dicit 1°. instanti ex futuris quando est, mutat significationem formalem & essentiam; sed hoc dici non potest, ergò, &c.

cxxvii. Respondeo Propositionem illam pro suo objecto formali, sic dicere *Ioannes scribit* hoc instanti pro hoc instanti, ut hoc instanti dicat illud, quod dicit 1°. ex futuris instantibus, quando est, sumptis instantibus illis, non prout in se sunt successivè, quomodo mutaretur significatio formalis Propositionis, sed prout Propositioni illi objiciuntur, sive prout ab illa repræsentantur esse successivè correspondentia scriptioni: quia autem prout in se sunt, non sunt semper successivè correspondentia scriptioni, licet prout à Propositione ista, repræsentantur, sint Propositioni correspondentia, fit quod Propositio, quæ dicit *Ioannes scribit*, pro instanti, quo *scribit*, sit vera, & pro eo instanti, quo *non scribit* non sit vera, immutato objecto formali, & soli materiali mutato.

cxxviii. Confirmatur 2°. eadem lex, quia hoc instanti pro hoc instanti obligat omnes, qui sunt in hoc territorio, & pro sequentibus quando sunt; similiter potest invariata, modò plures, modò pauciores; modò hos, modò alios obligare; modò hos obligare, modò hos non obligare; in quantum enim hoc instanti (quo solùm pro hoc instanti eos obligat) possunt esse plures in hoc territorio, potest plures obligare, &c. in quantum verò sequenti instanti (quo pro sequenti, quando est, eos obligat) possunt esse pauciores, potest pauciores obligare, & sic de aliis; ergò similiter eadem Propositio invariata potest de vera fieri falsa.

cxxix. Objicies cum P. Oviedo, de anima Controv. 7. ad hoc ut Propositio in hoc instanti sit vera, debet supponi illius objectum, non solùm in hoc instanti; sed etiam in omni tempore importato per copulam, eo modo, quo per copulam importatur; sed eo ipso, quod in hoc instanti supponitur objectum Propositionis existens in omni tempore importato per copulam, implicat illud posteà in aliquo tempore importato per copulam non existere; ergò implicat posteà Propositionem fieri falsam. Probatur major, ad hoc, ut hæc Propositio, *Petrus semper currit*, in hoc instanti sit vera, non sufficit Petrum currere in hoc instanti, sed debet in omni instanti currere; quia veritas consistit in conformatione actus, cum toto objecto significato, ergò, &c. ita verbotenus P. Oviedus de Anima cont. 7. punct. 2. ubi dicit hanc rationem se non semel robustam expertum, & per illam universaliter de omni Propositione, quæcumque illa sit, efficacissimè suam conclusionem probare.

cxxx. Respondeo tamen concedendo totum: Pater Oviedus enim nihil dicit contra nos, quia falsum supponit, videlicet hanc Propositionem, *Ioannes scribit, ad hoc ut sit hoc instanti vera, supponere,*

nere,& significare *Ioannem scribere* vel hoc instanti tantùm, quo casu semper erit vera, si hoc tantùm instanti *scribat*, etiamsi aliis instantibus *non scribat*; quia nec pro illis supponit, nec illa significat: vel in hoc instanti & pluribus successivè præsentibus, quo casu si sit vera, debet Ioannes hoc instanti & pluribus successivè futuris necessariò ex hypothesi *scribere*, prout pro illis supponit & significat *scribere*; ergò non potest de vera fieri falsa, quia ut falsa supponere & significare debet uno ex illis *non scribere*; eamdem verò Propositionem supponere & significare Ioannem omnibus illis instantibus *scribere*, & uno ex illis *non scribere*, contradictoriè repugnat, haud secus, quam omnibus illis instantibus *Ioannem scribere*, & uno ex illis *Ioannem non scribere*: hæc omnia ultrò concedimus: sed negamus hanc Propositionem, *Ioannes scribit*, supponere & significare *Ioannem scribere* uno ex allatis modis; supponit enim & significat *Ioannem scribere* 3°. quodam modo ab illis distincto, videlicet hoc instanti pro nunc, sive pro hoc instanti, & copulativè hoc instanti pro tunc, sive pro instantibus successivè futuris, quandò erunt præsentia, quæ, quia allata Propositio non significat pro nunc,sive pro hoc instanti,si *Ioannes scribat* hoc instanti, dicta Propositio est vera, hoc instanti pro hoc instanti,licèt uno ex instantibus futuris *non scribat*, quandò est, quia illa non significat pro nunc, sive pro hoc instanti,ac proindè est conformis toti suo objecto: item,quia allata Propositio illa instantia successivè futura hoc instanti significat pro tunc, sive pro illis instantibus, si uno ex illis *non scribat*, (ut potest)quandò est,erit falsa; quia difformis toti suo objecto pro eo instanti,quo supponit & significat *Ioannem scribere*.

CXXXI. Instabis ex eodem: Propositio mentalis,quâ dico Ioannis currit, utpotè intrinsecè essentialiter imago sui objecti; semper habet eamdem significationem, ergò si uno instanti sit vera, semper erit vera, si verò uno falsa, semper erit falsa: probatur antecedens, quia semper habet eamdem entitatem & repræsentationem, utpotè illi identificatam, ergò, & significationem, sive uni sive diversis instantibus coëxistat, quia sicut non est repræsentatio per durationem superadditam, ità nec significatio: hanc rationem semper sibi visam magni ponderis addit P. Oviedus hîc.

CXXXII. Respondeo tamen 1° concesso antecedente, negando consequentiam; quia ad hoc, ut semper foret vera, deberet habere significationem immutabiliter conformem suo significato, & ad hoc,ut semper foret falsa, deberet habere significationem immutabiliter difformem suo significato;at verò, cum semper significet Ioannem currere hoc instanti pro hoc instanti, & pro instantibus successivè futuris quandò sunt, in quibus potest Ioannes mutari de currente in non currentem, habet dicta Propositio significationem semper mutabiliter cõformẽ,vel semper mutabiliter difformẽ suo significato;ac proindè potest de vera fieri falsa, & è cõtrà.

CXXXIII. Respondeo 2°. distinguendo antecedens, Propositio mentalis quâ dico *Ioannes currit*, semper habet eamdem significationem adæquatam, sive conflatam ex formali & objectiva, nego antecedens; non enim *Ioannes currit* toto tempore, quo durat hic actus *Ioannes currit*; ad hoc autem, ut vel semper foret vera, vel semper falsa, deberet semper habere eamdẽ significationem adæquatam, ut consideranti patebit: habet semper eamdem inadæquatam, sive formalem significationem, concedo antecedens; verum hinc tantùm sequitur manere semper eamdem significationem quoad substantiam, sicut semper manet eadem significatio formalis, quod contendimus, cum dicimus eamdem Propositionem posse de vera fieri falsam; non sequitur verò semper manere eamdem quoad veritatem & falsitatem, quia hæ mutantur pro mutatione objecti materialis.

CXXXIV. Vrgebis, manet semper eadem significatio formalis, ergò & objectiva, ac proindè adæquata; sed manente semper eâdem significatione adæquatâ, Propositio nequit de vera fieri falsa, ergò, &c. Probatur 1ª consequentia pro 1ª. parte, quia significatio formalis dicit immutabilem respectum transcendentalem, sive essentialem ad objectivam, ergò, &c.

CXXXV. Respondeo, negando consequentiam, ad ejus probationem, Respondeo distinguendo antecedens,dicit immutabilem respectum ad objectivam,prout formaliter & in actu exercito objicitur intellectui,quomodo hæc Propositio *Ioannes currit*, abstrahit ab eo, quòd in se *Ioannes currat*, vel *non currat*,concedo antecedens: ad objectivam, prout materialiter tantùm & in actu signato, id est ex parte sui significati materialis, objicitur intellectui, nego antecedens:ab hac autem sumitur veritas, vel falsitas Propositionis mentalis,ut discurrenti per omnes Propositiones patebit; quia verò hæc est mutabilis eâdem manente Propositione mentali,& objectivâ formali,fit,ut eadem Propositio mentalis de vera possit fieri falsa,vel è contrà.Vndè non est 1o. quod P. Comptonus dicat evidens esse actum non posse transire de vero in falsum, eo quòd essentialiter sit imago & repræsentatio objecti;quia attendere debuisset ad distinctionem objecti in formale ac spectatum prout actui objicitur, & materiale ac spectatum prout in se est; hujus enim actus non est essentialiter imago; sed illius tantùm ob rationes Tract.5°.Disp.3ª.de Relatione Dub.2°.allatas.2°. etiam non est, quod propter vel hoc unicum fundamentum idem P. Comptonus à nostra sententia recedat.

DVBIVM VII.

An idem Numero actus possit esse simul verus & falsus.

Resolutio.

CXXXVI. Dico,idem actus potest simul esse verus & falsus respectu diversorum simul objectorum adæquatorum disparatorum. Ita Pater Comptonus Disp. 45. Log. Sect. 5ª.

CXXXVII. Probatur, quia infrà Disp. ultimâ Logic. dicemus, eumdem actum conclusionis tendere posse in diversa media, quorum unum sit certum,aliud incertum aut probabile tantùm, & ob id esse certum & incertum aut probabilem tantùm; atqui eodem ferè modo dari potest actus simplex, tendens in objecta disparata, ut v. g. *Petrus currit*; *Paulus legit*; & respectu Petri currentis esse verus; respectu Petri non currentis esse falsus, ergò, &c. minor tenet à pari; probatur consequentia, quia cum versetur circà diversa objecta, in eo nulla potest esse contradictio,magis quàm in eo,quod idem homo sit uni æqualis, alteri inæqualis; idem actus conclusionis ex uno motivo certus, ex alio incertus, &c, ergò, &c.

CXXXVIII. Dices fortè, igitur hic actus *omnes homines currunt*, est verus & falsus.

CXXXIX. Respondeo, negando consequentiam; & ratio est; quia ille actus non tendit in sua objecta disparatè, sed quodammodò collectivè.

CXL. Confirmatur Resolutio, hic actus disparatè tendens in hæc objecta, *Petrus currit*; *Paulus legit*, æquivalet duobus in illa tendentibus; sed eorum unus posset simul & semel esse verus, alter falsus, ergò, &c.

CXLI. Dices, bonum ex integra causa, malum ex quolibet defectu, ergò si ex parte unius objecti actus ille sit falsus, simpliciter dici debet falsus.

CXLII. Respondeo, negando consequentiam; quia, quandoquidem quodlibet objectum censeatur adæquatum objectum, sic ut simul non conflent per modum partialium unum totale, isti actui per respectum ad unum suam perfectionem totalem, & per respectum ad aliud suam imperfectionem totalem, relinquunt.

DVBIVM VIII.

An Propositiones de futuro contingenti absoluto & singulares habeant determinatam veritatem vel falsitatem.

CXLIII. DIxi 1°. singulares, quia de universalibus, an sint determinatè veræ vel falsæ, pauci dubitant; sed omnes communiter cùm Aristotele, affirmant eas esse determinatè tales.

CXLIV. Dixi 2°. de futuro, quia ex Aristotele satis constat, illas, quæ sunt de præsenti & præterito, etiam esse determinatè veras, vel falsas; quia res significata per illas determinatè est vel non est, fuit vel non fuit. Sed ante Resolutionem, sit

PARAGRAPHVS I.

Prænotanda.

CXLV. NOta 1°, contingens posse sumi dupliciter: 1°, generaliter & latè, pro omni eo, quod ita est, ut potuerit non esse inspectâ virtute causæ extrinsecæ; sive increatæ, ad cujus inspectum contingenter existo; sive alicujus creatæ, ad cujus inspectum ignis contingenter ardet; quia per Deum mea existentia', per aquæ infusionem ardor ignis, impediri potest: 2°. specialiter & strictè pro electivo, aut eligibili, & tunc accipitur pro omni eo tantùm, quod ità est virtute intrinsecâ libertatis, ut illâ inspectâ potuerit non esse, ut *amor boni*, *ambulatio spontanea*, &c.

CXLVI. Nota 2°, Propositionem de futuro posse assignari multiplicem: 1°, unam de futuro necessario, & est, (non quæ necessariò est, quia nulla est talis Propositio, sed omnes contingenter sunt, ut consideranti patebit) quæ enuntiat objectum futurum necessariò, ut *Anti-Christus erit animal rationale*. alterum de futuro contingenti, & est, quæ enuntiat objectum futurum contingens, sive electivum vel eligibile, ut *Anti-Christus erit amans*, *ambulans*, &c. 2°, Propositionem de præsenti, etiam esse multiplicem, unam determinatè veram (& idem est de falsa,) alteram necessariò veram: determinatè vera, est illa, quæ ità conformis est suo objecto, ut non sit illi difformis, ut *Paulus scribit*, *Petrus est homo*. Necessariò vera est illa, quæ ità conformis est suo objecto, ut non potuerit attentâ virtute liberi arbitrii esse illi difformis, ut *Petrus est homo*. 3ª est illa, quæ est contingenter vera, & est, quæ ità vera est, ut inspectâ virtute liberi arbitrii, potuerit esse falsa, ut *Petrus scribit:* hinc patet eamdem Propositionem determinatè veram posse esse contingenter, aut necessariò veram, pro veritate objectiva sui objecti; necessariò autem veram non posse ut talem, esse contingenter veram, & è contrà.

CXLVII. Nota 3°. necessitatem esse duplicem, unam absolutam, alteram ex suppositione: Absoluta est, quæ habetur nullâ factâ suppositione, ut necessitas existentiæ Dei. Necessitas ex suppositione est, quæ non habetur nisi factâ aliquâ suppositione, ut necessitas ambulationis Petri, suppositò quòd videam Petrum ambulantem.

CXLVIII. Necessitas ex suppositione est triplex; scilicet, ex suppositione antecedente, ex suppositione concomitante, & ex suppositione cõsequente. 1ª est, ubi aliquid supponitur, quod necessario antecedit, per modum causæ vel conditionis inferens, ut necessitas existentiæ caloris ex prævia suppositione, quòd ignis existat; necessitas combustionis stuparum siccarum, ex suppositione, quòd sit approximatio ignis ad illas. 2ª, ubi aliquid supponitur concomitans, ut necessitas existentiæ loquelæ meæ, vel ambulationis, ex suppositione quòd loquar, vel ambulem. 3ª. ubi aliquid supponitur consequens, ut necessitas loquelæ, vel ambulationis Petri, ex suppositione, quòd audiam ipsum loquentem, vel videam ambulantem. Hinc

CXLIX. Colliges, aliquid posse esse necessariò futurum quadrupliciter. 1°, necessariò necessitate absolutâ; verùm nihil datur futurum tale, quia nihil est futurum, nisi ex suppositione, quòd Deus permittat. 2°, necessariò necessitate ortâ ex suppositione antecedente, ut erit calor ex suppositione, quòd erit ignis: 3°, ex suppositione concomitante, ut loquar ex suppositione, quòd loquar: 4°, ex suppositione consequente, ut loquar ex suppositione, quòd me loquentem audiam. His

CL. Adde 1°. varios hîc docere, necessitatem ortam ex suppositione antecedente evertere libertatem, sive strictam in objecto contingentiam; quia, cum necessariò sequatur ad præsuppositam causam, sive efficientem, sive conditionalem, causa illud necessariò ponit, ac proinde ita est, ut vel etiam attentâ virtute suæ causæ, non potuerit non esse; quod verò est liberum sive strictè contingens, ità est, ut saltem attentâ virtute suæ causæ potuerit non esse. Alii id omninò negant; nos, cum id ad concordiam libertatis cum gratia reduci videatur, prudenter supersedendum putamus, præsertim cum verisimilius sit productionem Spiritus Sancti, sic esse liberam, ut contingens non sit, quod alibi authoritate & ratione probamus cum Magistro Nostro de Bachone in 1ᵘᵐ. Sent. Dist. 11. q. 1. art. 3.

CLI. Adde 2°. necessitatem ortam ex suppositione concomitante, vel consequente non evertere libertatem, vel etiam strictam contingentiam in objecto, quia illa suppositio concomitatur solùm, vel subsequitur strictam objecti contingentiam, non secus ac liberam causam objecti, à qua est dicta contingentia.

CLII. Adde 3°. necessitatem ortam ex suppositione antecedente, non malè aliter vocari necessitatem consequentis; quia per illam unum necessariò alterum tamquam causam suam necessariam consequitur;

quitur: Necessitatem verò ortam ex suppositione concomitante, vel consequente vocari necessitatem consequentiæ tantùm, quia per illam unum ex alio per legitimam consequentiam infertur.

CLIII. Nota 4°. Propositiones singulares de futuro contingenti posse dupliciter spectari, vel quatenus earum objectum est extrà causas & in actu, aliquo instanti sumpto quatenus Dei æternitatem respicit; vel quatenus instans in quo earum objectum aliquandò est extrà causas & in actu, hoc instans respicit; ista enim multum distinguuntur, quia hoc modo objectum consideratur ut futurum in tempore; isto autem modo ut præsens in Dei æternitate: his autem prænotatis, dicam breviter quid sentiam, quia, ut rectè notant Doctissimi PP. Nostri Complutenses in Summa Textus ad Libros Perihermenias, disputatio hæc non est propriè dialectica, sed ad Theologiam spectat, de qua ibi fusius, quarè, sit

Resolutio I.

CLIV. Dico 1°. Propositiones singulares de futuro contingenti consequenter ad decretum Dei de objecti earum futuritione, quatenus earum objectum est extrà causas & in actu, aliquo instanti, sumpto quatenus Dei æternitatem respicit, sunt determinatè veræ, vel determinatè falsæ. Hæc conclusio videtur certa, nec reipsâ videntur aliud velle Scotistæ & PP. Societatis.

CLV. Probatur, quia Propositiones singulares de futuro contingenti ut sic, non sunt de futuro contingenti, sed de reipsâ præsenti contingenti; atqui Propositiones singulares de reipsâ præsenti contingenti, sunt determinatè veræ, vel determinatè falsæ, ergò, &c. Major patet ex notatis num. 153. minor est omnium: consequentia est legitima.

Resolutio II.

CLVI. Dico 2o. Nullæ Propositiones singulares de futuro contingenti, consequenter ad decretum Dei de objecti earum futuritione, vel non futuritione, quatenus instans in quo earum objectum aliquandò est extrà causas & in actu, hoc instans respicit, sunt determinatè veræ; reipsâ non puto aliud velle omnes Thomistas, & Doctissimorum Lovanienſium Commentaria in Lib. Periher. item è Nominalibus Ochamum & Gabriëlem in 1^{um} Dist. 38. q. 1^{a} & plures alios.

CLVII. Probatur 1o, quia objectum earum ut sic, hoc instanti ad suam causam se habet, tamquam ad causam hoc instanti indeterminatam: sed nullæ Propositiones, quarum objectum ad causam suam se habet tamquam ad causam indeterminatam, sunt determinatè veræ, ergò, &c. minor patet; consequentia est legitima: probatur major, in qua sola difficultas, quia sicut causa hoc instanti non est, ità hoc instanti indeterminata est, ergò, &c.

CLVIII. Dices fortè, objectum earum ut sic, hoc instanti ad suam causam se habere, tamquam ad causam hoc instanti sese determinaturam, licèt hoc instanti indeterminatam; sed hoc sufficit ad hoc, ut aliquæ Propositiones singulares de futuro contingenti sint hoc instanti determinatè veræ, sumpto instanti, in quo earum objectum aliquandò est, quatenùs hoc instans respicit, ergò, &c.

CLIX. Respondeo, negando minorem: quia causam hoc instanti esse sese determinaturam, vel dicit instans in quo causa aliquandò sese determinat, quatenus Dei æternitatem respicit, vel quatenus hoc instans respicit? si prius, dicit determinationem esse præsentem Dei æternitati, & consequenter aliquas Propositiones illas, quatenus earum objectum est Dei æternitati præsens, esse determinatè veras, juxtà 1^{am} Resolutionem, non verò aliquas Propositiones illas esse determinatè veras, quatenùs instans, in quo earum objectum aliquandò est extrà causas & in actu, hoc instans respicit, de quo hic contendimus: si posterius, quæro quomodo determinatio futura, præcisè sumpto instanti in quo aliquandò est, quatenus hoc instans respicit, aliter ex parte hujus instantis se habeat, quàm ut purè possibilis? certè difficulter ostendes, nec puto esse discrimen inter purè possibile & futurum, præterquam in eo, quòd futurum sic instantia præsentia respiciat, ut sit simul in actu præsens Dei æternitati, quo sensu frequentissimè Augustinus clamat, *Futura jam facta sunt.* Lib. 5. de Trinit. cap. 16. *Quod futurum est, jam factum est.* in Soliloquiis cap. 26. *Omnia quæ sunt in tempore, sunt Deo præsentia ab æterno.* D. Thomas 1. p. q. 14. art. 13. purè possibile verò sic instantia præsentia respicit, ut numquam sit in actu præsens Dei æternitati. Vbi videmus discrimen inter utrumque non peti ab hoc instanti, quod respicitur ab instanti, in quo res futura aliquandò est extrà causas & in actu; in quo plures graviter decipiuntur. Hinc

CLX. Probatur 2°. non apparet quid objectum Propositionum singularium de futuro contingenti, hoc instanti, sumpto quatenus instans, in quo aliquandò est objectum istud præcedit, sit distinctum à purè possibili, hoc instanti; sed Propositiones singulares de futuro contingenti, quæ enuntiant objectum purè possibile esse futurum, non sunt determinatè veræ, ergò, &c.

CLXI. Probatur 3°. quia tam absurdum est dicere hoc instanti, *Petrus erit*, præscindendo (prout in hac Resolutione præscinditur) ab eo, quod aliquandò est extrà causas & in actu, respectu Dei æternitatis; quàm absurdum sit dicere hoc instanti, *Petrus fuit*, præscindendo ab eo, quod aliquandò est extrà causas & in actu respectu Dei æternitatis; sed hoc omnes fatentur esse absurdum, ergò & illud absurdum esse fateri debent; consequentia tenet à pari. Minorem probat communis consensus: probatur major, quia existentia Petri aliquandò, tam est fundamentum futuritionis, quàm præteritionis, ergò, &c.

CLXII. Confirmatur: ex D. Thoma in 1^{um}. Dist. 36. q. 1. art. 5. ad 2^{um}. *Futurum contingens non est determinatè verum, antequam fiat.* Quod est conforme 1^{æ} Resolutioni, & hujus evidenter confirmativum, *Quia non habet causam determinatam*, puta neque pro hoc instanti, ut omnes fatentur, neque pro alio, quia non potest dici *determinata*, nisi quatenus ejus determinatio eo instanti, quo aliquandò est, est extrà causas & in actu in Dei æternitate juxtà 1^{am} Resolutionem. Et q. 16. de malo art. 7°. *Quæ sunt ad utrumlibet non possunt præcognosci in suis causis determinatè; sed sub disjunctione, utpotè, quia erunt, vel non erunt.* Limita prout præscinditur ab eo, quòd sint extrà causas, & in actu in Dei æternitate, eo instanti, quo aliquandò sunt, consequenter ad hunc ejusdem locum. q. 2. de

verit. art. 12. *Ex quo patet contingens, ut futurum est, per nullam cognitionem sciri, cui falsitas subesse non possit: undè impossibile esset, quòd de contingentibus futuris scientiam haberet Deus, si cognosceret ea, ut futura sunt;* ergò, &c.

CLXIII. Objicies tamen, hæc Propositio *Petrus cras curret*, est determinatè vera, vel determinatè falsa, haud secus quàm si Deus illam proferret, quia, vel Deus videt Petrum cras cursurum, vel non? ergò, &c.

CLXIV. Confirmatur, Petrus cras curret, Petrus cras non curret, consequenter ad decretum Dei de earum futuritione vel non futuritione sunt contradictoria, ergò alterum est determinatè verum, alterum determinatè falsum, ergò, &c.

CLXV. Respondeo distinguendo assumptum, si hæc Propositio *Petrus cras curret*, sumatur quatenus ejus objectum aliquandò est, vel non est extrà causas & in actu, respectu Dei æternitatis, est determinatè vera vel determinatè falsa, concedo assumptum: si sumatur quatenus instans, in quo ejus objectum aliquandò est extrà causas & in actu, hoc instans respicit, nego assumptum; quia ut sic non habet esse, vel non esse determinatum; non quidē hoc instanti, ut fatentur omnes; neque eo instanti, quo aliquandò est prout hoc instans respicit, quia ut sic præscindit ab eo, quod est extrà causas & in actu in Dei æternitate, & alioqui dici deberet præsens; quod autem ità præscindit, non distinguitur à purè possibili, ut suprà num. 159. vidimus, & reverà scirem libenter quid sit rei futuritio hoc instanti prout hoc instans rei existentiam præcedit (quomodò hoc instans in nostra Resolutione sumitur) distinctum à re purè possibili hoc instanti, prout hoc instans rei existentiam præcedit & à re ut præsenti distinguitur.

Ad Confirmationem

CLXVI. Respondeo, negando assumptum, quia ista non sunt contradictoria, nisi sumptis eorum objectis, quatenus in instantibus, in quibus enuntiantur aliquandò esse, vel non esse, sunt extrà causas & in actu in Dei æternitate, ut considerantì patebit.

Resolutio III.

CLXVII. Dico 3°. omnes Propositiones singulares de futuro contingenti consideratæ antecedenter ad omne decretum Dei de objecti earum futuritione, vel non futuritione, sunt determinatè falsæ. Sed

Antè probationem

CLXVIII. Nota 1°. suprà à num. 154. semper suppositum causam sese determinaturam ad ponendum vel non ponendum effectum tempore per copulam significato, quia hujus Propositionis, *Petrus cras curret*, consequenter ad decreta Divina ad actiones creaturarum necessaria, est hic sensus, *Petrus cras sese determinaturus est ad currendum cras:* Hic verò supponitur causa mansura indifferens tempore per copulam significato ad se determinandum ad ponendum effectum, vel ad se determinandum ad non ponendum effectum, quod est longè diversum; quia causa & effectus considerantur pro statu, quo nullum est decretum Dei, sive de illis creandis, sive de concurrendo cum causa ad ponendum effectum tempore per copulam significato; ac proindè considerantur ut indifferentes ad futuritionem, vel non futuritionem.

CLXIX. Nota 2°. in omni Propositione de futuro contingenti, sive electivo aut eligibili, subaudiendum contingenter, sive liberè, ut, cum dico, *Petrus cras curret*, sit hic sensus, *Petrus cras contingenter*, sive *liberè curret*; aliàs non esset de futuro contingenti, sive libero, ut considerantì patebit. His notatis

CLXX. Probatur Resol. quia antecedenter ad omne decretum Dei, &c. earum objectum consideratur indifferens ad futuritionem vel non futuritionem contingentem sive liberam; sed illæ enuntiant objectum habere futuritionem, vel non futuritionem contingentem sive liberam, ergò, &c. minor probatur, quia tum ipsum objectum antecedenter ad omne decretum consideratur indifferens ad esse & non esse; tum causa ipsius libera, consideratur indifferens, tam ad esse & non esse, quàm ad operandum liberè, vel non operandum liberè; ad objecti verò futuritionem, vel non futuritionem contingentem sive liberam, requiritur objectum futurum, vel non futurum, & tam causam esse, quàm operaturam esse liberè, vel non operaturam esse liberè, ut patet; quia alioqui objectum non esset nisi indifferens ad esse futurum, vel non esse futurum; ad esse contingens sive liberum, & non esse contingens sive liberum; de quibus non procedit Resolutio, ergò, &c.

CLXXI. Probatur major, quia illæ Propositiones, ut patet ex his & similibus Propositionibus, *Petrus cras curret*, *Petrus se determinaturus est ad currendum cras*, non enuntiant objectum habere necessitatem ad cras currendum, aut indifferentiam causæ ad se determinandum ad cras currendum; nam sunt eædem in modo enuntiandi, ac de objecto considerato consequenter ad decreta Divina, & tota distinctio est in objecto; ergò enuntiant objectum habere futuritionem, vel non futuritionem contingentem sive liberam, licèt illam objectum non habeat, undè fit, quòd omnes sint determinatè falsæ.

CLXXII. Confirmatur, quia ideò Aristoteles dixit Propositiones universales de futuro contingenti, ut *omnis homo curret*, esse determinatè falsas, quia æquivalenter supponit non esse decretum efficax de cursu omnium, ergò, &c.

CLXXIII. Objicies 1°. *Ab eo, quòd res est vel non est, Propositio est vera, vel falsa*; sed objectum illarum Propositionum antecedenter ad omne decretum Dei, &c. nec est futurum, nec non futurum contingenter, utpotè indifferens ad futuritionem & non futuritionem; ergò Propositio enuntians tale objectum, non erit determinatè falsa.

CLXXIV. Respondeo distinguendo istud axioma, *Ab eo quod res est, vel non est*, sumpta à parte rei, *Propositio est vera vel falsa*, nego antecedens; nam alioqui hæc Propositio, *Paries est albus*, esset simul vera & falsa, quia à parte rei paries, quatenus habet albedinem est albus, quatenus habet nigredinem, non est albus; *Ab eo quòd res est, vel non est*, prout per Propositionem enuntiatur esse à parte rei, Propositio est vera vel falsa, concedo antecedens; in casu autem conclusionis enuntiatur objectum esse à parte rei contingenter futurum, vel contingenter non futurum, quale tamen non est à parte rei.

CLXXV. Instabis, ut Propositio sit determinatè falsa, debet enuntiare objectum determinatè futurum, quod est determinatè non futurum; atqui dictæ Propositiones solùm enuntiant objectum determinatè futurum, quod nec est determinatè

minatè futurum, nec determinatè non futurum, sed indifferens ad utrumque; ergò, &c. Probatur major, quia alioqui si objectum, quod enuntiat determinatè futurum, nec sit determinatè futurum, nec determinatè non futurum, Propositio nec erit determinatè falsa, quia objectum non erit determinatè aliter, quàm enuntiat; nec determinatè vera, quia objectum non erit determinatè, sicut enuntiat; sed abstractivè, nec determinatè scilicet *aliter*, nec determinatè *sicut*; ac proindè, nec erit determinatè falsa, nec determinatè vera, saltem positivè; licèt futura sit falsa negativè, id est, non vera positivè; & vera negativè, id est, non falsa positivè.

CLXXVI. Respondeo, distinguendo majorem, ut Propositio sit determinatè falsa, debet enuntiare objectum determinatè futurum, quod saltem est determinatè non futurum negativè, concedo majorem: quod est determinatè non futurum positivè, sive ex libera electione non futuritionis, nego majorem: hoc enim est superfluum, ut Propositio de futuro contingenti sit determinatè falsa, & prius sufficit; quia illa Propositio est determinatè falsa, cujus objectum non est determinatè sicut per Propositionem enuntiatur esse à parte rei: non verò cujus objectum est aliter positivè, ut v. g. ex determinatione voluntatis, quàm per Propositionem enuntiatur esse à parte rei; alioqui in casu Resolutionis hæc Propositio, *tempus præteritum existet*, non esset determinatè falsa; quia in casu Resolutionis ejus objectum, non est aliter positivè, sive ex determinatione voluntatis futurum, quàm per Propositionem enuntiatur esse à parte rei; imò id implicat; sed negativè tantùm: Item hæc Propositio facta de nuda substantia, *Substantia est alba*, non esset determinatè falsa; quia ejus objectum non esset aliter positivè, puta nigrum, quàm per Propositionem enuntietur esse à parte rei, sed negativè tantùm, puta non album: undè patet ad probationem majoris.

CLXXVII. Vrgebis, si ad hoc, ut hæc Propositio, *Petrus cras curret*, foret determinatè falsa, sufficeret cursum Petri esse cras non futurum negativè; ad hoc, ut hæc Propositio, *Petrus cras non curret*, foret determinatè vera, sufficeret cursum Petri cras non esse futurum negativè; contradictoriorum enim contradictoria est ratio: sed consequens est contrà conclusionem; sic enim negativæ Propositiones de futuro contingenti antecedenter ad omne decretum, &c. essent determinatè veræ; ergò illud undè sequitur est absurdum.

CLXXVIII. Respondeo, negando sequelam; quia plus requiritur, ut Propositio sit vera, quàm ut sit falsa; nam ad hoc sufficit illius objectum non esse, sive negativè, sive positivè, sicut per Propositionem enuntiatur esse à parte rei; ad illud verò debet præcisè esse à parte rei sicut per Propositionem enuntiatur esse à parte rei; cum autem dicitur, *Petrus non curret*, prout est Propositio de futuro contingenti, enuntiatur cursus Petri non esse futurus positivè, sive ex libera dispositione voluntatis: adde tamen quod, *Petrus curret*, *Petrus non curret* prout sunt Propositiones de futuro contingenti, non sint contradictoriæ; quia illarum hic est sensus, *Petrus liberè ponet cursum*, *Petrus liberè ponet non cursum*, quarum utraque est affirmativa, & utraque falsa antecedenter ad omne decretum, &c. ut considerantí patebit, contradictoriarum verò altera affirmativa, altera negativa; altera vera, altera falsa.

CLXXIX. Dixi, *Prout sunt Propositiones de futuro contingenti*, quia de illis ut sic est sermo, non verò de affirmativa qualicumque, & purè negativa, ut *scamnum curret*, *scamnum non curret*; quia illa est impossibilis; hæc necessaria, ut patet.

CLXXX. Objicies 2°. hæ Propositiones, *Petrus est se liberè determinaturus ad currendum cras*, *Petrus non est se liberè determinaturus ad currendum cras*, etiam antecedenter ad omne Dei decretum, &c. sunt contradictoriæ, ergò una earum est necessariò vera, altera falsa, ergò conclusio nulla.

CLXXXI. Respondeo, admisso antecedente, & 1ª. consequentiâ, negando 2ªm. quia 2ª Propositio non est negativa de futuro contingenti, sed de futuro necessariò, sicut hæc, *Scamnum non est se liberè determinaturum ad currendum cras*, quam ultrò concedimus esse determinatè veram, sed de hac nihil in Resolutione.

Resolutio IV.

CLXXXII. Dico 4°. omnes Propositiones singulares de futuro contingenti consideratæ etiam consequenter ad omne decretum Dei de objecti earum futuritione, vel non futuritione, sed sumpto objecto quatenus eo instanti, quo aliquandò est, hoc instans respicit, & non quatenus eo instanti, est extrà causas & in actu in Dei æternitate, sunt determinatè falsæ.

CLXXXIII. Probatur, quia ut sic enuntiant objectum esse à parte rei determinatè futurum, id est, quod aliquandò est, quod tamen ut sic non est determinatè futurum, id est, quod ut sic numquam est; quia quod eo instanti, quo dicitur esse, præscindit ab eo, quod sit extrà causas & in actu in Dei æternitate, prout præscindit, numquam est, ut considerantí patebit, ergò, &c.

CLXXXIV. Confirmatur, quia hæc præcisio eodem modo se habet ad objectum suum, sicut præcisio à decreto de futuritione, vel non futuritione objecti; sed in hoc signo præcisionis, omnes illæ Propositiones sunt determinatè falsæ, ut probatum est Resolutione præcedenti, ergò & in isto signo præcisionis, omnes illæ Propositiones sunt determinatè falsæ.

DISPVTATIO SECVNDA

De Divisionibus Propositionum.

CLXXXV. Divisiones Propositionum in Præparamento Logico præmisimus, nunc autem circà distinctionem Propositionum inter se, dubia aliquot subjiciemus, itaque sit

DVBIVM I.

An divisio Propositionis in Affirmativam & Negativam sit generis in species.

Resolutio.

CLXXXVI. Dico, Divisio Propositionis in Affirmativam & Negativam est generis in species.

CLXXXVII. Probatur, quia habet omnia ad distinctionem generis in species requisita, ergò, &c. Probatur antecedens, quia ab utroque membro univocè & essentialiter participatur ratio Propositionis, & utrumque à se mutuo differt essentialiter, ergò, &c. Probatur antecedens pro 1ª parte, quia Propositio, quæ dividitur, est oratio, sive enuntiatio alicujus de aliquo: sed id ab utroque membro, scilicet Propositione Affirmativa & Negativa, univocè & essentialiter participatur, ergò, &c. Probatur antecedens pro 2ª parte, quia habent oppositas tendentias & habitudines actuum ad objecta, scilicet conjungendo terminos, vel dividendo, quæ sunt opposita, ergò, &c.

CLXXXVIII. Confirmatur, objectum directum Propositionis affirmativæ, quod est identitas objectiva, est oppositum objecto directo Propositionis negativæ, quod est non identitas; sed Propositiones mentales specificantur ab objecto directo; ergò negatio & affirmatio sunt inter se oppositæ, & per consequens differunt essentialiter.

CLXXXIX. Objicies 1°. ratio Propositionis per prius participatur ab affirmatione, per posterius à negatione; ergo divisio, &c. est analoga, & non univoca, & per consequens non est generis in species: probatur antecedens ex Aristotele variis locis dicente affirmationem esse priorem negatione.

CLXXXX. Respondeo 1°. jam sæpius esse dictum, participationem rationis communis per prius & posterius non tollere univocationem; sed illam tantùm, quà, unum rationem communem propriè & primariò, aliud impropriè & per ordinem ad aliud, sive secundariò, participat, ut fit in analogis.

CLXXXXI. Respondeo 2°. ad Aristotelem, eum solùm velle, affirmationem esse priorem negatione prioritate dignitatis, cognitionis & simplicitatis: de dignitate & simplicitate constat; de cognitione probatur; quia negatio objectivè est aliquo modo non ens, affirmatio verò ens simpliciter; ens verò cognitione prius est non ente.

CLXXXXII. Objicies 2°. affirmatio est ens, negatio non est ens; atqui ens & non ens non habent verum genus, ergò, &c.

CLXXXXIII. Respondeo, distinguendo majorem, affirmatio est ens, negatio non est ens, objectivè, concedo majorem: repræsentativè & formaliter, nego majorem; ut sic enim est actus intellectus positivus; similiter distingue minorem.

CLXXXXIV. Objicies 3°. negatio sive Propositio Negativa componitur ex affirmatione sive Propositione Affirmativa, ergò Propositio Affirmativa & Negativa non sunt specie distinctæ: probatur consequentia, quia inter species distincta, una species non coalescit ex alia.

CLXXXXV. Respondeo 1°. negando antecedens, nam illud tantùm verum est de Propositione vocali negativa, quam non volumus esse simplicem & adæquatè distinctam ab Affirmativa vocali, cum omnes voces ejusdem orationis, quæ sunt in Affirmativa vocali, contineantur in Negativa vocali: non de actu mentali negativo, quia actu mentali negativo est formaliter simplex, non secus ac affirmativus; undè componi non potest ex Affirmativo.

CLXXXXVI. Instabis, affirmatio & negatio specificantur ab objecto, sed in ratione objecti non sunt distinctæ; ergò nec in ratione actus.

CLXXXXVII. Respondeo distinguendo majorem, specificantur ab objecto adæquate sumpto, concedo majorem; inadequatè, nego majorem; objectum verò negationis adæquatè sumptum est specie distinctum ab objecto affirmationis, quia includit unam negationem, scilicet identitatis inter extrema; quam non includit objectum affirmationis, ut patet.

CLXXXXVIII. Objicies 4°. divisio hæc est secundùm qualitatem; sed qualitas est accidens, ergò divisio hæc est secundùm accidens.

CLXXXXIX. Respondeo distinguendo majorem, Divisio hæc est secundùm qualitatem Logicam & accidens Logicum, concedo majorem; undè suprà diximus per affirmationem & negationem tantùm describi Propositionem in genere: secundùm qualitatem Physicam & accidens Physicum, quod tantùm tollit divisionem generis in species, & facit divisionem subjecti in accidentia, nego majorem: nam alias divisio substantiæ in corpoream & incorpoream, animalis in rationale & irrationale, non esset divisio generis in species, sed subjecti in accidentia, quod apertè falsum est.

CC. Objicies 5°. compositio est prior divisione; sed affirmatio est compositio; negatio verò divisio, ergò affirmatio est prior negatione.

CCI. Respondeo distinguendo majorem, compositio realis quantitativa & objectiva est prior divisione reali quantitativâ & objectivâ, concedo majorem; compositio est prior divisione mentali, nego majorem; nam alioqui Propositio falsa necessariò foret prior verâ, & judicium falsum prius vero; adeoque mendacium prius veritate; nam deberemus priùs judicare hominem esse brutum, furem, &c. in hac Propositione, *Homo non est brutum, non est fur*, &c. quàm negare, quæ sunt absurda, cum contrarium experiamur, & illi actus sint ab invicem independentes.

CCII. Objicies 6ª. ex communi Theologorū sententia, omnes Propositiones fidei sunt ejusdē speciei, sive affirmativæ sint, sive negativæ, ergò, &c.

CCIII. Resp. distinguendo antecedens, omnes Propositiones fidei sunt ejusdem speciei, infimæ, nego antecedens: subalternæ, concedo antecedens: nam solùm dicuntur ejusdem speciei propter idem motivum, videlicet authoritatem revelantis; quia ab uno & eodem habitu fidei formantur, &c. eo autem non obstante dici possunt diversæ speciei infimæ, propter sua objecta materialia diversæ speciei: idem dic de omnibus hæresibus, quæ dicuntur etiam ejusdem speciei, quia recedunt omnes à motivo fidei, scilicet primâ veritate, &c.

CCIV. Objicies 7°. Propositio affirmativa infinitans æquivalet negativæ: hæc v.g. *homo est non brutum* æquivalet isti, *homo non est brutum*; ergò Affirmativa & Negativa non sunt diversæ speciei.

CCV. Respondeo negando antecedens, & ejus probationem; Propositio enim Affirmativa infinitans non æquivalet negativæ; nam Negativa negat copulam, non verò infinitans, sed affirmat aliquod positivum de subjecto positivo; illa enim Propositio, *homo est non brutum* æquivalet huic, *homo est rationalis, est risibilis*, &c. quæ est specie distincta ab hac, *homo non est brutum*.

CCVI. Instabis, ly *non brutum* sumitur negativè, non verò positivè & neganter, ergò hæc Propositio *homo est non brutum* non æquivalet isti, *homo est rationalis, risibilis*, &c.

CCVII. Respondeo isto sensu concedendo totum;

tùm ; sed tunc illius hic est sensus, *homo est negatio bruti*, quæ Propositio, præterquam quod sit falsa, est etiam specie distincta ab hac, *homo non est brutum*; unde nihil contrà Resolutionem.

CCVIII. Dixi isto sensu, id est sumendo ly *non brutum* formaliter secundùm quod dicit in obliquo, nam in recto dicit aliquod positivum.

CCIX. Objicies 8°. datur in mente, & in voce, Propositio Affirmativa & Negativa simul, id est, media & mixtæ qualitatis; sed duæ species non possunt misceri, ut patet in *homine* & *bruto*, ergò, &c.

CCX. Respondeo negando majorem, quia essentia hujus judicii, v. g. *si Petrus non est, ejus negatio est* (quòd dicitur Propositio mixtæ qualitatis) consistit in una extremorum copula, quæ non potest simul affirmare & negare idem simul esse & non esse secundùm idem: undè copula minùs principalis verbalis est pars unius termini extremi, & in mente objectum 1æ operationis directum, non autem 2æ; quia dum dico, *si Petrus non est, ejus negatio est*, possum assentiri Propositioni, & non judicare quòd Petrus non sit; ergò judicium non fertur in 1am copulam. Quod

CCXI. Confirmatur 1°. quia Propositiones Affirmativa & Negativa sunt contradictoriæ, inter quas non datur media vel mixta.

CCXII. Confirmatur 2°. quia, si daretur mixta, non haberet contradictoriam, Affirmativam aut Negativam; ac proindè nullam, quod est inintelligibile, ergò, &c.

CCXIII. Confirmatur 3°. hæc mixta, *quodlibet est vel non est*, est simpliciter Affirmativa; si enim apponatur negatio, ut, *non quodlibet est, vel non est*, habebis contradictorium illius negativum: unde habes in illis Propositionibus (quas abusivè nonnulli vocant mixtas secundùm qualitatem) nullam esse copulam principalem verbalem explicitam; sed ly *quodlibet est, vel non est*, totum esse prædicatum; copulam verò principalem subintelligi, ut sit sensus, *necesse est, quodlibet esse, vel non esse*: non enim possunt duo judicia distincta esse colligata disjunctivè, sic ut unum dicat *vel est*, aliud *vel non est*, nam colligatio se tenet ex parte objecti & terminorum, non ex parte actuum, quorum neuter esset, aut Affirmativus, aut Negativus absolutè, uti judicium esse debet, & consequenter neuter esset judicium. Ex his verò

CCXIV. Colliges non dari Propositionem, quam vocant mixtæ qualitatis, id est, simul Affirmativam & Negativam, ut *arenæ maris sunt pares, vel non sunt pares*, ob rationes dictas: nisi malis dicere ibi esse duas Propositiones, unam Affirmativam, ut *arenæ maris sunt pares*, alteram Negativam, ut *arenæ maris non sunt pares*. Sed sit

QVÆSTIVNCVLA.

CCXV. QVeres an detur Propositio mixtæ quantitatis, id est, simul universalis & particularis ex parte subjecti, ut v. g. *omnis hominis aliqua manus est dextera*.

CCXVI. Respondeo negativè, quia in similibus Propositionibus datur unicum subjectum, quod exprimitur in recto; illud autem est, vel universale, vel particulare, juxtà naturam signi, quo afficitur. Nec refert, quòd in istis Propositionibus fieri possit duplex descensus copulativus ut v. g. *istius hominis aliqua*, id est, *ista, & illius hominis ista manus est dextera*, &c. & disjunctivus, ut v. g. *istius hominis aliqua*, id est, *vel hæc, vel illa manus est dextera*, & *illius hominis*, &c. quia hinc tantùm sequitur ex parte subjecti reperiri duas voces, sub quibus liceat descendere distributivè & disjunctivè: imò etsi daretur talis Propositio, non esset tamen tertia species distincta à particulari & universali; sed uno respectu contineretur sub universali, alio respectu sub particulari, prout contingit in substantia, quæ latissimè sumpta pro completa & incompleta, adæquatè dividitur in corporalem & spiritualem, licèt detur una composita ex utraque, scilicet *homo*, sic ut *homo* quà corporeus sub substantia corporali ponatur, quà verò animatus sub spirituali.

DVBIVM II.

Qualis sit Divisio Propositionis in Vniversalem, particularem, Indefinitam, & singularem.

RESOLVTIO.

CCXVII. DIco, Divisio Propositionis in Vniversalem, Particularem, Indefinitam & Singularem est generis in species.

CCXVIII. Probatur 1°. ex præmissis Dub. 10. n. 186.

CCXIX. Probatur 2°. illi actus distinguuntur inter se essentialiter, qui habent diversos ordines & modos tendendi in objecta; sed illi omnes sunt tales, ergò, &c. Probatur minor, quia Propositio universalis dicit ordinem ad objectum suum ut copulativè sumptum, & in illud tendit modo copulativo: Propositio particularis dicit ordinem ad suum objectum, ut disjunctivè sumptum, & in illud tendit modo disjunctivo: Propositio indefinita dicit ordinem ad objectum suum indefinitè, & tendit in illud modo indefinito, id est, sic ut in illo ex parte modi concipiendi nulla appareat universalitas, particularitas, aut singularitas: Propositio singularis dicit ordinem ad objectum suum determinatè & in actu exercito individualiter sumptum.

CCXX. Subsumo: atqui isti actus, ratione istorum ordinum & modorum tendendi in objecta diversorum, valdè diversi sunt, non secus ac isti ordines: ergò ratione illorum distinguuntur essentialiter. Probatur consequentia, quia isti ordines ad objecta, & modi tendendi in objecta, sunt istis actibus essentiales, ergò, &c.

CCXXI. Objicies 1°. ista Divisio est secundùm quantitatē; sed quantitas est accidens, ergò ista Divisio est secundùm accidēs, & nō generis in species.

CCXXII. Resp. distinguendo majorem, ista Divisio est secundùm quantitatem Analogicam & proportionalem, quia scilicet est secundùm affectiones subjecti, quod habet se per modum materiæ, & affectiones illius per modum quantitatis, concedo majorem; est secundùm quantitatem propriam & univocè talem, nego majorem.

CCXXIII. Objicies 2°. Propositio universalis tantùm distinguitur à particulari in eo, quòd ad plura extendatur, quàm particularis; atqui extensio major non videtur inducere diversitatem specificam, ergò, &c. probatur minor, quia alioqui visio extensior distingueretur specie à visione objecti ejusdem speciei minus extensâ, quod est absurdū, ergò, &c.

CCXXIV. Resp. negando majorem, quia cum haud minùs Propositio Particularis in subjectum copulam & prædicatum tendat, quàm Vniversalis, nec magis Vniversalis, &c. censeri debent ejusdem extensionis, quo dato, Vniversalis non distingueretur à particulari; distinguitur ergò Vniversalis à Particulari ratione diversi ordinis & modi tendendi in objecta: nam Vniversalis tendit in objectum

ut modificatum signo Vniversali, adeoque modo Vniversali & distributivo; Particularis verò tendit in objectum suum ut affectum signo particulari, ac proindè modo particulari & disjunctivo; singularis autem modo singulari, ut dictum est suprà: & sic patet ad minorem, & ejus probationem; nam visio, sive sit actus simplex, sive compositus, tendit in objectum simpliciter ut coloratum & extensum, non verò tendit in illud ut tali vel tali modo modificatum, cum tali vel tali modo tendendi, &c.

DVBIVM III.

An divisio Propositionis in Apodicticam & Dialecticam sit generis in species.

Resolutio.

CCXXIV. Dico, divisio Propositionis in Apodicticam & Dialecticam est generis in species.

CCXXV. Probatur, quia Apodictica & Dialectica æquè participant rationem Propositionis: utraque enim est vera Propositio; deindè ratio seu motivum assentiendi est formaliter diversum; quia in Apodictica motivum illud est connexio terminorum necessaria relucens in intellectu, quæ terminat assensum firmum & evidentem; in Dialectica verò est tantùm connexio relucens verosimilis vel contingens, quæ terminat assensum probabilem, infirmum, & inevidentem.

CCXXVI. Confirmatur: Dialectica ex se non excludit dubitationem, illique falsum subesse potest; Apodictica verò ex essentia sua illam excludit, & illi falsum subesse nequit, ergò, &c. Pro solutione Argumentorum

CCXXVII. Nota 1°. hanc differentiâ motivorũ assensus, & Propositionis divisionem, esse secundùm materiam circà quam, sive circa aggregatũ ex subjecto, prædicato & copula; quia in materia Propositionis est necessitas, vel probabilitas, quæ non est in forma syllogistica, sive in modo & figura; undè fit, ut subjectum & prædicatum sint materia respectu copulæ, quæ instar formæ determinat Propositionem ad affirmationem, vel negationem: subjectum, prædicatum, copula simul sumpta sunt materia respectu modi & formæ syllogisticæ, quæ materia determinatur per formam, ut sit major, vel minor Propositio, cum tali, vel tali dispositione medii ad inferendam conclusionem.

CCXXVIII. Nota 2°. præter actum scientiæ, id est, assensum Apodicticum seu demonstrativum, qui tendit in objectum certum, evidens, immutabile, sive æternæ veritatis; & præter opinionem sive assensum Dialecticum & probabilem, qui tendit in objectum incertum, inevidens, & immutabile; dari præterea assensum certum & evidentem, sed mutabilem & contingentem, v. g. *Ioannes ludit*, si videam ludentem; hic tamen tertius assensus non est medius inter demonstrativum & probabilem, sed reducitur ad demonstrativum; posito enim quòd Ioannes videatur ludere, necessariò infallibiliter ludit; quia tamen non est immutabilis & necessarius assensus antecedenter ad existentiam objecti, hic assensus non deservit demonstrationi Aristoteleæ.

CCXXIX. Dices, claritas major & minor non mutant speciem visionis, ergò nec scientia, & opinio mutant speciem intellectionis.

CCXXX. Respondeo, negando consequentiam; disparitas enim est, quòd scientia & opinio habeant diversa lumina objectiva; opinio incertum & infirmum, scientia certum & firmum, quod in majori & minori claritate non contingit: argumentum autem tantùm probat claritatem majorem & minorem opinionis non differre specie, sicut etiam claritas major & minor scientiæ non differunt specie, quod ultro concedimus; sed in præsenti intellectiones non specificantur penes majorem & minorem claritatem; benè penes majorem & minorem certitudinem ac firmitatem: objectum enim Propositionis Apodicticæ est certum & firmum, secus objectum Propositionis Dialecticæ.



TRACTA-

TRACTATVS VIII.

IN LIBROS ARISTOTELIS DE Priori Analysi seu Resolutione.

1.
VOBUS his in Libris varia adfert Aristoteles de Syllogismo, Terminis & Propositionibus, ejus materiâ; de quibus nos satis in Præparamento Logico Disput. 1ª & 3ª. Nunc autem de nonnullis majoribus eò spectantibus difficultatibus, quæ pro merito ibi agitari non potuerunt, disputabimus.

DISPVTATIO PRIMA

De Discursu.

II. DIscursum definivimus & divisimus suprà in Præparamento Logico Disp. 7. num. 387. Quarè, sit

DVBIVM I.

An Discursus formalis debeat constare duplici præmissâ & conclusione.

RESOLVTIO.

III. DIco, ad hoc ut per Discursum formalem aliquid legitimè concludatur, Discursus formalis constare debet duabus præmissis realiter inter se distinctis, vel saltem unâ præmissâ virtuali duabus illis æquivalente, & conclusione.

IV. Probatur, quia ut in conclusione prædicatum uniatur subjecto, debent priùs prædicatum & subjectum fuisse in præmissis unita uni 3°. juxtà illud, *Quæcumque sunt eadem uni* 3°. *sunt eadem inter se*; atqui ad hoc requiruntur duæ præmissæ realiter distinctæ, vel una virtualis, &c. ergò, &c.

V. Confirmatur, Discursus formalis est, qui concludit vi formæ, sed hæc est affirmativorum forma, *Quæcumque sunt eadem*, &c. Hæc vero negativorum, *Quæcumque non sunt eadem uni* 3°, *non sunt eadem inter se*. Ergò, &c.

VI. Objicies, ex hac sola Propositione, *Omnis homo currit*, nullâ aliâ subintellectâ, rectè concluditur, ergò *aliquis homo currit*; sed ibi est Discursus, ergò, &c.

VII. Respondeo, negando majorem, nam debet hæc subintelligi, atqui *Aliquis homo continetur in omni*, ergò *aliquis homo currit*; alioqui non esset identitas vi formæ inter prædicatum & subjectum. Ex his

VIII. Colliges, omnem Discursum rigorosè esse Syllogismum, ac proindè Enthimema, Dilemma, Exemplum, &c. non esse rigorosè Discursus, nisi subintelligatur aliqua Propositio, prædicatum & subjectum conclusionis cum 3° conjungens.

DVBIVM II.

An Præmissæ Discursus formalis debeant esse judicativæ, an non sufficiant apprehensivæ.

RESOLVTIO.

IX. DIco, Præmissæ Discursus formalis debent esse judicativæ, nec sufficiunt apprehensivæ.

X. Probatur, quia Discursus formalis est 3ª mentis operatio, quæ à 2ª, sive 1° judicio, in eo distinguitur, quòd sit ex prævis judiciis, 2ª verò ex prævia, ut summùm, apprehensione.

XI. Probant alii communiter hoc modo; Apprehensiones præmissarum, quas præsupponeret judicium consequentis, essent claræ, vel obscuræ; si claræ, non posset intellectus, utpotè agens necessarium, non ferre judicium circà præmissas objectivas; si obscuræ, non posset ferre judicium circà conclusionem seu consequens objectivum; quia illud debet sequi ex notioribus juxtà illud Aristotelis 1°. Post. cap. 2°. *Si ob ea scimus & credimus, & illa sanè scimus & credimus magis.* Sed

XII. Contrà, illa probatio non videtur solida; quia (præterquam quod possit intellectus positâ specie

ſpecie clarâ recordativâ ſui objecti, illius non recordari; ità poſitâ clarâ apprehenſione ſui objecti, poteſt circà illud non ferre judicium) judicium conſequentis non neceſſariò præſupponit præmiſſas notiores; quia hæ non movent intellectum ad aſſenſum concluſionis, quà notiores, ſed quia virtualiter continent concluſionem, vel potius, quia concluſio non eſt eadem cum illis. Ad Ariſtotelem verò Reſpondeo hîc non audiendum, quia quod ibi dicit, non eſt ſatis fidei conforme, ſequitur enim nos non magis revelationem Divinam ſcire & credere debere, quàm Deum eſſe trinum, quod propter Divinam revelationem ſcimus & credimus, cum tamen inter Propoſitiones fidei una non ſit certior alterâ, magis quàm authoritas Dei revelantis ſit uno tempore major alio.

DVBIVM III.

An Diſcurſus ſeu 3ª. mentis operatio differat eſſentialiter à 2ª. ſeu judicio ſimplici.

XIII. QVidam, ſed pauci, volunt Diſcurſum 3ᵃᵐ mentis operationem à 2ª ſolùm differre connotato, hoc ſcilicet, quòd una inferatur ex judicio, altera ex apprehenſione, contrà quos, ſit

Resolutio.

XIV. DIco, Diſcurſus ſive 3ª mentis operatio diſtinguitur eſſentialiter à 2ª.

XV. Probatur, quia eſſentialiter eſt judicium illatum ex alio judicio, ut vidimus dubio 1°. 2ª verò mentis operatio eſt judicium ut ſummum ex apprehenſione illatum, ergò diſtinguuntur inter ſe eſſentialiter.

XVI. Probatur 2°. ubicumque eſt diverſa applicatio objecti, & diverſus modus tendendi in illud, eſt etiam diverſitas eſſentialis actuum; ſed inter 2ᵃᵐ & 3ᵃᵐ mentis operationem iſta inveniuntur, ergò, &c.

XVII. Probatur minor pro 1ª parte 1°, quia applicatio objecti conſequentis formaliter ſumpti, ſive 3ª operationis, fit modo certo, id eſt per judicium; applicatio verò objecti 2æ operationis modo incerto, id eſt, per apprehenſionem, ergò, &c.

XVIII. Probatur minor pro 1ª parte 2°, quia ut multi Theologi docent, charitas Patriæ per hoc tantùm diſtinguitur à charitate viæ, quòd illius objectum materiale clarè proponatur in Patria per viſionem beatificam; hujus verò objectum in via obſcurè proponatur per actum fidei: ergò etiam judicium illatum ex judicio, & judicium illatum ex apprehenſione diſtinguuntur eſſentialiter. Probatur conſequentia, quia judicium objectum ſuum clarè proponit, apprehenſio verò obſcurè, nam per hanc intellectus ſemper eſt in formidine de oppoſito, & per ſolum judicium firmiter adhæret objecto, ergò, &c.

XIX. Subſumo: atqui judicium illatum ex judicio eſt 3ª mentis operatio, & illatum ex apprehenſione tantùm, eſt 2ª, ergò 3ª & 2ª mentis operatio differunt eſſentialiter. Hinc etiam facilè

XX. Probatur iſta minor, pro 2ª parte; ibi eſt modus tendendi in objectum diverſus, ubi eſt diverſa ratio formalis, ſive motivum tendendi, &c. atqui in 2ª & 3ª mentis operatione eſt diverſa ratio formalis ſive motivum tendendi, &c. ergò, &c. Probatur minor, judicium non illatum tendit in identitatem extremorum, ob connexionem, quam habent inter ſe; judicium verò illatum in identitatem extremorum ob connexionem, quàm habent cum aliquo 3°; ergò differunt ratione formali, ſeu motivo tendendi.

XXI. Objicies 1°. diverſa applicatio objecti non facit actum diverſæ ſpeciei, ergò 3ª mentis operatio non diſtinguitur ſpecie à 2ª: Probatur antecedens, applicatio ignis ad manum, & admotio coloris ad oculum, à quocumque fiat, non inducit diverſitatem ſpecificam tactus vel viſionis, ergò, &c.

XXII. Reſpondeo, diſtinguendo antecedens, diverſa ſpecie applicatio, in quam tendit actus, non facit actum ſpecie diverſum, nego antecedens; nam album modificat actum juxtà diverſitatem ſuæ naturæ, eodem modo ac objectum primarium: hinc ſi idem paries modò concurrente lumine A. modò lumine B. diverſæ ſpeciei & clariori, repræſentaretur, videri deberet per diſtinctas ſpecie viſiones: diverſa numero tantùm applicatio vel diverſa ſpecie, in quam non tendit actus, non facit actus diverſæ ſpeciei, concedo antecedens: verùm in 3ª & 2ª mentis operatione eſt diverſa ſpecie applicatio, & talis in quam tendit actus.

XXIII. Objicies 2°. Ariſtoteles 1°. de Interpr. cap. 1°. & 3° de anima, meminit tantùm duarum operationum mentis, ſcilicet compoſitionis ſive judicii, & ſimplicis apprehenſionis, ergò, &c.

XXIV. Reſpondeo, Ariſtotelem ibi tantùm attendere ad diſtinctionem inter judicium & apprehenſionem ſimplicem, non verò ad numerum operationum mentis, & quot ſint: vel dic ſub judicio, quod eſt genus ad 2ᵃᵐ & 3ᵃᵐ operationem, comprehendi 3ᵃᵐ operationem. Ex dictis

XXV. Colliges, 1ᵃᵐ mentis operationem tendere in objectum apprehenſivè ſive cognoſcitivè tantùm; 2ᵃᵐ verò cognoſcitivè judicativè, ſeu aſſertivè, non illativè ex prævio judicio; 3ᵃᵐ denique cognoſcitivè, aſſertivè & illativè ex judicio prævio.

DVBIVM IV.

In quo judicio ſita ſit eſſentia Diſcurſus.

XXVI. NOta, Diſcurſum multipliciter ſumi. 1°. prout tantùm includit terminum à quo, id eſt, antecedens vel præmiſſas, ut cum dicitur, *Diſcurſus eſt cauſa conſequentis; demonſtratio eſt Syllogiſmus generans ſcientiam, Syllogiſmus Dialecticus eſt Syllogiſmus generans opinionem.* Vndè Ariſtoteles cap. 26. ſolas præmiſſas vocat Diſcurſum ſive Syllogiſmum.

XXVII. Sumitur 2°. pro artefacto mentali Logico, conflato ex judiciis antecedentis ſeu præmiſſarum & conſequentis; ſecundùm quod definitur Syllogiſmus ejus ſpecies præcipua, *Oratio in qua, quibuſdam poſitis,* &c. undè Ariſtoteles dicit *ex una præmiſſa negativa & altera affirmativa fieri Syllogiſmum negativum.*

XXVIII. Sumitur 3°. Diſcurſus præcisè prout eſt 3ª mentis operatio. His prænotatis, ſit

RESOLUTIO I.

XXIX. DIco 1°. Discursus sumptus ut causa consequentis, consistit in solis præmissis.

XXX. Probatur, quia, si ut causa consequentis consisteret in ipso consequente, consequens esset causa sui ipsius, quod implicat, ergò, &c. Probatur minor, quia, cum causa sit prior effectu, consequens esset, antequam esset, ut consideranti patebit, ergò, &c.

RESOLUTIO II.

XXXI. DIco 2°. si Discursus sumatur pro artefacto logico conflato ex judiciis antecedentis & consequentis, essentia Discursus sita est in aggregato ex judiciis antecedentis & consequentis.

XXXII. Probatur, Discursus sic sumptus includit in recto & æquè 1°. illa judicia tamquam sui partes intrinsecè componentes, ergò, &c.

XXXIII. Prob. assumptum, quia indè fit, quòd Aristoteles Syllogismum definiat *Orationem in qua quibusdam positis*, &c. & Discursus communiter definiatur *Cursus intellectualis ab una cognitione ad aliam*, quia uti materialis plures passus, ità spiritualis plures cognitiones includere debet, ergò, &c.

XXXIV. Dices ex P. Comptono utramque istorum assumptorum probationem maximè favere oppositæ sententiæ Discursum constituenti essentialiter in solo judicio consequentis, ergò, &c. probatur antecedens pro 1ª parte, quia ly *in qua* in definitione Syllogismi ab Aristotele positum, non refertur ad ly *quibusdam positis*; sed ad ly *necessariò sequitur*, quasi dicat: *Syllogismus est oratio, in qua aliud necessariò sequitur, quibusdam positis*. Probatur antecedens pro 2ª parte, quia ratio & authoritas ista expositioni præponderat: docent enim Divus Thomas 1ª. p. q. 58. art. 3°. & Aristoteles 1°. Post. c. 1° Discursum *esse cognitionem unius veritatis post aliam*, ergò, &c.

XXXV. Respondeo, negando assumptum; ad ejus probationem pro 1ª parte, Respondeo Patrem Comptonum non satis attendere ad ly *in qua*, quod *consequens* esse partem significat, & *præmissas* compartes consignificat. Ad 2ªm autem partem Resp. Patrem Comptonum à ratione nihil momenti adferre, uti nec ab authoritate; quia locus ille, qui ex Divo Thoma & Aristotele citatur, intelligi debet de Discursu sumpto pro 3ª mentis operatione præcisè secundùm quod dicit in recto, juxtà Resolutiones sequentes.

XXXVI. Confirmatur, Discursus sic sumptus est artefactum quoddam; sed artefacta sunt aggregata per accidens, ergò, &c.

RESOLUTIO III.

XXXVII. DIco 3°. essentia Discursus præcisè sumpti pro 3ª. mentis operatione, non est sita in judicio antecedentis, seu præmissarum tantùm; quia etsi illud sit respiciens aliud tamquam causa, non est tamen judicium illatum ex aliis, quod est de essentia Discursus, ergò, &c.

RESOLUTIO IV.

XXXVIII. DIco 4°. Discursus sumptus pro 3ª. mentis operatione, non consistit in aggregato ex judiciis antecedentis, & consequentis. Est contrà PP. Hurtadum, Arriagam, &c.

XXXIX. Probatur, quia aggregatum illud non est simplex qualitas; sed tres mentis operationes sunt qualitates simplices, ergò, &c.

XL. Confirmatur; 1ª & 2ª mentis operatio, & similiter 3ª, realiter adæquatè inter se distinguuntur: sed si 3ª. essentialiter consisteret in illo aggregato, essentialiter includeret 2ªm, adeoque ab ea non distingueretur adæquatè, ergò, &c.

RESOLUTIO V.

XLI. DIco 5°. Discursus sumptus pro 3ª. operatione essentialiter non consistit in judicio de bonitate consequentiæ ut tali judicio.

XLII. Probatur, quia illud *ut tale* non est necessariò illatum ex alio, ergò, &c. Probatur antecedens, casu quo per Deum intellectus ferretur in bonitatem consequentiæ per judicium distinctum à judicio consequentis formaliter sumpti, illud esset judicium de bonitate consequentiæ, & non esset illatum ex alio, ergò essentia Discursus in eo non consistit.

RESOLUTIO VI.

XLIII. DIco 6°. essentia Discursus sumpti pro 3ª mentis operatione, secundùm quod dicit intrinsecè & in recto, consistit in judicio consequentis formaliter sumpti, id est, ut moraliter causatur à præmissis.

XLIV. Probatur 1°, quia aliud non suppetit, ut patet ex Resolutionibus præhabitis.

XLV. Probatur 2°, quia in judicio consequentis salvatur tota definitio Discursus sumpti pro 3ª mentis operatione, ergò, &c. Probatur antecedens, quia Discursus ut talis, definitur cognitio unius ex alio per distinctam cognitionem cognito, quod convenit tali judicio, ergò, &c.

XLVI. Dixi, secundùm quod dicit intrinsecè & in recto; quia sicut relatio non potest esse vel concipi sinè termino; ità judicium consequentis formaliter sumpti, nec esse, nec concipi potest sinè judiciis præmissarum, ex quibus infertur; & ad quæ dicit habitudinem tamquam ad terminum *à quo*: undè dic judicia antecedentis esse de essentia Discursus, extrinsecè & in obliquo: Prout à nonnullis dicitur terminum esse de essentia relationis adæquatè fundamento identificatæ, quod suprà à nobis impugnatum est.

XLVII. Objicies 1° Discursus indifferenter dicitur transitus ab antecedente ad consequens, & è contrà, transitus à consequente ad antecedens, ergò, &c.

XLVIII. Respondeo, negando antecedens pro 2ª parte; quia alioqui consequens esset causa antecedentis, sicut antecedens est causa consequentis, quod est falsum: ex eo verò, quòd sit transitus ad terminum à quo, sive à præmissis, ad consequens, solùm sequitur præmissas esse de essentia Discursus, extrinsecè & in obliquo.

XLIX. Objicies 2°. discursus est instrumentum sciendi,

sciendi, ejusque nobilissima species est demonstratio, quæ est Syllogismus efficiens scientiam, ergò consistit essentialiter in solis præmissis: probatur consequentia, quia illis solis convenit esse instrumentum sciendi, & causam scientiæ.

L. Respondeo, sub distinctione si discursus sumatur ut instrumentum sciendi, & causa efficiens moralis scientiæ, concedo totum juxtà 1am Resolutionem: si sumatur ut 3a mentis operatio, & ut instrumentum formale sciendi, ac ut causa formalis scientiæ, consistit in solis præmissis, nego; imò repugnat ipsas præmissas esse instrumentum formale sciendi, aut causam formalem scientiæ; nam id est ipsa forma, quâ quis denominativè est sciens, quod à solo judicio consequentis formaliter sumpti habetur, licèt ab ipsis præmissis dicatur quis, saltem impropriè, efficienter moraliter sciens. Similiter distingue consequens.

LI. Objicies 3°. ex D. Thoma; Iudicium consequentis est velut forma, & judicium antecedentis velut materia; sed compositum ex materia & forma, materiam & formam dicit intrinsecè, ergò & Discursus judicia antecedentis & consequentis dicit intrinsecè.

LII. Respondeo 1°. negando assumptum: nam indè sequeretur, Discursum conflatum ex judiciis antecedentis & consequentis non esse aggregatum per accidens, sed ens strictè per se, utpotè compositum ex materia & forma.

LIII. Respondeo 2°. S. Thomam dicere *veluti*, id est, analogicè: nam sicut materia est indifferens ad plures formas, & illis mediantibus ad faciendum hoc vel illud compositum Physicum: ità judicium antecedentis est indifferens ad hoc vel illud judicium consequentis, illoque mediante ad faciendum hoc vel illud artefactum mentale Logicum.

LIV. Adde, si Discursus sumatur Logicè, sive pro aggregato; tum dicendum solùm Syllogismum vocalem efficere scientiam, non mentalem; si verò velis dicere, etiam Syllogismum mentalem efficere scientiam; dic cum P. Arriaga efficere scientiam habitualem, non actualem; scientiam autem habitualem non esse conclusionem, sed effectum illius: & licèt intelligeretur de actuali, dici posset Discursum mentalem ratione unius partis generare scientiam actualem, quæ sit altera compars illius Syllogismi, sicut equus dicitur sustentare formam suam, quæ est pars ipsius equi.

LV. Objicies 4°. Contrà 5am Resolutionem; in hoc Syllogismo, *Omnis consequentia, quæ nititur dicto de omni, servatis cæteris, est bona; at consequentia in Barbara est talis, ergò est bona consequentia in Barbara*; sed ibi est judicium consequentiæ, & est Discursus, ergò, &c.

LVI. Respondeo, in illo Syllogismo non esse judicium bonæ consequentiæ, prout consequentia est illa, in qua negamus constitui rationem Discursus; sed esse judicium consequentis formaliter sumpti, id est, ut dependentis ab antecedente, in quo constituimus rationem Discursus; judicat enim intellectus terminos conclusionis esse inter se connexos, ex vi connexionis in antecedente, cum medio scilicet dicto de omni; & sic ibi consequentia, non proprium, sed consequentis locum obtinet, adeoque nihil indè contrà Resolutionem sequitur.

LVII. Objicies 5°. contrà eamdem Resolutionem; intellectus aliquandò transit à judicio antecedentis ad judicium consequentiæ, vel saltem potest transire, ergò potest in aliquo casu Discursus consistere in judicio consequentiæ: Probatur consequentia, quia judicium consequentiæ sic esset ex antecedente judicio.

LVIII. Respondeo, quidquid sit de casu: distinguendo antecedens, potest fieri transitus à judicio antecedentis determinante intellectum ad judicium consequentiæ, nego antecedens: tamquam ab aliquo extremo, concedo ant. Iam autem ad rationem Discursus pertinet ut determinetur intellectus ratione objecti per præmissas judicativas ad objectum in conclusione ex præmissis, judicandum, quòd non fit in transitu à judicio antecedentis ad judicium consequentiæ.

DVBIVM V.

An & qualis cognitio de bonitate consequentiæ requiratur ad assensum Conclusionis.

Antè Resolutionem

LIX. Suppono 1°. ad hoc, ut ex præmissis legitimè inferatur Conclusio, requiri dependentiam sive connexionem aliquam Conclusionis cum præmissis; nam alioqui Discursus esset successivus, & Conclusio materialis: non autem causalis, & Conclusio formalis.

LX. Suppono 2°. in omni Discursu requiri in actu exercito judicium de bonitate consequentiæ; quia illud, ut jam dictum est, non distinguitur à judicio consequentis formaliter sumpti, quod, si non sit tota essentia Discursus, de quo infrà, saltem est pars illius essentialis præcipua.

LXI. Suppono 3°. inter judicia consequentis & præmissarum, quandò Syllogismus fit in modo imperfecto, in quo non satis elucet bonitas consequentiæ, v. g. in Baroco, plerumque mediare judicium de bonitate consequentiæ in actu signato; item etiam cum discurrens non est ità peritus, ut experientia docet.

LXII. Suppono 4°. Dubium procedere, tam de cognitione apprehensiva (quam aliqui tantùm requirunt) quam de judicativa, quam plures adstruunt. His suppositis, sit

Resolutio I.

LXIII. Dico 1°. cum RR. PP. Arriaga, Hurtado, Oviedo, Comptono, &c. non requiritur aliqua notitia expressa & in actu signato de connexione actus consequentis formaliter sumpti, cum actibus præmissarum.

LXIV. Probatur, quia aliàs deberent attingi & repeti actus Conclusionis & præmissarum per talem actum; sed nullus id magis experitur, quàm quòd amando objectum se præmittere actum reflexum de illius bonitate experiatur, licèt fortè experiatur se per actum Conclusionis repetere objectum præmissarum, ergò, &c.

LXV. Confirmatur, quia cum intellectus ad actum Conclusionis sufficienter determinetur per assensus præmissarum; & vel ipsis præmissis, absque prævio tali actu de consequentiæ bonitate, assentiatur, est omninò superfluus, ergò, &c.

Reso-

Resolutio II.

LXVI. Dico 2°. antè assensum conclusionis, debet præcedere expressè in actu signato apprehensio consequentiæ objectivæ, id est, identitatis & connexionis objecti conclusionis cum objecto præmissarum.

LXVII. Probatur, quia assentior conclusioni propter præmissas objectivas expressè & in actu signato; sed ly *propter* denotat talem connexionem, & antè omnem assensum, sive judicium de quolibet objecto expressè & in actu signato, debet præcedere apprehensio, ergò, &c.

Resolutio III.

LXVIII. Dico 3°. non requiritur apprehensio consequentiæ formalis prout opponitur materiali, id est, identitatis & conjunctionis objecti conclusionis cum objectis præmissarum, secundùm formā Logicam, sive figuram Syllogisticā.

LXIX. Probatur 1°. quia solùm debet præcedere apprehensio illius, quod expressè & in actu signato per judicium attingitur; sed consequentia formalis prout opponitur materiali, non ita attingitur, sive à judicio consequentis formaliter sumpti, sive ab alio judicio distincto, sed solùm implicitè & confusè, ergò, &c.

LXX. Probatur 2°. quia in Syllogismis clarè & evidenter concludentibus, positis assensibus præmissarum, & dictâ apprehensione, non experimur aliquid aliud requiri; sed intellectus, illis positis, per se sufficiens est ad assensum conclusionis, ergò, &c.

LXXI. Confirmatur, ideò quia conclusio expressè & in actu signato non judicat se causari à præmissis formalibus, nulla debet præcedere apprehensio expressè & in actu signato, de eo quòd præmissæ sunt causa conclusionis; atqui conclusio non judicat expressè & in actu signato consequentiam formalem prout opponitur materiali, ergò, &c.

Resolutio IV.

LXXII. Dico 4°. multò minus requiritur judicium de bonitate consequentiæ, antequam eliciatur actus conclusionis.

LXXIII. Probatur quia per simplicem apprehensionem bonitatis consequentiæ, sufficienter movetur intellectus, ut propter præmissas eliciat actum conclusionis, ergò, &c.

LXXIV. Confirmatur, si tale judicium ulterius requireretur, esset maximè, ut intellectus certus fieret de bonitate consequentiæ; sed ad id est superfluum, ergò, &c. Probatur minor, quia per judicium consequentis formaliter sumpti, redditur sufficienter certus de bonitate consequentiæ; nam hoc ipsò, quod de illo fert judicium, judicat illud rectè sequi ex præmissis, & consequenter certus est, in actu exercito de bonitate cōsequentiæ, ergò, &c.

LXXV. Objicies 1°. contrà hanc Resolutionem; inter disputandum solemus negare consequentiam, ergò judicamus de illa.

LXXVI. Respondeo inter disputandum hoc fieri, quia timemus decipi, & consideramus, præsertim dum consequentia non est clara, utrum benè sequatur; cum verò soli argumentamur, sufficienter ferimur in conclusionem per solam apprehensionem bonitatis consequentiæ.

LXXVII. Objicies 2°. contrà 2^am^ Resolutionem, si detur sufficiens apprehensio bonitatis consequentiæ antè assensum conclusionis, intellectus necessariò fert judicium de illa; ergò vel non datur apprehensio bonitatis consequentiæ, vel contrà Resolutionem 4^am^ requiritur judicium de bonitate consequentiæ, antequā eliciatur actus conclusionis.

LXXVIII. Respondeo distinguendo antecedens, necessariò intellectus fert judicium de illa, per eumdem actum, quò judicat conclusionem, concedo antecedens; per alium distinctum, nego antecedens: nam ille esset planè superfluus, imò non videtur naturaliter possibilis; quia, cum simul proponantur consequens, ratio assentiendi & bonitas consequentiæ; rapitur intellectus, antequam formet judicium in actu signato de bonitate consequentiæ, in assensum conclusionis, & simul etiam in actu exercito in ipsam bonitatem consequentiæ.

LXXIX. Objicies 3°. apprehensio antecedentis, non est sufficiens, ut intellectus determinetur ad judicandum illativè, sive ut determinetur ad judicium consequentis formaliter sumpti; ergò neque apprehensio bonitatis consequentiæ sufficiet ad judicandum de bonitate consequentiæ. Probatur consequentia à pari.

LXXX. Respondeo esse disparitatem in eo, quòd consequenti credamus, id est judicemus, propter præmissas juxtà Aristotelem citatum Dub. 1°. eò scilicet, quòd contineant rationem formalem assentiendi conclusioni, puta identitatem prædicati & subjecti conclusionis cum 3°. *propter quod autem unum tale, & illud magis*; non credimus verò, sivè non assentimur consequenti propter consequentiam, saltem principaliter; nam sæpè est legitima consequentia, ubi consequens est falsum.

LXXXI. Dixi *saltem principaliter*; quia veritas consequentis non continetur virtualiter in consequentia, sed benè in præmissis, ut patet ex dictis.

LXXXII. Objicies 4°. ipsæ præmissæ formales sunt loco apprehensionis, & sufficienter determinant intellectum ad assensum conclusionis; ergò superflua est apprehensio bonitatis consequentiæ.

LXXXIII. Respondeo negando antecedens; nam præmissæ formales solùm proponunt rationē magis principalem assentiendi, scilicet, identitatem extremorum cum medio; non autem minus principalem, scilicet, identitatem extremorum inter se; undè requiritur aliqua apprehensio, quæ illam proponat.

LXXXIV. Objicies 5°. ex P. Mendoza, si requireretur cognitio reflexa bonitatis consequentiæ, procederetur in infinitum; ergò, &c. patet sequela ant. quia ad cognoscendam bonitatem consequentiæ alicujus Syllogismi facti, v.g. in *Darii*: necesse est cognoscere Syllogismum esse in *Darii*: Deindè omnem Syllogismum in *Darii* rectè concludere, & hoc per aliquem Syllogismum, v.g. hunc *omnis Syllogismus in Darii rectè concludit: talis Syllogismus est in Darii; ergò rectè concludit*; unde de bonitate hujus Syllogismi oportebit adhuc judicare per alium Syllogismum, de quo adhuc redibit quæstio, & sic in infinitum.

LXXXV. Respondeo, illud totum supponere falsum, nimirum requiri inter judicium antecedentis & judicium consequentis, aliud judicium de bonitate consequentiæ, quod nos non admittimus, sed solam apprehensionem, & sic ruit totum argumentum; cum apprehensio non acquiratur per discursum & Syllogismum, sed, positis duabus præmissis, excitetur, sicuti excitatur apprehensio conclusionis, positis præmissis.

DVBIVM VI.

An Iudicium consequentis formaliter sumpti attingat objecta præmissarum.

LXXXVI. SEnsus dubii est, an v.g. actus, quo dico, *ergò Petrus est animal*, dicat, *quia omnis homo est animal, & Petrus est homo, ideo Petrus est animal*; ita scilicet, ut per actum conclusionis, vel etiam cognoscatur totum objectum præmissarum, vel solum objectum conclusionis. Sed antè Resolutionem

LXXXVII. Suppono ex præmissis Tract. 1°. objectum præmissarum & conclusionis, prout subsunt affirmationi, semper esse idem, licet prout subsunt apprehensioni prædicati solius, nõ semper sint idem, ut si v.g. præmissæ sint universales, & conclusio particularis, ut fit in *Darapti*. Neque est, quòd P. Comptonus Logic. Disp. 47. Sect. 4ª. dicat *in Syllogismis non expositoriis, tantum esse verum, objectum conclusionis & præmissarum semper esse idem hoc sensu communiter quod objectum conclusionis contineatur in objecto præmissarum; ac proinde, quòd objecta illa se habeant tamquam includens & inclusum.* Rectè enim respondetur; quòd sicut objecta præmissarum aliter sunt eadem inter se, quàm, quia se habent ad invicem, ut includens & inclusum; ita & objectum conclusionis aliter est idem cum objectis præmissarum, quàm, quia se habet ad illa tamquam includens & inclusa; imò, ut sic, non esset idem cum illis, ut patet, alioqui vera esse deberet hæc Propositio, *magis includens actu, est minus includens actu*, quæ est evidenter falsa: undè non satis apparet cur Pater Comptonus reprehendat, *quod* (inquit) *à quibusdam Recentioribus passim & sine exceptione ponitur, scilicet, objectum præmissarum & conclusionis esse semper idem.* His præmissis, sit

RESOLUTIO.

LXXXVIII. DIco cõtrà RR. PP. Vasques 1ª. 2. Disp. 33. controv. 3ª. & 4ª. Suarez 3. p. Disp. 54. Sect. 5. Hurtado de anima Sect. 7ª. Comptonum, Poncium, &c. judicium consequentis formaliter sumpti attingit objecta præmissarum. ita Ruvius, Fonseca, Vallius, Arriaga, Oviedo, Soncinas, &c. sed maximè D. Thomas de verit. q. 22. art. 4°. ad 3. & 12. q. 8. art. 3°. in corp. Okam q. 3. prolog. Gabriel, Durandus, &c.

LXXXIX. Probatur, quia cum intellectus sit agens necessariò, necessariò attingit totum quod illi simul proponitur; sed illi simul cum objecto conclusionis proponitur objectum præmissarum, ergò, &c. Probatur minor, quia objectum conclusionis non proponitur simpliciter, & ut objectum conclusionis materialis, sed cum ratione principali assentiendi contenta in præmissis v.g. *Petrus est animal*, quia *omnis homo est animal* & *Petrus est homo*, & ut objectum conclusionis formalis, ergò, &c. undè miror P. Comptonum, loco statim citando, dicere manifestà experientiâ contrarium constare; neque id fieri nisi labore: quasi verò illa omnia objecta non simul & semel repræsentarentur, & uno indivisibili actu simul & semel non attingerentur.

XC. Confirmatur 1°. intellectus assentitur conclusioni objectivæ, non propter se, sed propter præmissas objectivas, neque ut conclusioni materiali, sed ut conclusioni formali; ergò objecta præmissarum, etiam formaliter, attingit; non quidem tamquam objectum extrinsecum, & ut ab aliis actibus repræsentatum, ut vult P. Comptonus Log. Disp. 27. Sect. 5. sed tamquam objectum intrinsecum; alioqui non attingerentur à conclusione ut conclusione formali, sed ut materiali, ut consideranti patebit, &c.

XCI. Confirmatur 2°. licet potio habeat in se sufficiẽtem bonitatem ut per se terminet appetitum per modum finis; non attingitur tamen propter sanitatem sive per modum medii ad illam, quin attingatur intrinsecè sanitas; ergò similiter, licet conclusio objectiva habeat sufficientem veritatem ut per se terminet actum conclusionis, non attingitur tamen propter objecta præmissarum, quin attingantur intrinsecè objecta præmissarum.

XCII. Confirmatur 3°. judicium consequentis formaliter sumpti dicit *ergo*, sed ly *ergò*, cum sit particula causalis, denotat aliquid præcedens attingi, ergò, &c.

XCIII. Confirmatur 4°. ly *ergò* est connexio objecti conclusionis cum objecto præmissarum; sed connexio, sive unio, attingi non potest sinè suis extremis; ergò nec judicium consequentiæ de illa connexione judicare potest, nisi judicet de extremis. Hinc

XCIV. Collige, per eumdem omninò actum, quo attingimus objectum conclusionis, attingi de novo objectum præmissarum, hujusque actus speciem in intellectu remanentem, esse, si adæquatè excitetur, repræsentativam objecti conclusionis & præmissarum; licet quandoque contingat per eam solum cognosci objectum materiale conclusionis; tunc scilicet, cum tantùm excitatur inadæquatè per apprehensionem præviam solius conclusionis materialis; uti etiam accidit in Angelis, in quibus, ut asserunt communiter Theologi, dantur species plurium repræsentativæ, quibus inadæquatè uti possunt.

Solutio Objectionum.

XCV. OBjicies 1°. positis assensibus præmissarum excitatur apprehensio de identitate extremorum inter se; ergò poterit illi assentiri intellectus, etsi non assentiatur motivo contento in objecto præmissarum, sive in præmissis objectivis.

XCVI. Respondeo distinguendo antecedens, positis assensibus præmissarum excitatur apprehensio de identitate extremorum inter se tantùm, nego antecedens; excitatur simul cum apprehensione identitatis extremorum cum medio, concedo antecedens; sed nego consequentiam, quia, ut dictum est, intellectus necessariò attingit totum, quod sibi simul proponitur; nam agentia necessaria, quale est intellectus, agunt quantum possunt.

XCVII. Instabis quid si hæc 2ª. apprehensio non excitetur, Deo id impediente?

XCVIII. Respondeo judicium ad eam consequens, non fore consequentis formaliter sumpti, sed judicium simplex, & tantùm 2ªm mentis operationem, præmissis habentibus se merè per accidens; quia ab illis, ut proponentibus rationem formalem assentiendi, non dependeret.

XCIX. Vrgebis, si judicium consequentis formaliter sumpti, attingat objecta præmissarum, ergò

præmissæ

præmissæ formales sunt superfluæ.

C. Respondeo negando consequentiam; quia, antequam intellectus assentiatur objecto conclusionis, debet ipsi proponi ratio illi assentiendi, quòd fit per præmissas formales: deindè præmissæ formales non tantùm requiruntur ad proponendam rationem formalem assentiendi objecto conclusionis; sed etiam, ut intellectus sit certus de veritate objecti illarum, à qua pendet veritas consequentis, ut constat ex dictis dubio 1°.

CI. Objicies 2°. ex conclusione sequuntur multa absurda, ergò, &c. Probatur antecedens, nam sequitur 1°. judicium consequentis in *Cæsare*, ut *nullus lapis est animal; omnis homo est animal, ergò nullus homo est lapis.* esse negativum & affirmativum, quia tale est illius objectum. 2°. quod si una præmissa sit falsa, conclusionem etiam futuram falsam, contrà Aristotelem dicentem *ex falso verum sequi*; & præterea etiam contrà fidem, quià indè sequitur, ut notat P. Comptonus loco citato, hanc propositionem *Christus est homo*, esse falsam, si ex his præmissis, *omnis substantia est homo, sed Christus est substantia*, inferatur, *ergò Christus est homo*; hæreticum enim est dicere Christum esse hominem, quia substantia est.

CII. Respondeo negando antecedens; ad 1^um^ autem absurdum. Respondeo distinguendo; judicium consequentis in *Cæsare* est affirmativum & negativum quatenus virtualiter multiplex, sive quatenus constans diversis propositionibus, quarum una sit affirmativa, altera negativa, concedo: quatenus omninò simplex, sive quatenus una propositione objectiva constans, quomodo etiam suprà negatum est dari propositiones mixtæ qualitatis, nego; hoc verò posterius tantùm esset absurdum, non prius; quia communiter admittitur eumdem actum fidei simul esse affirmativum & negativum, ut dum credo Patrem in divinis non esse incarnatum, quia Deus revelavit; hæc enim ratio assentiendi semper etiam est affirmativa; imò in naturalibus id contingit, ut dum credo Papam non esse in Belgio, quia id Paulus dicit.

CIII. Ad 2^um^ Respondeo Aristotelem, vel intelligendum de Syllogismo vocali; quia in mente numquam verum asseritur propter falsum: vel dicendum eum loqui de conclusione vera materialiter, ac proindè de judicio consequentis formaliter sumpti inadæquatè spectato, quod non est absurdum: spectatur autem judicium consequentis, &c. inadæquatè, quandò spectatur tantùm secundùm unam propositionem, quam attingit: ad P. Comptonum autem, Respondeo, hanc propositionem *Christus est homo* solùm esse veram, & de fide materialiter, non verò formaliter ut conclusio est, per formam Syllogisticam deducta ex talibus præmissis, ut patet.

CIV. Objicies 3°. si per actum conclusionis attingeretur objectum præmissarum, sequeretur præmissas repeti à nobis, dum elicimus actum conclusionis; sed hoc est contrà experientiam, ergò, &c.

CV. Respondeo distinguendo sequelam: sequeretur præmissas repeti per eumdem actum, quo elicimus conclusionem, concedo sequelam; per actum distinctum, nego sequelam: prius autem non est contrà experientiam; & licet fortè videretur contra experientiam, non ita foret curandum; quia est difficultas magna nimis, in dignoscendis actibus nostris.

CVI. Objicies 4°. si actus conclusionis attingat objectum præmissarum, sequitur objectum consequentis numquam posse cognosci sinè objecto præmissarum: sed hoc est contrà experientiam, ergò, &c. licet enim cognoverim Deum per creaturas, quidni potero posteà cogitare de Deo sinè creaturis? Probatur major, actus conclusionis reliquit post se aliquam sui speciem; at hæc species, cum sit repræsentativa omnium, quæ repræsentabat actus conclusionis, necessariò concurret ad repræsentandum totum, quod actus à quo derivata est, repræsentabat, cum sit agens necessarium, ergò, &c.

CVII. Respondeo negando sequelam majoris, quia una species relicta potest concurrere ad repræsentandam unam partem objecti, & non aliam; Ratio est, quia, ut species moveat, requiritur aliquod phantasma, vel quædam alia conditio, quâ excitetur; undè si illa conditio nata sit excitare cognitionem unius tantùm partis objecti, cognoscam tantùm illam partem; uno v.g. actu cognovi Petrum & Paulum esse mortuos; longo post tempore agit aliquis mecum de gestis belli, is Petri, nullâ factâ mentione Pauli; tunc excitatur species ut cogitem tantùm de Petro, & non de Paulo.

CVIII. Objicies 5°. ex R. P. Comptono etiam loco suprà citato, juxtà Aristotelem & Dialecticos omnes, medium ingredi non debet conclusionem, ergò Syllogismus in quo conclusio attingit objectum præmissarum est contrà artem Syllogisticam.

CIX. Respondeo, dictum illud, sic intelligi debere, ut medium non ingrediatur proprium objectum conclusionis, sive conclusionem materialiter sumptam, quod non impedit, quo minùs ingrediatur conclusionem ut conclusionem, sive conclusionem formaliter sumptam, & hujus objectum, prout conflatur ex objecto conclusionis materialis, & præmissarum: & certè equidem, quandoquidem objectum conclusionis non proponatur intellectui, ut objectum materialis conclusionis, sed ut objectum formalis conclusionis, ac proindè cum ratione formali assentiendi contentâ in præmissis objectivis, sive potiùs indistinctâ ab illis; intellectus nõ assentitur objecto conclusionis propter se, quod alioqui fieret, sed quia idem cum objecto præmissarum, juxtà illud principium, *quæcumque sunt eadem uni* 3°. &c. quod satis significat particula *ergò, igitur*, &c. præmissa conclusioni: undè positis assensibus præmissarum, excitatur intellectus ad judicium objecti conclusionis simul & objecti præmissarum tamquam motivi, sive rationis assentiendi; quæ, quia debet prius proponi per præmissas formales, hæ non sunt superfluæ, licet actus conclusionis attingat objecta præmissarum; propter quod potest esse virtualiter affirmativus & negativus in *Cæsare*, quod idem admittitur in actu fidei, ut dum credo Patrem non esse incarnatum, quia Deus revelavit, ut suprà num. CII. dictum est.

Corrolaria.

CX. Colliges 1°. præmissas & conclusionem diversimodè manifestare rationem assentiendi; nam actus præmissarum, seu præmissæ formales ostendunt rationem assentiendi seorsim ab objecto conclusionis; actus autem conclusionis, sive conclusio formalis, conjunctim; fit autem ob imperfectionem intellectus nostri, quod requiran-

tur præmissæ; etenim intellectus noster procedit à minoribus ad majora, à notioribus ad minus nota; objectum verò præmissarum est notius, quàm objectum conclusionis; deindè, sicut intellectus, ut eliciat 2am operationem, incipit à prima; ita, ut eliciat 3am, incipit à 2a.

CXI. Colliges 2°. ex dictis actum conclusionis esse formaliter & essentialiter actum deductum ex alio, id est, assensum alicui objecto ob assensum alteri objecto præstitum; adecque eumdem speciæ actum non posse esse modò conclusionem, modò actum præmissarum: & hoc contrà nonnullos opinantes actum conclusionis, talem dici, per denominationem extrinsecam, quòd nimirum hic & nunc oriatur ex præmissis.

DISPVTATIO SECVNDA.

De Præmissis sumptis in ordine ad conclusionem.

DVBIVM I.

Quomodo concurrant ad actum conclusionis.

CXII. ANtè Resolutionem Nota dubium procedere de præmissis, tam objectivis, quàm formalibus; hinc quidam dicunt concurrere objectivè, quidam effectivè efficienter; alii efficienter moraliter tantùm: rem totam distinctis conclusionibus elucidabimus. Sed prius

CXIII. Suppono 1°. concurrere objectivè esse concurrere per modum objecti, sive esse idem, quod esse objectum actus; sic paries ad visionem, chimæra ad intellectionem objectivè concurrit; undè, ut quidpiam objectivè concurrat, parùm refert, an existat, vel non existat.

CXIV. Suppono 2°. concurrere effectivè esse concurrere per veram efficientiam seu actionem, quâ mediante effectus ponitur in esse reali Physico, dicitque essentialem habitudinem actualis dependentiæ à tali causa; sic ignis ad calorem, vel ad alium ignem concurrit.

CXV. Suppono 3°. id concurrere moraliter, quod ita ad effectum concurrit, ut etsi ad eum effectivè immediatè non concurrat, ei tamen communi sensu, & prudenti hominum judicio imputatur effectus; quia nimirum suadet, invitat, impellit, ac determinat alterum ad effectivè Physicè ponendum effectum. His præmissis sit

RESOLVTIO I.

CXVI. DIco 1°. præmissæ objectivæ ad actum conclusionis concurrunt objectivè, sive per modum objecti, & non effectivè Physicè.

CXVII. Probatur 1a pars, quia concurrunt ut ratio formalis assentiendi conclusioni; ergò concurrunt objectivè. Probatur consequentia, quia actus conclusionis attingit rationem formalem objectivam assentiendi, tamquam objectum formale; ergò, &c.

CXVIII. Probatur 2a pars, quia sæpè præmissæ desierunt antequam producatur conclusio, ut docebimus infrà; sed causa efficiens debet existere eo instanti, quo primùm producitur effectus, ergò, &c. Consequentia omninò videtur legitima: probatur minor, in qua sola difficultas; quia alioqui causa, quæ numquam fuisset, posset causare Physicè, ex quo plurima sequuntur absurda, de quibus ex professo in Physicâ.

RESOLVTIO II.

CXIX. DIco 2°. Præmissæ formales, id est, actus Præmissarum, non concurrunt objectivè ad actum conclusionis.

CXX. Probatur, quia actus conclusionis solùm attingit objecta Præmissarum, ut patet ex Dub. 3°. Disp. 1a. non verò actus formales earum, ergò, &c.

CXXI. Adde dici posse concurrere objectivè, hoc sensu, quòd sint applicatio objecti formalis actus conclusionis; sic enim applicatio causæ efficientis, ut v. g. approximatio illius ad passum, reducitur ad causam effectivam, sive efficientem.

RESOLVTIO III.

CXXII. DIco 3°. neque Præmissæ objectivæ, neque formales concurrunt effectivè Physicè ad actum conclusionis: est contrà Ruvium & Vasquez 1. p. Disp. 4. num. 24.

CXXIII. Probatur 1a pars, 1°, quia Præmissæ objectivæ sunt planè improportionatæ ad actus intellectus immateriales producendos; sed ad producendos effectus requiritur aliqua proportio, prout docetur in Physica, ergò, &c.

CXXIV. Probatur 2°, ex 2a probatione 1æ. Resolutionis.

CXXV. Probatur 2a pars, intellectus determinatus moraliter per actus formalium Præmissarum, est causa Physica sufficiens ad conclusionem eliciendam, ergò, &c.

CXXVI. Confirmatur 1°, officium actus, non est effectivè Physicè ad alium actum concurrere, sed solùm objectum suum potentiæ vitali repræsentare, ut vel ex illius definitione patet, neque plus probat experientia, ergò, &c.

CXXVII. Confirmatur 2o, actus intellectus non concurrunt effectivè Physicè ad actus voluntatis, ergò neque ad alios actus intellectus. Probatur consequentia, quia non aliter actus conclusionis pendet ab actibus Præmissarum, quàm actus voluntatis ab actu intellectus, scilicet tamquam à proponente objectum, ergò, &c.

CXXVIII. Objicies, Præmissæ substituuntur loco speciei impressæ repræsentativæ conclusionis; sed illa species, dum est, complet potentiam in ratione potentis producere actum conclusionis effectivè Physicè, ergò & præmissæ, quæ sunt loco speciei.

CXXIX. Respondeti potest negando majorem; quia antequam producatur conclusio, si sit omninò

nò prima istius rationis, producitur species (dato quòd species ab ipsa potentia realiter distinguantur, de quo in libris de anima) conclusionis à speciebus Præmissarum; hæ enim non minùs virtualiter continent speciem actus conclusionis, quàm contineant actum nobiliorem, cujus sunt species; illa verò, dum est producta, complet potentiam intellectivam in genere potentis Physicè producere actum conclusionis.

CXXX. Dixi, *si sit omninò* 1ª. quia si in eodem intellectu esset 2ª. sic ut aliam conclusionem istius rationis, ante elicitam supponeret, in eodem intellectu esset species 1æ conclusionis, quâ sufficienter compleretur intellectus in ordine ad producendam 2am conclusionem, sicuti sufficienter per illam compleretur in ordine ad producendam conclusionem similem illi à qua producta esset: verumtamen hæc multiplicatio specierum semper mihi displicuit: tum quia non satis apparet, cur potius species Præmissarum producere possint speciem conclusionis, quàm actus Præmissarum actum conclusionis; vel etiam, cur potius species Præmissarum producere possint speciem conclusionis, quàm actum conclusionis; fatentur enim omnes species ordinari ad actus, non verò ad species, præsertim diversæ rationis: vel denique, cur actus Præmissarum sint productivi specierum speciei conclusionis productivarum, & non ipsius conclusionis, quidquid enim producit causa instrumentalis propria, videtur ab ipsa principali produci posse, ut patet in igne & calore: tum quia commodius dicitur intellectus per se, positis actibus Præmissarum, excitari ad producendum actum conclusionis, quàm species illorum impressas producere speciem impressam actus conclusionis productivam; aliud enim non convincit experientia, sicq; specierum impressarum superflua multiplicatio vitatur. Quare aliter

CXXXI. Respondeo distinguendo majorem, Præmissæ substituuntur loco speciei impressæ confortantis potentiam in genere causæ efficientis, nego majorem; intellectus enim per se sine simili confortatione, haud minùs ad actus, quàm species ad species illas, sufficiens est; loco speciei expressæ excitantis per modum conditionis sine *qua non*, intellectum, ad actum conclusionis, concedo majorem; sed inde nil contra nos, quia conditio sine *qua non* non concurrit per modum causæ efficientis, ut vel in ipsa approximatione ignis ad passum patet: sic enim res tota agitur, convincunt experientiæ; visum quidem per species impressas ad visionem excitari; phantasiam autem, per actus sensuum externorum; intellectum ad apprehensionem per phantasma; ad judicium per apprehensionem; & denique ad conclusionem formalem, per actus præmissarum: ne alioqui in allata absurda incidatur.

Resolutio IV.

CXXXII. Dico 4º, Præmissæ formales concurrunt effectivè moraliter ad actum conclusionis producendum. Omninò videtur D. Thomæ in 1um Post. lect. 3. in 2º. Phys. lect. 5ª. & in 5. Metaph. lect. 3ª. an autem Thomistæ hanc efficientiam adstruant, confusè nimis loquuntur, ut discernamus.

CXXXIII. Probatur, quia invitant, suadent, impellunt, ac determinant intellectum, imò necessitant, ut Dub. sequenti patebit, ad actum conclusionis, ergò, &c. consequentia patet ex notabili 3º. antecedens verò omninò videtur D. Thomæ in 2. Phys. lect. 5ª. ubi postquam præmisit *consilians est causa per hunc modum, & omne faciens*; statim subdit, *quantùm autem ad vim illativam propositionum reducuntur ad hoc genus causæ*, ergò, &c.

CXXXIV. Adde Præmissas formales concurrere effectivè moraliter, non quòd sint causæ effectivæ Physicæ; sed quia Aristoteles lib. 2º. Physic. cap. 3º. inter exempla causæ Physicæ efficientis recenset eum, qui consulit; ille autem est tantùm causa moralis; undè meritò causa moralis dicitur efficiès.

CXXXV. Objicies 1º. requiritur existentia Præmissarum formalium ad hoc, ut possit elici conclusio, ergò concurrunt effectivè.

CXXXVI. Respondeo negando consequentiam; ex alio enim capite requiritur earum existentia; nimirum, quia sunt applicatio objecti formalis. Sed

CXXXVII. Restat dubium, an formalis existentia Præmissarum requiratur ad hoc ut conclusio de novo eliciatur, an autem sufficiat virtualis v. g. recordatio ipsarum.

CXXXVIII. Respondeo sufficere recordationem, quia experimur sæpè nos formare conclusionem, ob antè formata Præmissarum judicia.

CXXXIX. Nec obstat, quòd actus antecedentes conclusionem debeant esse judicativi, recordatio verò possit solùm esse apprehensio, quâ cognosco me verè Præmissis aliquando assensum fuisse; sufficit enim fuisse judicativos in se, & perseverare in sui recordatione.

CXL. Objicies 2º, Præmissæ formales continent virtute conclusionem, ergò possunt illam efficere.

CXLI. Respondeo distinguendo antecedens: Præmissæ formales continent Physicè & virtute effectivâ conclusionem, nego antecedens; virtute Logicâ & objectivâ, concedo antecedens. Porro, ideo Præmissæ dicuntur virtute Logicâ & objectivâ continere conclusionem; quia veritas Præmissarum est veritas conclusionis; siquidem termini conclusionis hoc ipso inter se virtualiter conjunguntur, quô in antecedente cum uno 3º, scilicet cum medio, connectuntur.

Resolutio V.

CXLII. Dico 5º. Præmissæ formales, non solùm concurrunt ut applicatio objecti; sed etiam aliquomodo formaliter intrinsecè per modum dispositionis ultimæ, illuminando intellectũ.

CXLIII. Probatur: quia, sicut lux in visu, suo modo, ad visionem formaliter illuminando concurrit; ita Præmissæ in intellectu, suo modo, ad conclusionem formaliter illuminando concurrit; nam actus intellectus, uti sunt Præmissæ formales, quædam lux & illuminatio est.

CXLIV. Dices, ex ista Resolutione sequitur intellectum numquam posse elicere actum conclusionis sinè Præmissis formalibus simul coëxistentibus. Probatur sequela, quia sicut lux, quæ præcessit, modò non potest illuminare; nec calor, qui præcessit, jam calefacere; ita nec similiter præmissæ poterunt illuminare intellectum in ordine ad conclusionem eliciendam, nisi coëxistant.

CXLVI. Respondeo negando sequelam, ad probationem ejus Respondeo istam recordationem, quam suprà insinuavimus, sufficienter illuminare intellectum ad eliciendum actum conclusionis, ut-

potè, quæ quasi manu- ducat ipsum intellectum ne erret circà conclusionem, ipsi persuadendo, licèt confusè, Præmissas aliàs elicitas fuisse legitimas.

DVBIVM II.

Quomodo Præmissæ formales necessitent intellectum ad conclusionem.

CXLVII. ANtè Resolutionem Suppono 1°. potentiam esse duplicem, unam naturalem sivè necessariam, alteram indeterminatam sive liberam: libera est, *quæ ex proprio operandi modo, est indeterminata ad unum; sive, quæ agit per modum voluntatis*; vel clariùs, *quæ positis omnibus ad eligendum requisitis potest eligere vel non eligere*: Potentia verò necessaria *est illa, quæ ex proprio suo operandi modo, est determinata ad unum*: sive, *quæ agit per modum naturæ*, vel clariùs, *quæ positis omnibus ad agendum requisitis semper necessariò agit*.

CXLVIII. Potentia necessaria dividitur in nullo modo pendentem ab applicatione voluntatis, qualis est potentia visiva, vegetativa, &c. & in dependentem ab ejus determinatione seu applicatione, ut est potentia loco-motiva, illativa, &c.

CXLIX. Potentia dependens ab applicatione voluntatis subdividitur in obedientem voluntati despoticè & ad nutum, sive serviliter, talis potentia est loco-motiva; & in obedientem voluntati politicè & civiliter, id est, ad modum civium, qui quandoque contrà suum principem reclamant ac rebellant, talis potentia est intellectiva, sensitiva, phantastica, &c.

CL. Suppono 2°. duplicem esse necessitatem: una est quoad specificationem, & huic opponitur libertas contrarietatis; hæc autem necessitas reperitur ubi potentia est determinata ad unum unius speciei actum, si operetur: altera quoad exercitium, & huic opponitur libertas contradictionis; hæc verò necessitas reperitur ubi potentia ita ponit actum, ut non possit actum non ponere, sive cessare ab operando.

CLI. Suppono 3°. intellectum esse agens necessarium de se, concipi tamen posse duplici modo, impediri ejus actionem à voluntate; 1°, directè; 2°, indirectè; directè impediretur, si non obstante quacumque evidenti propositione objecti posset voluntas solo suo arbitrio impedire & frenare intellectum, ne in actum prodiret: indirectè verò impediretur, si voluntas intellectum aliò avocaret, & tot objectis aliis distraheret, ut nullæ vires superessent intellectui ad eliciendum actum, in quem alioqui antèà erupisset. His notatis sit

Resolutio I.

CLII. DIco 1°. intellectus, positis assensibus Præmissarum evidentium & apprehensione de bonitate consequentiæ; necessitatur ad assensum conclusionis, saltem quoad specificationem, id est, non potest ponere assensum contrarium illis assensibus Præmissarum. Ita ferè omnes.

CLIII. Probatur 1°, non potest intellectus dissentiri evidenter vero, & assentiri evidenter falso; sed si intellectus, positis assensibus Præmissarum evidentium & apprehensione de bonitate consequentiæ, non necessitaretur ad assensum conclusionis quoad specificationem, hoc contingeret, ergò, &c. Probatur major, quia alioqui per dissensum ferretur extrà latitudinem objecti dissensus, quod est falsitas realis vel apparens; & per assensum extrà latitudinem objecti assensus, quod est veritas realis vel apparens: sed hoc implicat, ergò, &c. Probatur minor, quia per assensus Præmissarum proponuntur intellectui extrema conclusionis ut evidenter eadem cum 3°; sed quæ sunt evidenter *eadem uni tertio sunt eadem inter se*; ergò dissentiens conclusioni dissentiretur evidenter vero. Idem similiter contingeret, si positis dissensibus Præmissarum assentiretur conclusioni.

CLIV. Probatur 2°. conclusio est eadem cum Præmissis; sed intellectus non potest evidenter cognito vero vel falso assentiri & dissentiri simul, quod hîc alioqui fieret, ergò, &c. Probatur minor pro 2ª parte, quia intellectus, positis assensibus Præmissarum, cognoscit evidenter conclusionem esse veram, juxtà principium allatum, *quæcumque sunt eadem*, &c. & è contrà, positis dissensibus Præmissarum, cognoscit evidenter conclusionem esse falsam, juxtà oppositum principium, *quæcumque non sunt eadem*, &c. unde fit, quòd Aristoteles Syllogismum definiat, *Orationem in quâ, quibusdam positis, aliud necessariò sequitur, eò quòd hæc sunt*, ergò, &c.

CLV. Confirmatur, sicut malitia est objectum odii, bonitas objectum amoris; ita falsitas est objectum dissensus, veritas objectum assensus; ergò sicut voluntas, posito evidenter bono, & posito evidenter malo, determinatur quoad specificationem actus, sic, ut si velit ferri in bonum, illud necessariò amet; si verò velit ferri in malum, necessariò illud odio habeat; ita à fortiori, intellectus, cum sit agens necessarium, determinatur quoad specificationem ad assensum vel dissensum, proposito evidenter vero vel falso: atqui, ut ostendimus, positis assensibus præmissarum, proponitur conclusio evidenter vera, & è contrà positis discensibus Præmissarum, proponitur conclusio evidenter falsa, ergò, &c.

Resolutio II.

CLVI. DIco 2°. positis assensibus, etiam probabilibus tantùm, & apprehensione de bonitate consequentiæ, necessitatur similiter intellectus quoad speciem, sive quoad specificationem ad actum conclusionis, quatenus ex illis Præmissis infertur. Hîc tamen antè probationem.

CLVII. Adverte, per assensus Præmissarum nos intelligere actus, quibus intellectus judicat Præmissas esse veras, non autem actus, quibus judicat illas esse probabiles; alioqui posset illis positis dissentiri, quia cum probabili falsum subesse possit, ita etiam illi dissentiri potest. Hoc autem notato

CLVIII. Probatur conclusio, quià, uti ex Resolutione 1ª sequitur, aliàs assentiretur eidem objecto cognito evidenter vero & dissentiretur eidem objecto cognito evidenter falso, quod ibidem implicare probavimus, ergò, &c.

CLIX. Probant alii hoc modo, nequit intellectus simul assentiri & dissentiri eidem objecto; sed hoc fieret, ergò, &c. verùm huic probationi ego non multùm fiderem; quia nisi majori addatur, id quod in Resolutione addidimus, nempè *quatenus conclusio ex illis Præmissis infertur*, nihil obstare videtur, quò minùs assensus & dissensus de eodem objecto conclusionis probabili, simul sint, per diversas Præmissas & motiva diversa, in eodē intellectu.

CLX. Objicies 1°. potest intellectus Præmissis probabilibus, utpotè non evidenter veris, dis-

sen-

sentiri; ergò multò magis conclusioni, quæ in illis virtualiter tantùm continetur, poterit dissentiri, positis assensibus Præmissarum probabilium.

CLX. Respondeo negando consequentiam; est enim disparitas, quòd scilicet conclusio probabilis positis assensibus Præmissarum sit evidenter vera, evidentiâ consequentiæ, juxtà illud principium, *quæcumque sunt eadem uni* 3°. *sunt eadem inter se*, licèt non sit evidenter vera evidentiâ consequentis, in quo conclusio probabilis differt à necessaria; non potest autem intellectus dissentiri quomodocumque evidenter vero, licèt probabili possit: Præmissæ verò probabiles non sunt evidenter veræ, sed probabiles tantùm, ut patet.

CLXI. Objicies 2°. potest voluntas inclinare intellectum ad quemlibet actum contrarietatis probabilium actuum; ergò intellectus, positis assensibus Præmissarum, poterit dissentiri conclusioni, si nimirum à voluntate ad dissensum inclinetur.

CLXII. Respondeo concessò antecedente, negando consequentiam; quia conclusio, quatenus legitimè deducitur ex Præmissis, quibus sum assensus, non censetur amplius probabilis, licèt absolutè & secundùm se sit talis; sed censetur evidenter vera evidentiâ consequentiæ, propter principium sæpè datum, *quæcumque sunt eadem*, &c. intellectus autem, ut antè diximus, non potest dissentiri evidenter vero, sicut voluntas non potest odisse bonum quà bonum, & amare malum quà malum est.

CLXIII. Addo tamen intellectum, ut suprà insinuavi, posse etiam positis assensibus Præmissarum probabilium dissentiri conclusioni quatenus legitimè ex aliis Præmissis, quibus ero dissensus, deducitur; ac per consequens assensum & dissensum de eodem objecto conclusionis per diversa media & præmissas diversas posse simul manere in eodem intellectu; sic tamen, quòd objecto conclusionis, quatenus ex Præmissis, quibus sum assensus legitimè deducitur, nó possim dissentiri; item quòd objecto conclusionis, quatenus ex Præmissis, quibus sum dissensus, legitimè deducitur, non possim etiam assentiri; sed tantùm eidem objecto assentiri & dissentiri, quatenus ex diversis Præmissis deducitur; si enim his Præmissis, *quidquid Petrus dicit est verum*; *sed Petrus dicit Papam esse Romæ*, assentiar, non possum huic conclusioni dissentiri, *ergò Papa est Romæ*; possum autem, si his Præmissis, *quidquid Paulus dicit est falsum*, *sed Paulus dicit Papam esse Romæ*, dissentiar; imò si primis Præmissis, ut possum, dissentiar, possum & conclusioni, ut patet, licèt non possim, si illis assentiar, ob priùs probata.

Resolutio III.

CLXIV. Dico 3°. positis assensibus Præmissarum evidentium, & apprehensione de bonitate consequentiæ necessitatur intellectus quoad exercitium ad assensum conclusionis, ità scilicet, ut non possit cessare ab assensu, vel assensum suspendere; & idem est de dissensu, positis dissensibus Præmissarum evidenter falsarum. Omninò videtur Scoti in 1^um^ dist. 1ª. q. 4. & Scotistarum communiùs: item D. Thomæ 1. p. q. 82. art. 2. ac nostrorum Complutensium, hic Disp. 17. q. 4. & Ioan. à S. Thoma q. 24. de Præcognitis art. 3°. item etiam Conimb. lib. 1°. Post. cap. 1°. q. 4. art. 4°. contrà Ruvium, Aversam, Ocham, Murciam & Tellez.

CLXV. Probatur, potentia necessaria definitur, quæ positis omnibus ad agendum requisitis semper necessariò agit; atqui in casu conclusionis sunt omnia ad agendum requisita, & intellectus est potentia necessaria, nam sola voluntas est formaliter libera, ut satis constat, ergò, &c.

CLXVI. Respondent communiter Adversarii deesse unum è prærequisitis, scilicet permissionem & imperium voluntatis; volunt enim intellectum operari non posse, nisi accedat imperium voluntatis, aut saltem ejus permissio. Sed

CLXVII. Contrà est, quòd, sicut oculus positis omnibus ad videndum requisitis, objecto scilicet, lumine, &c. non expectat imperium aut permissionem voluntatis, sed rapitur ab objecto in actum; quia scilicet est potentia necessaria hîc & nunc ad agendum expedita; ita intellectus, ergò, &c.

CLXVIII. Vrgent esse disparitatem; eò quòd scilicet intellectus radicetur in anima, non item potentia visiva; ex quo fit ut intellectus sit immediatè subjectus voluntati, ac proindè, quòd voluntas possit eum impedire ne feratur in objectum, etiam evidens, non item visum. Sed

CLXIX. Contrà est 1°. quòd probabiliùs sit omnes potentias externas etiam recipi & radicari immediatè in anima, ita P. Arriaga, imò & eidem identificari, de quò in libris de Anima.

CLXX. Contrà est 2°. quòd radicatio illa sit impertinens ad probandam subjectionem potentiæ ad voluntatem; nam potentia loco-motiva magis subjecta est voluntati, eique magis obedit, quàm potentia intellectiva; eò quòd illa, cũ per se cognoscitiva non sit, uti est intellectiva, per se independẽter à voluntate moveri non possit; & tamen non radicatur, in eorum sẽtentia, immediatè in anima.

CLXXI. Addo nonnisi requiri voluntatis determinationem & imperium, ubi intellectus est ad assensum universalem vel particularem (quomodo ex iisdem Præmissis in *Barbara*, universalis; in *Baralipton*, particularis, quamdiu ad unam potiùs, quàm ad aliam apprehensio bonitatis consequentiæ non præmittitur, conclusio inferri potest) planè indifferens & indeterminatus; vel etiam, ubi objectum nimis obscurè proponitur, propter quod docent Theologi ad omnem assensum fidei in Præmissis quia obscuræ sunt, requiri piam affectionem, sive inclinationem voluntatis: vel denique, dum objectum apparet in utramque partem probabile, uti sunt Præmissæ Syllogismi probabilis; hoc enim sensu loqui omnino videtur Aristoteles, dum 1°. Politicorum cap. 3°. vult intellectum despoticè subesse imperio voluntatis.

CLXXII. Objicies 1°. intellectus non necessitatur ad assensum principiorum evidentium; atqui evidentia conclusionis, etiam positis assensibus Præmissarum, non est notior evidentiâ illorum principiorum, ergò, &c.

CLXXIII. Respondeo negando majorem, cum D. Thoma & aliis communiter; deindè negari potest consequentia, admissâ majore; quia est disparitas, qui enim assentitur principiis evidentibus, non assentitur eidem, cui immediatè antè assensus erat; quod fit, dum assentitur conclusioni; nam illi implicitè assensus est in Præmisis, in quibus ipsa virtualiter & implicitè continetur.

CLXXIV. Objicies 2°. voluntas ad nullum bonum necessitatur in hâc vitâ, ergò nec intellectus ad ullum verum.

CLXXV. Respondeo negando consequentiam; quia est disparitas duplex; 1ª, quòd voluntas sit formaliter libera; intellectus verò potentia formaliter necessaria; 2ª. quòd in hâc vitâ nullum detur bonum purum; sed quodlibet sit malo admixtum; datur autem purum verum, saltem apparenter, ut patet ex conclusione legitimè deducta ex Præmissis, quibus assensi sumus.

CLXXVI. Objicies 3º. in intellectu dantur habitus facilitantes ad assensum conclusionis; ergò assensus conclusionis, etiam positis assensibus Præmissarum, non est necessarius: probatur consequentia, quia alioqui tales habitus essent superflui.

CLXXVII. Respondeo, transeat antecedens, nego consequentiam; ad ejus probationem distinguo: tales habitus essent superflui ad determinandum intellectum, vel ad speciem, vel ad exercitium, concedo: ad modum operandi, nego; essent enim utiles ad hoc, ut intellectus aliis distractus, & frequêtiori operatione fatigatus, minori cum advertêtia, & debiliori concursu, actus cõclusionis eliceret.

CLXXVIII. Dixi, transeat antecedens, quia tales habitus à speciebus distinctos multi probabiliter negant; nos, uti species intellectuales ab intellectu realiter distinctas negamus, ita & habitus; sed dè his ex professo in libris de anima.

CLXXIX. Objicies 4º, ex iisdem Præmissis possunt sequi plures conclusiones, directa scilicet & indirecta, sed non est ratio; quarè intellectus ad unam potiùs dicatur determinari, quàm ad aliã, ergò, &c.

CLXXX. Respondeo negando minorem; nam per cognitionem bonitatis consequentiæ apprehensum est unam cõclusionem sequi vel duas: si unam, necessitabitur intellectus ad illam, quæ apprehenditur legitimè sequi; si duas, ad utramque necessitabitur; undè passim admittitur, non posse voluntatem directè impedire assensum conclusionis; quia quod Aristoteles 1º Polit. cap. 3º, dicit *intellectum despoticè subesse imperio voluntatis*, intelligi debet, ut suprà num. CLXXI. monuimus, quoad assensus probabiles & obscuros Præmissarum: quod verò aliqui dicunt posse indirectè, efficiendo nimirum, ut intellectus tot aliis rebus distrahatur, ut non remaneant vires ad assensum conclusionis eliciendum; non videtur ita certum; dicendum enim est intellectum tali casu cessaturum potius ab aliquo alio actu, & tum eliciturum conclusionem ob determinationem Præmissarum: tunc enim positis assensibus Præmissarum, parvæ, aut vix ullæ vires requiruntur ad assensum conclusionis.

Resolutio IV.

CLXXXI. Dico 4º. positis etiam assensibus Præmissarum probabilium & cognitâ bonitate consequentiæ, necessitatur etiam intellectus ad exercitium quoad assensum conclusionis, est contrà Conimbricenses & alios communius: tamen

CLXXXII. Probatur, intellectus necessitatur ad agendum positis omnibus ad agendum requisitis; sed positis assensibus Præmissarum etiam probabilium & cognitâ bonitate consequentiæ sunt posita omnia requisita ad assentiendum conclusioni ex illis deductæ, ergò, &c.

CLXXXIII. Confirmatur, intellectus necessitatur ad exercitè assentiendum evidenter vero ut tali proposito; atqui positis assensibus Præmissarum, etiam probabilium, conclusio est evidenter vera evidentiâ consequentiæ, & per illos ut talis proponitur, ergò, &c. major patet, quia nihil apparet, quod illum remoretur.

CLXXXIV. Dices 1º, ergò non differt conclusio probabilis à necessaria.

CLXXXV. Respondeo negando consequentiam; nam semper manet, quòd conclusio probabilis sit tantùm necessaria & evidens necessitate & evidentiâ consequentiæ; conclusio verò necessaria est talis necessitate & evidentiâ consequentis.

CLXXXVI. Dices 2º. fortiùs rapitur intellectus ab imperio & determinatione voluntatis, quàm ab objecto probabili apprehenso vel judicato; ergò poterit voluntas suspendere assensum intellectus, & illum cogere ut attendat rationes in contrarium; probatur antecedens, quia non obstante illâ apprehensione vel judicio manet intellectus incertus, & in periculo errandi, ergò, &c.

CLXXXVII. Respondeo distinguendo antecedens, fortiùs rapitur intellectus ab imperio voluntatis, quàm ab objecto probabili judicato probabili tantùm, concedo antecedens; nam dum intellectus judicat suum objectum tantùm esse probabile, necessaria est determinatio voluntatis ad hoc, ut illi assentiatur vel dissentiatur, quorum alterutrum potest: judicato vero vel falso, nego antecedens; nam alioqui potentia necessaria, positis omnibus ad agendum requisitis, non necessariò ageret.

CLXXXVIII. Instabis, non obstantibus assensibus Præmissarum, conclusio manet obscura & probabilis, ergò, &c.

CLXXXIX. Respondeo distinguendo antecedens, cõclusio manet materialiter & secundùm se spectata obscura & probabilis, concedo antecedens: formaliter, quatenus legitimè deducitur ex Præmissis, vel potius quatenùs virtualiter continetur in illis, quibus supponitur intellectus fuisse assensus, tamquam veris, nego antecedens; nam ut sic est evidens evidentiâ consequentiæ, & etiam certa certitudine ejusdẽ consequentiæ: undè patet conclusionem esse certo sensu clariorem & certiorem Præmissis, ex suppositione scilicet legitimæ consequentiæ.

CXC. Vrgebis, si Præmissis sit clarior & certior conclusio, ut quid, quandòque Respondalis, concessis Præmissis, hæret, & subdubitat, an velit conclusionem concedere, an negare?

CXCI. Respondeo id fieri, vel quia Præmissis est assensus cum formidine tantùm de opposito, undè adhuc timet eas esse falsas; vel quia consequentia non satis clarè proponitur.

CXCII. Dices 3º, S. Thomas 1ª. p. q. 82. dicit, esse quædam intelligibilia, quæ non habent necessariam connexionem ad prima principia, ut *propositiones contingentes*, & talibus intellectus non necessariò assentitur, ergò, &c.

CXCIII. Respondeo S. Thomam loqui de propositionibus contingentibus materialiter spectatis; vel de illis quatenus sunt Præmissæ in Syllogismo; non verò de propositionibus contingentibus, quatenus legitimè deducuntur ex præmissis concessis, quod hîc solùm asserimus: clarum autem est intellectum posse propositioni contingenti non illatæ assentiri vel dissentiri pro imperio voluntatis; non posse verò illatæ, jam concessis Præmissis; hâc Resolutione contendimus.

DVBIVM

DVBIVM III.

An in uno & eodem instanti formari possint assensus Præmissarum & conclusionis.

CLXXXXV. ANtè Resolutiouem Suppono 1°. certum esse assensus Præmissarum priùs naturâ formari, quàm assensum conclusionis; quia, ut dictum est, Præmissæ sunt illius causa efficiens moralis; imò quandoque contingit eas priùs tempore formari, si nimirum sint obscuræ, & consequentia inevidens, ac non satis clara.

CLXXXXVI. Suppono 2°. actus intellectus, utpotè indivisibiles, non successivè, sed instantaneè produci.

CLXXXXVII. Suppono 3°. dubium intelligi debere sepositis impedimentis; nam si intellectus tam multa alia cogitaret, fieri posset ut eliceret Præmissas, & fortè non posset elicere conclusionem; quia cum sit limitatæ virtutis, non potest quoscumque actus producere, sed determinatè hos numero nobis ignoto. His suppositis, sit

Resolutio I.

CLXXXXVIII. DIco 1°. assensus Præmissarum & conclusionis possunt in uno eodemque instanti produci.

CLXXXXIX. Probatur 1°. authoritate Aristotelis 1°. Posterior.

CC. Probatur 2°, neque id repugnat ex parte ipsorum assensuum; neque ex parte intellectus, ergò, &c. Probatur antecedens pro 1ª parte, quia assensus illi sunt indivisibiles, & toti simul producuntur: deindè eo instanti, quò intellectus producit assensus Præmissarum claros, habet omnia requisita ad producendam apprehensionem bonitatis consequentiæ, & ipsam conclusionem, ergò, &c. Probatur antecedens pro 2ª parte, quia potentiæ sensitivæ possunt simul & semel versari circà diversa objecta, ut patet in audiente concentum musicum, ergò multò magis intellectus.

CCI. Confirmatur, potest intellectus plura simul cognoscere per diversas cognitiones, ut patrem & filium, conferendo illos inter se; imò & constituendo inter illa differentiam; ergò etiam objecta Præmissarum & conclusionis per plures cognitiones eodem instanti. Probatur consequentia, quia ista comparatio non minuit, sed potiùs auget difficultatem, ergò, &c.

CCII. Objicies 1°. ex S. Thoma 1.p.q.14. art. 17. discursus secundùm causalitatem, includit discursum secundùm successionem.

CCIII. Respondeo S. Thomam non loqui universaliter de omni discursu secundùm causalitatem sive causali; sed de eo tantùm, cujus, vel Præmissæ sunt obscuræ, vel consequentia non satis clara, quo casu, intellectus successivè Præmissas & conclusionem producit, dum scilicet illam difficultatem superavit.

CCIV. Objicies 2°, Aristoteles, 2°. Topic. cap. 15. ait, *contingit nos multa scire, cogitare autem non*; ergò non possunt esse simul plures cogitationes in intellectu, sive plures assensus.

CCV. Respondeo negando consequentiam, quia Aristoteles solùm vult nos multa scire per scientiam habitualem, vel habitualiter, de quibus per apprehensionem actualem, sive actualiter, non cogitamus; intendit enim tantùm probare *scire* & *cogitare* distingui.

CCVI. Objicies 3°. corpus non potest simul recipere figuras diversas, v. g. rotunditatem, & quadraturam, ergò nec intellectus potest habere simul plures actus:. Probatur consequentia; quia actus in intellectu sunt figuræ intellectus; ergò, &c.

CCVII. Respondeo negando consequentiam; est enim disparitas, quòd scilicet figuræ diversæ in corpore requirant situs diversos & repugnantes, sive incompossibiles; non verò actus intellectus, qui sunt tantùm figuræ intentionales, & valdè impropriæ.

CCVIII. Objicies 4°. duo accidentia ejusmed speciei v.g. duæ albedines, non possunt esse simul in uno subjecto, puta in gradu æquè intenso; ergò nec simul plures actus in eodem intellectu.

CCIX. Respondeo negando consequentiam; nam est disparitas, quòd actus sint accidentia diversi muneris, & dicentia ordinem ad aliquid extrinsecum, quæ proindè simul esse possunt in eodem subjecto: nam in eodem indivisibili aëre sunt plures species visuales, in eodem intellectu plures species impressæ, quidni & expressæ, sive actus? albedines verò sunt accidentia ejusdem muneris, & absoluta, non sumentia speciem à subjecto, sicuti fortè sumunt illi actus ab objecto.

CCX. Objicies 5°. si assensus Præmissarum essent simul in intellectu cum assensu conclusionis, idem objectum v.g. conclusionis, cognosceretur simul confusè & distinctè; confusè per actum Præmissarum, distinctè per actum conclusionis; quod dici non potest; ergò, &c.

CCXI. Respondeo 1°. id non esse absurdum; quia si in concreto prædicarem definitionem de definito, v.g. *homo est animal rationale*; tunc idem cognosceretur distinctè & confusè.

CCXII. Respondeo 2°. assensum Præmissarum tantùm tendere virtualiter in objectum conclusionis.

Resolutio II.

CCXIII. DIco 2°. assensus Præmissarum necessariò in intellectu, saltem virtualiter in recordatione actuali, perseverant eo tempore, quo producitur assensus conclusionis.

CCXIV. Probatur, quia applicant objectum formale, sive rationem assentiendi conclusioni; sed causa, quæ saltem in suâ actione non est actu, non potest agere, ergò, &c. Probabitur minor in Physica; major probata est suprà, & consequentia est legitima.

CCXV. Objicies 1°, eô tempore, quô assentimur conclusioni, non experimur nos assentiri præmissis, ergò assensus Præmissarum tunc non perseverat.

CCXVI. Respondeo negando consequentiam; quia omnes experiuntur se, vel per judicium, vel saltem per apprehensionem, recordari elicitarum Præmissarum formalium; ideoque in conclusione dixi, *saltem virtualiter*: deindè fieri potest, ut tum etiam Præmissis assentiamur, licèt id ob nimiam intellectus agilitatem, non advertamus.

Objicies

CCXVII. Objicies 2°. eo tempore quo assentimur conclusioni, licèt assensus præmissarum desierint, manent in intellectu eorum habitus, qui vices illorum supplent, ergò, &c.

CC XV III. Respondeo negando antecedens, pro 2ª. parte, nam proprium habituum non est fungi munere actuum, à quibus producuntur; sed tantum intellectum inclinare & facilitare ad actus similes illis, à quibus producuntur: deindè, ut diximus, non dantur habitus in intellectu.

TRACTATVS IX.

IN LIBROS ARISTOTELIS

DE POSTERIORI ANALYSI.

MVlta hîc tractat Aristoteles, quæ in scopum nostrum non collimant, & minus necessaria videntur ad Theologiam, ad quam præsentes Tractatus specialiter ordinamus; quia tamen postquam de Præmissis disputatum est, ordo & doctrinæ scopus exigunt, ut de Demonstratione & scientia Demonstrationis effectibus agamus, primùm de illa: deinde de Scientia in genere: denique de Scientia in particulari, videlicet Logica, ad complementum hujuscè Commentarii, disputabimus.

DISPVTATIO PRIMA.

De Demonstratione.

DVBIVM I.

Quomodo rectè definiatur demonstratio in genere.

RESOLVTIO I.

1. DIco 1°. præter Demonstrationis definitiones ab Aristotele cap. 2° allatas, non malè hæc à multis adfertur: Demõstratio *est Syllogismus constans ex propositionibus veris, necessariis & prioribus ipsa conclusione*: ly *Syllogismus* est genus definiti, cætera differentiæ locum obtinent, & per ea demonstratio differt à Syllogismo dialectico, Sophistico, &c. comprehendit tamen omnem Syllogismum Theologicum, constantem unâ præmissâ de fide, aliâ naturali certâ, conformiter ad communem sententiam docentem Theologiam esse veram scientiam; non quidem prout scientia fuit in mente Aristotelis certa naturaliter, sive per evidentiam naturalem; quia certitudinem hanc ad scientiam requisivit, eò quòd aliam divinæ revelationis istâ majorem, ex ignorantia fidei, non agnoverit; sed prout certa est in mente fidelis Theologi, certitudine revelationis divinæ, siltem alterius præmissarum, ad quam maximè attendere debemus. Pro majori tamen definitionis intelligentia, sit

PARAGRAPHVS I.

Cur in definitione dictum sit ex veris, & non ex verioribus intensivè & formaliter.

11. REspondeo, quia una propositio non potest esse formaliter & intensivè verior alterâ; ità PP. Suarez, Hurtadus, Arriaga, &c. Contra Sotum, Toletum, Cajetanum, Masium, Murciam, &c.

111. Probatur ex Aristotele, *ab eo, quod res est, vel non est* (puta prout esse per propositionem enuntiatur) *propositio est vera, vel falsa*; una autem res nec magis est, nec magis non est, quam alia; licet fortè magis necessariò sit, vel nõ sit, & ideò una propositio sit magis vel minùs necessaria, quàm alia, sive ideò uni magis repugnet falsitas, quàm alteri, ut *Deus est existens*, *Petrus est existens*; quo sensu Deus dicitur magis ens, quàm creatura quævis, & propositiones fidei veriores naturalibus. Dic proportionaliter idem de propositionibus falsis, his v. g. *Petrus est brutum*, *Petrus est doctus*. illa enim minùs necessariò est vera, quàm hæc, sive illi magis repugnat veritas, quàm huic.

1v. Confirmatur, veritas est quædam similitudo, æqualitas & identitas actus in repræsentando, cum objecto in essendo; sed ut summum ratione fundamenti

damenti una ex illis est intrinsecè & formaliter major aliâ, ergò, &c. Probatur minor, quia illæ sequuntur conceptum unificantem, qui, quia non est intensior, sive unificet nanos, sive gigantes, in ratione hominis; sive palmos sive ulnas, in ratione quanti; sive albedines intensas, sive remissas, in ratione similis; ideò non est identitas intrinsecè major inter gigantes, quàm inter nanos, æqualitas intrinsecè major inter ulnas, quàm inter palmos, &c. ergò, &c.

v. Idem dic proportionaliter de Propositione quoad falsitatem contra PP. Oviedum de anima Cont. 7. punct. 3°. Suarez, Hurtadum, Arriagam, &c. si enim actus, quo dico *decem Philosophi scribunt*, videatur falsior, si quatuor tantùm scribant, quàm si septem scriberent, non ideò est, quia est intrinsecè & formaliter falsior; sed quia extrinsecè & materialiter talis, videlicet, quia extenditur ad plura objecta, quibus difformatur; quò sensu, etiam dici potest hanc Propositionem, *Paulus est homo*, esse extensivè veriorem hâc, *Petrus est substantia*; quia extenditur ad plura objecta, sive prædicata essentialia, quibus conformatur.

vi. Dices tamen, conclusio est vera propter præmissas; ergò præmissæ sunt veriores conclusione; probatur consequentia, ex illo Axiomate, *propter quod unum quodque est tale, & illud magis.*

vii. Respondeo negando antecedens, nam conclusio est vera, eò quòd sit suo objecto conformis, similis, &c. non verò propter præmissas; alioqui, contra Aristotelem, non posset ex præmissis falsis verum sequi, sed omne verum consequens præsupponeret præmissas veriores.

viii. Adde, istud Axioma sæpè fallere, ac 1°. semper in causis materialibus, *forma est educta propter materiam, ergò materia est magis educta, quàm forma*; formalibus, *paries est albus propter albedinem, ergò albedo est magis alba quàm paries*; & efficientibus, *homo est creatura propter Deum, ergò Deus est magis creatura, quàm homo.* 2°. etiam in motivis; nam qui credit Deum esse trinum propter revelationem divinam, non magis credit revelationi, quàm Deum esse trinum; alioqui esset magis certus de revelatione divina, quàm Deum esse trinum, quod dici non potest, si quidem inter Propositiones fidei; una non est certior alterâ, magis quàm authoritas Dei revelantis, sit uno tempore major, quàm alio; deindè, qui odit peccatum propter Deum, non magis Deum odit, quàm peccatum.

ix. Instabis, saltem illud Axioma habet locum in motivis naturalibus, ut clarè patet ex Aristotele 1°. Poster. cap. 2°. *si ob ea scimus & credimus, & illa sanè scimus & credimus magis:* sed, quia præmissæ naturales sunt veræ, movetur intellectus ad conclusionem naturalem veram, ergò præmissæ, saltem naturales, sunt veriores conclusione.

x. Respondeo distinguendo majorem, saltem illud Axioma habet locum in motivis naturalibus, se habentibus per modum causæ finalis & mediorum, *ut amo pharmacum propter sanitatem, ergò magis amo sanitatem, quàm pharmacum*; vel potius quando effectus intensibilis verè prædicatur de extremis realiter distinctis, uti in exemplo allato ly *amatum* respectu pharmaci & sanitatis, concedo majorem: in aliis, nego majorem.

xi. Dixi *intensibilis*, eò quòd ly *magis* id omninò significet, & alioqui effectus attributus definito propter definitionem, ut v.g. *Petrus est homo propter animal rationale*, faceret animal rationale, magis hominem, quàm sit Petrus, ut consideranti patebit: undè hæc PP. nostrorum Complutensium pro veritate istius Axiomatis regula, (quam Logic. Disp. 18. in appendice ad q. 1. dicunt esse verissimam) *tunc valet Axioma istud, quando totus effectus potest reflecti suprà totam causam*, non videtur ità nudè admittenda.

PARAGRAPHVS II.

Cur in definitione dictum sit ex necessariis, & non ex necessarioribus.

xii. Respondeo, quia illud est necessarius, quod magis necessariò existit; objectum autem præmissarum non magis necessariò existit, quàm existat objectum conclusionis; nam idem sunt objectum conclusionis & præmissarum; unum verò & idem non potest magis & minùs necessariò existere; hinc patet ulteriùs nobis hîc obici non posse Axioma de quo Paragrapho 1°. quia etiam objecta præmissarum non admittunt *magis* quoad necessitatem respectu objecti conclusionis.

PARAGRAPHVS III.

Cur in definitione dictum sit, ex prioribus ipsa conclusione.

xiii. Respondeo dictum ex prioribus, quia præmissæ continent causam conclusionis, puta in essendo pro demonstratione *propter quid*, & in cognoscendo pro demonstratione *quia*, de quibus dubio sequenti: hîc addunt alii *& notioribus ipsa conclusione*: verùm puto illas particulas omninò esse superfluas, quia præmissæ non movent intellectum ad assensum conclusionis, quia notiores, sed quia virtualiter continent conclusionem, vel potius, quia conclusio est eadem cum illis juxtà illud Principium, *quæcumque sunt eadem uni 3°. &c. sunt eadem inter se.*

DVBIVM II.

Quomodo dividatur & subdividatur demonstratio in genere.

Resolutio I.

xiv. Dico demonstratio in genere rectè dividitur in demonstrationem *propter quid*, seu à priori, & demonstrationem *quia*, seu à posteriori.

xv. Demonstratio *propter quid*, est, *quâ per causam, vel quasi causam demonstratur effectus*, ut *omne rationale est risibile, omnis homo est rationalis, ergò omnis homo est risibilis.*

xvi. Dixi vel *quasi causam*, puta formalem, saltem inadæquatam; quia alioqui, certum est, quòd definitio non sit causa definiti, tamen ex demonstratione *propter quid*, infertur definitum, ut *omne animal rationale est homo, Petrus est animal rationale, ergò Petrus est homo.*

xvii. Demonstratio *quia*, est, *quâ per effectum, vel quasi effectum demonstratur causa*, ut *omne risibile est rationale, Petrus est risibilis, ergò rationalis.*

xviii. Dixi

Dixi vel *quasi effectum*, puta formalem, saltem inadæquatum; quia alioqui certum est, quòd definitum non sit effectus partis definitionis, tamen ex demonstratione *quia*, infertur pars definitionis, *ut omnis homo est animal, Petrus est homo, ergò Petrus est animal.*

RESOLUTIO II.

XIX. DIco 2°. demonstratio *propter quid*, dividitur in perfectissimam, & non perfectissimam: prior est per causam adæquatam, sive per definitionem: posterior, per causam inadæquatam, puta specificam, quia per genericam, sive non necessariò connexam cum effectu, videtur negare Aristoteles dari demonstrationem.

XX. Demonstratio *quia* subdividitur in demonstrationem *quia* ab effectu, *quia* à signo, *quia* à causa remota.

XXI. Demonstratio *quia* ab effectu, est *Syllogismus in quo medium est effectus*, ut *omne risibile est rationale, omnis homo est risibilis, ergò omnis homo est rationalis.*

XXII. Demonstratio *quia* à signo, est *Syllogismus in quo medium est signum*, ut *omne rotundum movetur circulariter, globus est rotundus, ergò*, &c.

XXIII. Demonstratio *quia* à causa remota, est *Syllogismus in quo medium est causa remota*, ut *omne respirans est animal, nulla planta est respirans, ergò nulla planta est animal*: dicitur autem respiratio causa remota animalis, quia, ficut datur animal non habens cor calidum nec pulmones, à quibus est respiratio; ita datur animal, quod non respirat, ut pisces; undè per causam remotam intelligimus inadæquatam, quæ cùm effectu non convertitur.

DVBIVM III.

Quomodo differant demonstratio propter quid & quia.

RESOLUTIO.

XXIV. DIco Demonstratio *propter quid* & *quia* differunt specie.

XXV. Probatur: 1°. quia ratio communis Demõstrationis ab illis præscindit: 2°. quia illam participant univocè: 3°. quia inter se differunt essentialiter, ergò, &c. antecedens patet pro 1ª. parte ex definitione Demonstrationis in genere. Probatur pro 2ª. parte, quia eodem modo se habent Demonstratio *propter quid* & *quia* ad Demonstrationem in genere, quo se habent *homo* & *brutum* ad animal in genere, ergò, &c.

XXVI. Confirmatur, sola difficultas esse potest de Demonstratione *quia*; sed illa participat univocè rationem Demonstrationis, ergò, &c. Probatur minor, quia juxtà Aristotelem & reliquos Philosophos, omnis Syllogismus, participat univocè rationem aut Dialectici, aut Sophistici, aut Demonstrativi: Demonstratio *quia*, rationem Dialectici non participat; quia Dialecticus constat ex probabilibus tantùm, ille ex necessariis; & generat tantùm opinionem, ille scientiam: neque etiam, Sophistici; quia Sophisticus constat ex veris apparenter tantùm, ille ex reipsâ veris; item hic gignit tantùm errorem, ille scientiam, ut dictum est; ergò participat univocè rationem Demonstrativi, sive Demonstrationis.

XXVII. Probatur 3ª. pars, quia Demonstratio *propter quid* & *quia* dicunt ordinem essentialem ad diversa media, & principia diversimodè illam causantia, ergò, &c. Probatur antecedens, quia Demonstratio *propter quid* (puta prout est scientia) dicit ordinem ad causam in essendo; Demonstratio verò *quia* ad causam in cognoscendo tantùm, ut vidimus, ergò, &c.

XXVIII. Dices tamen, de principiis non datur Demonstratio; sed conclusio Demonstrationis *quia* est Principium; nam potest esse præmissa Demonstrationis *propter quid*; ergò, &c.

XXIX. Respondeo distinguendo majorem, de Principiis per se notis, evidentibus & generalissimis, quales sunt *quodlibet est, vel non est: quæcumque sunt eadem uni* 3°. *sunt eadem inter se*, &c. Non datur Demonstratio, concedo majorem: de obscuris & particularibus, nego majorem; quidni enim de illis posset dari Demonstratio à posteriori? imò sæpè necessaria est de illis, ut certiùs principient, Demonstratio.

XXX. Instabis, Demonstratio *quia* non potest gignere scientiam; ergò non est vera Demonstratio: probatur antecedens, quia juxtà Aristotelem *scire est causam nosse, ob quam res est*, & scientia est cognitio rei per causam, ob quam res est; sed Demonstratio *quia* est tantùm cognitio rei per effectum, & non per causam, ergò, &c.

XXXI. Respondeo negando antecedens, ad ejus probationem distinguo, *scire est causam* in essendo vel cognoscendo *nosse*, &c. concedo antecedens; in essendo determinatè, nego antecedens; Demonstratio autem *quia* est cognitio rei per causam in cognoscendo; quia, ut suprà dictum est, *effectus, signum* &c. sunt talis causa: sic patet ad Definitionem scientiæ ab Aristotele traditam; si tamen velis Aristotelem per illam solùm intendisse definire scientiam, quæ habetur per Demonstrationem à priori & *propter quid*, Scientia aliter à nobis definietur, *cognitio certa & necessaria deducta per discursum formalem*, quæ convenit conclusioni Demonstrationis *quia*, ut patet.

DISPVTATIO SECVNDA.

De Scientia in genere.

DVBIVM I.

Quid sit Scientia.

RESOLUTIO.

XXXII. DIco, nomen Scientiæ multipliciter sumitur.

XXXIII. 1°. Latissimè, pro quavis cognitione sive discursiva, sive non; sive certa, sive incerta; & scire hoc modo, idem est, quod simpliciter cognoscere.

XXXIV. 2°. strictè, pro quavis cognitione certa, sive naturali, sive supernaturali, quomodo Deus omnia scit, & dicimur scire ea, quæ per fidem Divinam, sensum vel experientiam cognoscimus.

3°. Strictius,

xxxv. 3°. strictiùs, & ad nostrum intentum magis accommodatè pro quavis cognitione discursiva certa & infallibili, abstrahendo tamen, an sit obscura, vel clara: sub hacque comprehenditur Theologia.

xxxvi. 4°. strictissimè & juxtà mentem Aristotelis pro cognitione discursiva certa naturaliter, ac proindè evidente, abstrahendo tamen, an sit per causam vel effectum, ut comprehendas demonstrationes *propter quid* & *quia*, conformiter ad hanc acceptionem definibiles. Pro horum tamen majori intelligentia, sit

PARAGRAPHVS I.

Quid sit certitudo & evidentia in actibus intellectus, & quotuplex.

Resolutio I.

xxxvii. Dico 1°. Certitudo *est necessaria veritas*, sive talis, cujus loco poni non possit falsitas: patet, quia sic clarè distinguitur à probabilitate, cui certitudo, quâdam proportione servatâ, opponitur.

Resolutio II.

xxxviii. Dico 2°. Certitudo est triplex, Objecti, Cognitionis & Cognoscentis.

xxxix. Certitudo objecti sive objectiva *est connexio necessaria & immutabilitas extremorum*, vel *secundùm se*, ut *homo est rationalis*; vel *ut subsunt principio adæquatè certo*, ut *Petrus ambulat, posito quòd videam, canis Tobiæ habuit caudam, posito quòd Deus id revelârit.*

xl. Certitudo cognitionis sive formalis *est necessaria veritas actus, orta ex certitudine objecti*, ut conformitas actus, quo dico *Deus est bonus, homo est rationalis*: & hæc est duplex, naturalis quidem, si orta sit ex certitudine naturali objecti; & supernaturalis, si orta ex certitudine supernaturali.

xli. Certitudo cognoscentis *est firma intellectus adhæsio alicui objecto*; non quidem ex efficaci imperio voluntatis, errore vel pertinacia intelligentis; quia hæc ut summùm fundare possunt affectivam certitudinem, & pertinacem in cognoscendo perseverantiam; sed ex certitudine objecti & cognitionis orta, quæ sola est affectiva & formalis.

Resolutio III.

xlii. Dico 3°. certitudo objecti & cognitionis, iterum est triplex, moralis, Physica & Metaphysica.

xliii. Certitudo moralis est, quæ habetur ex motivis, Physicè quidem fallibilibus, moraliter tamen infallibilibus, sive talibus, ut illis positis rationabiliter de objecto dubitari non possit, ut certitudo de existentia Romæ, quam omnes communiter dicunt existere: si verò petas an certitudo de existentia objecti revelati in se tantùm probabili, ut *quòd canis Tobiæ habuerit caudam*, sit quoad nos moralis tantùm? Respondeo affirmativè; quia licèt nullus, nisi irrationabiliter, cum peccato ac fidei injuria de eo dubitari possit; potest tamen secundùm principia illius Physica; quia nulla est necessaria connexio Physica caudæ cum cane Tobiæ, & multò minus Metaphysica: imo de ipsa revelatione, nulla est quoad nos certitudo Physica.

xliv. Certitudo Physica est, quæ habetur ex principiis Physicis, sive naturali cursu rerum, quæ naturaliter Physicè (licèt possint supernaturaliter) aliter se habere non possunt, ut certitudo de subexistentia subjecti substantialis ex mixtione accidentium.

xlv. Certitudo Metaphysica est, quæ habetur ex objecto, quod ne supernaturaliter quidem mutari possit, ob necessariam extremorum inter se connexionem, ut certitudo de homine, quòd sit rationalis.

Resolutio IV.

xlvi. Dico 4°, evidentia est certitudo clara, orta ex videntia sive visione objecti; vel, ut alii, ex principiis, quæ naturaliter (quantum experientia naturalis nos docet) alio modo se habere non possunt, quàm cognoscantur; assignarique potest duplex, moralis & Physica; addit Metaphysicam P. Oviedus Logic. cont. 10. punct. 3°. quæ oriatur ex principiis naturalibus, quæ supernaturaliter aliter se habere non possunt, & pro illius exemplo assignat *omne totum est majus suâ parte*, verùm non satis aptè; quia isti exemplo, quatenùs subest visioni, supernaturaliter falsum subesse potest; facere enim potest Deus, ut partem prout totum, & ex duabus partibus æqualibus unam ut partem, aliam ut totum videamus: undè evidentiam Metaphysicam propriè dictam non agnoscimus, & illi semper falsum supernaturaliter subesse posse, non secus ac visioni, arbitramur.

xlvii. Evidentia autem moralis est, certitudo moralis clara, orta ex visione objecti, &c. Physica, certitudo Physica, &c.

PARAGRAPHVS II.

Quæ Certitudo & evidentia ad Scientiam requiratur.

Resolutio I.

xlviii. Dico 1°, sive agatur de Scientia 3° modo ex dictis num. 35. sumpta, sive 4°, & juxtà mentem Aristotelis, præmissæ non debent esse certiores & evidentiores conclusione scientificâ.

xlix. Probatur 1°, quia conclusio scientifica sequitur certitudinem & evidentiam præmissarum, ità scilicet, ut si utraque sit certa & evidens propter certam & evidentem identitatem objectivam cum 3°, ipsa sit eodem modo certa & evidens propter certam & evidentem identitatem suorum extremorum inter se, quia eâdem certitudine & evidentiâ, quâ duo sunt eadem uni 3°, sunt eadem inter se, ergò, &c.

l. Probatur 2°. non assentimur conclusioni propter præmissas, quia scilicet præmissæ sunt certiores conclusione, sed quia ostendunt evidenter prædicatum & subjectum conclusionis esse eadem uni 3°, ac proindè inter se, juxtà hoc Axioma, *Quæcumque sunt eadem uni 3°, sunt eadem inter se.*

LI. Confirmatur 1°. certitudo est necessaria veritas; sed præmissæ, uti Disp. 1ª, de Demonst. Paragraph. 1°, probatum est; non sunt veriores conclusione, ergò, &c.

LII. Confirmatur 2°, objectum conclusionis est idem cum objectis præmissarum; sed certitudo & evidentia præmissarum petitur ab objectis præmissarum, ergò, &c.

LIII. Objicies 1°, ex P. Arriaga, ubi sunt plura capita fallibilitatis, minor est de illis evidentia & certitudo; sed in conclusione sunt plura, quàm in præmissis; quia in illa attinguntur objecta præmissarum, ergò, &c.

LIV. Respondeo concessâ majore, negando minorem; ad ejus probationem, concesso antecedente, nego consequentiam: & ratio est, quia tam objecta præmissarum, quàm conclusionis, sunt infallibilia; non est autem major fallibilitas, ubi plura objecta infallibilia, quàm ubi unum; sicut non est major contingentia, ubi tria necessaria, quàm ubi unum; alioqui magis contingens esset, tres Divinas Personas existere, quàm Deum, quod est hæreticum.

LV. Ad Aristotelem verò dicentem, *Si ob ea scimus & credimus, & illa sanè scimus & credimus magis*, & Axioma, *propter quod unum tale*, &c. satisfactum est Disput. 1ª, Dub. 1°, & ex illis in rigore sequitur hæresis, ut ibidem dicta consideranti patebit.

LVI. Objicies 2°, ubi una præmissa certa, alia probabilis tantùm, præmissæ sunt, ut minùs, æquè certæ, ac ipsa conclusio; ergò ubi utraque est certa, præmissæ sunt certiores conclusione.

LVII. Respondeo negando consequentiam; supponitur enim falsum in antecedente, videlicet conclusionem esse certam, ubi una præmissarum tantùm est probabilis, quod verum esse non potest; quia certitudo conclusionis sumitur ex identitate duorum inter se, eo quòd sint necessariò eadem uni 3°, non possunt autem esse plusquàm probabiliter eadem uni 3°, si altera præmissarum sit probabilis tantùm; sicut enim unio media inter unum extremum incorruptibile & alterum corruptibile, est corruptibilis; ità conjunctio conclusionis quasi media inter præmissas certam & probabilem, ex quibus infertur, est tantùm probabilis; quia conclusio semper sequitur debiliorem præmissam, sicut unio debilius extremum. Vndè

LVIII. Adde Conclusionem sequi naturam unionis; nam sicut hæc non potest esse necessaria, ubi alterum extremorum est contingens; ità conclusio non potest esse certa, ubi altera præmissarum est tantùm probabilis: Ratio est quia sicut unio ab extremis sumit necessitatem aut contingentiam; ità conclusio à præmissis sumit certitudinem vel probabilitatem.

Resolutio II.

LIX. Dico 2°, Certitudo quædam moralis ad Scientiam sufficit, quædam non sufficit.

LX. Probatur 1ª pars, quia certitudo moralis, quæ fundatur in revelatione Divina, ut fundatur in revelatione Divina, major est illâ, quæ fundatur in visione aut experientia humana; sed hæc ad Scientiam sufficit, ut omnes fatentur, ergò, &c.

LXI. Confirmatur, quia, licèt certitudo moralis, quæ fundatur in revelatione Divina, attentis objecto præcisè & principiis Physicis objecti, quoad nos sit fallibilis, quoad se tamen, & in se est infallibilis, & objectum consequenter prout illi subest est omnino infallibile, ergò, &c. Probatur consequentia, quia ut sic Scientia adhuc sufficienter distinguitur à Syllogismo probabili & sophistico, ergò, &c.

LXII. Probatur 2ª pars, quia certitudo, quæ fundatur in revelatione humana, est moralis, & tamen in se & quoad nos fallibilis & consequenter etiam objectum prout illi subest, est fallibile, ergò, &c.

Resolutio III.

LXIII. Dico 3°, sistendo in mente Aristotelis, ad Scientiam requiritur & sufficit certitudo & evidentia Physica: certitudo tamen Metaphysica infert secùm maximam Scientiæ perfectionem.

LXIV. Probatur 1ª pars, quia de morali fundata in revelatione Divina nihil Aristoteles agnovit; sed ad Scientiam requisivit certitudinem aliquam; ergò Physicam.

LXV. Probatur 2ª pars, quia multæ sunt Scientiæ de objecto Physicè tantùm certo, ut quod ignis sit calidus, aqua frigida, &c. alioqui, cum rerum essentias in se, aut à priori, certò non cognoscamus, sed in effectu, & à posteriori, quoad nos, nullæ essent Scientiæ, contrà communem sensum Aristotelis & omnium Philosophorum post ipsum, ergò, &c.

LXVI. Adde prætereà requiri certitudinem cognoscentis, alioqui intellectus non assecuraretur de objecto; sed ei dubitanter assentiretur; ac proindè ex parte sua magis opinaretur, quàm sciret.

DVBIVM II.

De Objecto Scientiæ in genere.

PARAGRAPHVS I.

Quid sit? variæ ejus Divisiones & Subdivisiones.

Resolutio I.

LXVII. Dico 1°, Objectum Scientiæ in genere est illud, circà quod Scientia per se versatur, quodque ei considerandum objicitur: hæc conclusio patet.

Resolutio II.

LXVIII. Dico 2°, Objectum Scientiæ in genere dividitur in materiale & formale: materiale est subjectum cujusque conclusionis scientificæ: formale est id, ratione cujus dictum subjectum ab illa conclusione consideratur.

LXIX. Objectum autem materiale subdividitur in Adæquatum seu totale, & Inadæquatum seu partiale: 1ᵘᵐ est suprà quod Scientia aliud objectum materiale non considerat: 2ᵘᵐ est pars aliqua objecti totalis; quod est duplex; unum attributum & secundarium, aliud attributionis & primarium; Attributum est, quod, non propter se, sed in ordine ad aliud consideratur. Attributionis est, ad quod cætera omnia partialia ordinantur.

Objectum

LXX. Objectum formale subdividitur in formale *quod, propter quod*, & *sub quo*.

LXXI. Objectum formale *quod*, est formalitas, quæ de objecto materiali cognoscitur, sive est prædicatum cujusque conclusionis scientificæ.

LXXII. Formale *propter quod* est ipsa ratio assentiendi seu medium demonstrationis, quod in actu signato ab ipsa conclusione formali attingitur.

LXXIII. Formale *sub quo*, est ratio quædam generalis petita ex natura & modo procedendi Scientiæ, sub qua omne objectum suum partiale considerat; non tamen à Scientia attingitur in actu signato; sed in actu exercito dumtaxat, ut sanabilitas corporis respectu Scientiæ medicæ, naturalitas ejusdem respectu Scientiæ Physicæ.

PARAGRAPHVS II.

Quale debeat esse objectum Scientia in genere.

Resolutio I.

LXXIV. Dico 1°, Objectum Scientiæ complexum, id est, tota conclusio objectiva; & incomplexum, id est, subjectum illius sumptum secundùm esse essentiæ, id est, secundùm quod habet connexionem cum suo prædicato, debet esse necessarium.

LXXV. Probatur, actus Scientiæ sumit certitudinem & infallibilitatem suam ab objecto; sed ille est certus & infallibilis; ergò illius objectum debet esse necessarium: probatur consequentia, certitudo & infallibilitas, ex prædictis, est necessaria veritas.

LXXVI. Objicies tamen 1°, Conclusio hujus Syllogismi, *Omne quod est progrediens movetur; sed video Petrum progredientem, ergò Petrus movetur*, est Scientia partialis; sed illa non est de objecto necessario, ergò, &c.

LXXVII. Respondeo distinguendo minorem, sed illa non est de objecto necessario necessitate absolutâ & Metaphysicâ, quasi verò esset inter Petrum & motum conjunctio absolutè & Metaphysicè necessaria, concedo minorem: non est de objecto necessario necessitate concomitantis suppositionis, quòd videam progredientem, nego minorem.

LXXVIII. Objicies 2°, de contingentibus & liberis datur Scientia; sed illa non sunt necessariò, ergò, &c. probatur minor, quia tam possunt esse, quàm non esse, ergò, &c.

LXXIX. Respondeo distinguendo minorem: sed illa non sunt necessariò, sive non sunt necessaria necessitate existentiæ, concedo minorem; verùm id non requiritur, ut constat ex hac demonstratione, *Omnis homo est risibilis, sed omne animal rationale est homo, ergò omne animal rationale est risibile:* Necessitate essentiæ propter necessariam connexionem cum suis proprietatibus, nego minorem, & hoc sufficit.

Resolutio II.

LXXX. Dico 2°, absolutè loquendo, & nisi foret inane de non entibus, vel entibus impossibilibus dari Scientias speciales, objectum Scientiæ specialis, potest esse non ens, vel ens impossibile.

LXXXI. Probatur, quia ejusmodi ens habet suas proprietates cum sua essentia, vel quasi essentia, connexas, ut, quòd (etiam virtute Divinâ) realiter existere non possit, quòd contradictoria in suo conceptu formali includat, &c. undè demonstrationes huic similes, de illo formari possunt, *Omne quod contradictoria in suo cõceptu formali includit, est ens impossibile, non ens, &c. sed chymæra est talis, ergò, &c.*

Resolutio III.

LXXXII. Dico 3°, objectum Scientiæ potest esse ens per accidens.

LXXXIII. Probatur 1°, quia omnes Scientiæ subalternæ (de quibus infrà) habent pro objecto ens per accidens, ergò, &c.

LXXXIV. Probatur 2°, quia de ente per accidens demonstrari potest, quòd sit ens per accidens, hoc modo, *Quidquid componitur ex substantia & accidente est ens per accidens; atqui statua est talis, ergò, &c.* Vndè fit quod Arithmetica multa de numeris, Medicina de Pharmacis, entibus per accidens, demonstret.

Resolutio IV.

LXXXV. Dico 4°, ens singulare potest esse objectum Scientiæ.

LXXXVI. Probatur, quia singulare habet sua prædicata essentialia, & proprietates singularisatas: undè de ente singulari formari poterit hæc demonstratio, *Quidquid est hic homo, est hoc risibile; Petrus est hic homo; ergò Petrus est hoc risibile.* Item *omne singulare est simili incommunicabile; Petrus est hoc singulare; ergò Petrus est simili incommunicabilis.*

LXXXVII. Confirmatur 1°, de Deo datur Scientia, videlicet Theologia, & de Christo Christologia; sed hi sunt singulares in omnium sententia, ergò, &c.

LXXXVIII. Objicies commune Axioma, de singularibus non datur Scientia, ergò, &c.

LXXXIX. Respondeo 1°, retorquendo argumentum in Theologiam & Christologiam.

LXXXX. Respondeo 2°, illud Axioma tantùm excludere Scientiam totalem & integram; quia in omni Scientia totali attenduntur proprietates speciei; non autem cujuslibet individui in particulari; cum eo tamen stat, quòd de singularibus detur Scientia particularis, ut vidimus.

LXXXXI. Confirmatur 2°, de universalibus omnes admittunt dari Scientiam; sed universalia non distinguuntur à singularibus ex parte objecti, ut toto Tractatu 1° & 2° probavimus, ergò, &c.

LXXXXII. Adde 1°, nos in his tribus ultimis Resolutionibus contrà Aristotelem nihil definire, quia dum ab objecto Scientiæ, *Non entia, entia per accidens & particularia* excludit, ex hypothesi procedit, quòd inane sit, & Scientias nimium multiplicare, de *non entibus, entibus per accidens & particularibus* Scientias statuere; nos verò ab hac hypothesi præscindendo, & absolutè loquendo, ista resolvimus.

Adde 2°, nos ibi Scientiam, in eo rigore non sumere, in quo eam sumit Aristoteles, & multi post ipsum; prout scilicet est, conclusio Vniversalis syllogismi demonstrativi dispositi in modo & figura, & procedentis ex Principiis Vniversalibus indemonstrabilibus; quia rigor ille exorbitans est: sed prout est conclusio ex præmissis necessariis & certis deducta, quæ verè Scientia est.

DVBIVM III.

De Divisionibus Scientiæ.

PARAGRAPHVS I.

Divisiones Scientiæ.

RESOLVTIO I.

LXXXXIII. DIco 1°, Scientia dividitur 1°, in Actualem & Habitualem.

LXXXXIV. Actualis est Conclusio Demonstrationis, sive actus intellectus illatus ex præmissis necessariis, &c.

LXXXXV. Habitualis est habitus, seu qualitas à tali actu in intellectu relicta, facilitans nos ad similes actus eliciendos; an autem hæc qualitas sit distincta à speciebus istorum actuum relictis in intellectu? dicetur in libris Animasticis.

LXXXXVI. Dividitur 2°, in Speculativam & Practicam, de quibus Paragrapho 2°.

LXXXXVII. Dividitur 3°, in Subalternantem & Subalternatam, de quibus Paragrapho 5°.

PARAGRAPHVS II.

Quænam dicatur Scientia Speculativa, & quæ Practica.

RESOLVTIO I.

LXXXXVIII. DIco 1°, Scientia Speculativa (quæ à speculando dicitur, quia nimirum tota est ex natura sua in speculatione seu contemplatione sui objecti, nec transit ad illud quatenùs per suam directionem operabile, quasi ipsâ positâ, jam sit liberum voluntati creatæ imperare ipsius executionem potentiæ, cui convenit illud exequi) ab Aristotele lib. 1°. Metaph. cap. 1°. & 2°. definitur, *Speculatio, quæ sistit in sola contemplatione sui objecti*: talis autem est Scientia de Deo, Angelis, Cælis, &c. quia nec Deus, nec Angeli, &c. sunt per directionem talis Scientiæ operabiles, quasi, ipsâ positâ, sit liberum voluntati creatæ imperare ipsorum executionem, &c.

RESOLVTIO II.

LXXXXIX. DIco 2°, Scientia Practica (quæ, è contrà ab agendo, seu practicando, dicitur; quia scilicet, præterquam quòd naturam sui objecti contempletur, ulterius transit ad illud, quatenùs per suam directionem, regularum traditionem & præceptorum, quomodò fieri possit & debeat, operabile, eò quòd, ipsâ positâ, jam sit liberum, &c.) est, quæ non sistit in sola contemplatione sui objecti, sed est proxima regula operis: undè optimè Commentator commento 3° exponens verba Aristotelis; *per speculativam* (puta Scientiam) *Scimus, ut sciamus; per practicam verò sumus scientes, ut operemur; quia practicæ finis opus.* Talis autem Scientia practica est hæc conclusio, *Omne quod explicat naturam rei debet constare genere & differentiâ; sed omnis definitio est talis; ergò omnis definitio debet constare genere & differentiâ*; liberum enim est voluntati, directione hâc, regulâ & præcepto positis, imperare intellectui, cui convenit definire, executionem definitionis in certa materia: undè cognitio Practica rectè dicitur ab Aristotele 3° de anima cap. 10°. Text. 5°. *principium operis*, id est, principium efficiendi suum objectum; & à D. Thoma q. 14. de verit. art. 4°. *Proxima regula operis*: puta per suam directionem eò quòd ipsâ positâ, &c.

PARAGRAPHVS III.

Quidnam sit Praxis.

RESOLVTIO.

C. DIco, Praxis (nisi moveatur quæstio de nomine) est quicumque actus, per Scientiam aliquam dirigibilis, sive intellectus sit, sive voluntatis, aut alterius potentiæ ab his distinctæ, ita Eximius P. Noster Bacho in 1^um^ Sent. q. 4. Prologi art. 2o §° 1°, ubi de operatione intellectus, de qua solùm est difficultas, ait, *Operatio practica (quæ vocatur praxis) accipitur pro omni operatione intellectus, quâ intellectus considerat scibilia ut operabilia*: Et §° 2° *propter alias authoritates Aristotelis & Commentatoris. 3. de anima, & 6. Metaph. & 6. Et hic, quæ dicunt, quòd voluntas est primum principium artificialium & operabilium, & ita videntur dicere, quòd prima Praxis est in voluntate. Ideo dico* (hîc Bachonis præcitati Solutio) *quòd dupliciter facit voluntas ad Praxim: uno modo antecedenter & dispositivè, & hoc est in generatione ipsius: alio modo consequenter & executivè, puta quando imperat aut eligit prosecutionem ejus, quod dictatum est: tunc dico 1°, quòd verum est, quòd istos duos actus attribuit Praxi: 2° dico, quòd neuter pertinet ad quidditatem Praxis.*

CI. Probatur, quia nullus actus rectè Praxis dicitur, nisi quatenus ex præsuppositâ regulatione aut directione intellectus, à voluntate, ut secundùm illam fiat, præcipi potest; atqui etiam actus intellectus, ut prudentiæ, studii, orationis mentalis, &c. à voluntate ut fiat, præcipi potest: cur enim minùs, quàm actus voluntatis, potentiæ loco-motivæ, visivæ, &c. ergò, &c. minor patet: major sumitur ex Aristotele 6°. Metaph. & alibi, ubi dicit *principium praxeos esse electionem*: & idem Bacho §° 2° citato *Praxis est secundùm electionem hominis operatio*, & paulò post, *Electio verò*, (ait Commentator) *est de duobus propositis judicium hominis hoc præ altero proponens*, ibi est præsuppositâ regulatio & directio intellectus; *Sequitur autem post electionem motus & impetus ad actum*; hic *voluntatis*, ut fiat secundùm istam intellectus regulationem, *imperium*. Quòd autem PP. Nostri Complut. Logic. Disp. 1ª. q. 6. dicant, argumentum, quo dicitur Praxim esse opus sive actum cujus principium est electio, esse indignum, cui Philosophus respondeat, non est satis dignum de tanti Doctoris & fratris dicto sentimentum; præsertim cum aliâ ratione non moveantur, quàm quòd probet *nullam dari Scientiam speculativam, quia omnes actus cujuscumque Scientiæ sunt imperio voluntatis*. Non enim dicit omnem actum factum imperio voluntatis esse practicum aut Scientiam practicam, sed *electum* sive *judicatum ex duobus propositis*, id est, regulatis, directis, &c. *præ alio*, ut consideranti patebit.

CII. Confirmatur 1°, quia non est, cur non æquè Scientia modum & regulas præscribat, secundùm quas fiat actus intellectus, quàm actus artis fabrilis, ergò, &c.

CIII. Confirmatur 2°, reverâ, si hic actus intellectus, *Homo est animal rationale*, spectetur quatenùs ab hoc actu Logicæ docentis, *Omnis definitio constare debet genere & differentiâ*, dirigitur, est Praxis;

xis; ut repræsentat suum objectum præcisè, est speculatio, ut patet, ergò, &c.

CIV. Objicies tamen, *Intellectus extensione fit practicus*; sed extensio est ad actus alterius potentiæ, ergò, &c.

CV. Respondeo negando minorem; quia extensio, etiam fit ad actus proprios non existentes, cum incipiunt existere, ut consideranti patebit: meliùs tamen dicitur intellectus extensione speculationis ad directionem operis fieri practicus. Ita præcitatus Bacho eodem loco: *ex hoc autem, quòd intellectus tendit in objectum considerando ipsum ut applicabile ad opus, dictando quid imitandum, & quid fugiendum, tali extensione fit practicus, & ita praxis completur omnino in intellectu.*

CVI. Instabis, actus intellectus sunt speculationes; ergò intellectus, extensione ad proprios actus, non fit practicus: probatur consequentia; quia per solam extensionem ad praxim fit practicus; speculationes verò non sunt praxes, ergò, &c.

CVII. Respondeo distinguendo majorem: actus intellectus sunt speculationes respectu proprii objecti, sive quà actus non tradentes præcepta & regulas, secundùm quas fieri debet (quomodò se habent præmissæ ad conclusionem) concedo antecedens: respectu alterius actus directi, sive quà actus tradentes suas præcepta regulas & secundùm quas fieri debet, nego antecedens; non enim video cur minùs unus actus intellectus per alium dirigi possit, quàm unus actus voluntatis per actum intellectus.

PARAGRAPHVS IV.

A quo fine Scientia aliqua dicatur Speculativa aut Practica.

CVIII. ANtè Resolutionem Nota Scientiæ alicujus esse duplicem finem; unum intrinsecum, & dicitur finis ipsius Scientiæ; quia scilicet Scientia per se & ex natura sua tendit in illum; quomodò frenifactoriæ artis finis intrinsecus est frenum: alterum extrinsecum, & dicitur finis scientis; quia scilicet sciens in illum refert suam Scientiam, ità frena-facientis finis extrinsecus est domare equos, victum lucrari, vel quidpiam simile, pro varia scientis intentione. Hoc præmisso, sit

Resolutio.

CIX. DIco, Scientiam dici speculativam, aut practicam, à fine intrinseco; tum quia ille unus, tum quia Scientia in illum ex natura sua tendit; alter verò multiplex & varius; & in illum Scientia non nisi per accidens tendit, ut consideranti patebit, ergò, &c.

PARAGRAPHVS V.

Quæ Scientia sit subalternans, & quæ subalternata:

Quæ subalternatio ad illas sufficiat, & quæ non sufficiat.

Resolutio I.

CX. DIco 1°, Scientia subalternans dicitur, à qua dependet altera; subalternata verò, quæ dependet ab altera: pro cujus intelligentia clariori,

CXI. Nota, tribus modis unam Scientiam posse ab altera dependere, sive alteri subalternari, juxtà Aristotelem 1°. Post. cap. 9°.

CXII. 1°. ratione finis, cum scilicet finis unius ordinatur ad finem alterius, sive cum finis unius continetur sub fine alterius: sic ars frenifactoria ordinatur ad equestrem, equestris ad militarem, &c.

CXIII. 2°. Ratione Principiorum, cum scilicet unius Scientiæ principia, sive præmissæ, demonstrantur in alia Scientia, sive sunt conclusiones alterius; ex quo rectè dicitur conformiter ad Aristotelem 1°. Post. Text. 100. Scientiam subalternatam se habere ad subalternantem; sicut demonstratio *quia* ad demonstrationem *propter quid*; nam sicut hujus principia (saltem 1ª, & immediata) in illa non demonstrantur, sed benè illius; ità subalternantis principia, in hac non demonstrantur, benè autem subalternatæ in subalternante.

CXIV. 3°. Ratione objecti, cum scilicet objectum unius contractum per aliquod accidens, continetur sub objecto alterius secundùm se sumpto.

Resolutio II.

CXV. DIco 2°, pro hac re confusissima, si quis singula minutatim velit discutere, ut notat P. Comptonus Disput. 19. de anima Sect. 2ª. Subalternatio ratione finis aut principiorum, non sufficit ad hoc, ut aliqua Scientia dicatur subalternata; sed requiritur ut sit subalternatio ratione objecti, sic ut objectum unius contractum per aliquod accidens, contineatur sub objecto alterius. Ità PP. Nostri Complutenses post multos alios. Log. Disp. 19. q. 1ª.

CXVI. Probatur, quia Scientia subalternata & subalternans debent plus quàm pars & pars ejusdem Scientiæ distingui; sed si dicta subordinatio sufficeret, non aliter distinguerentur, ut patet ex partibus Logicæ, quarum illa, quæ est de demonstratione per definitionem v.g. subalternatur quoad finem & principia, illi, quæ est de definitione, ergò, &c.

CXVII. Confirmatur, Scientia subalternata debet se habere ad subalternantem, sicut numerus sonorus ad numerum, sicut homo albus ad hominem, &c. sed hæc distinguuntur aliter, quàm fine & principiis intrinsecis, puta accidente super-addito, ergò, &c. minor patet, probatur major ex Aristotele 1°. Post. Textu 20. ubi docet, *Subjectum subalternatæ debere esse alterum à subjecto subalternantis.* Et lib. 2°. cap. 10. de Scientia subalternante, & subalternata loquens ait, *hujusmodi autem sunt, quæcumque sic se habent ad invicem, quod alterum sub altero est*; ly verò *alterum* importat solam distinctionem accidentalem, ut monuimus in Porphyrio. Ex his

CXVIII. Colliges, subalternationem ratione finis, principiorum & objecti, debere simul concurrere ad hoc, ut una Scientia dicatur subalternata, altera subalternans; cavendum tamen ne objectum subalternatæ dicatur; aut essentialiter diversum ab objecto subalternantis, quomodò se habet Scientia de homine ad Scientiam de animali; aut ità accidentaliter diversum, ut præcisè de accidente, per quod differt, aliquid demonstret; quia alioqui nulla esset subalternatio principiorum, sed principia

omninò diversa (ut consideranti patebit;) ac proindè essent Scientiæ omninò independentes & diversæ; sed differentia illa accidentalis non nisi debet se habere ut partiale objectum in demonstrationibus subalternatæ.

PARAGRAPHVS VI.

An Scientia subalternata sit vera & propriè dicta Scientia.

RESOLUTIO.

CXIX. DIco, in rigore, Scientia Subalternata est vera & propriè dicta Scientia.

CXX. Probatur, quia constat ex principiis veris & necessariis ex parte sua: ex eo verò, quòd illius principia in ipsa non demonstrentur, & non sit assecuratus intellectus de illis; solùm sequitur, illum ex parte sua dubitanter procedere, & quasi opinari; non tamen ex parte objecti, à quo & aliis principiorum ejus demonstrationibus totalem accipit assecurationem, quæ sola ad veram & propriè dictam Scientiam in rigore sufficit, ut Scientiæ definitionem consideranti patebit. Vndè potest quis habere veram Scientiam subalternatam, licèt subalternantem non habeat; sed solam fidem de principiis ejus, ut vel ex ipso D. Thoma 1ª. p. q. 1. art. 2°. patet, *Sicut musica credit principia sibi tradita ab Arithmetica: ità doctrina sacra credit principia revelata sibi à Deo.* Vide PP. Nostros Complutenses Disp. suprà citatâ quæst. 3ª.

CXXI. Dices fortè sequi, Scientiam ut sic, tunc quidem fore Scientiam, sed non constituere scientem, defectu certitudinis cognoscentis.

CXXII. Respondeo, disputationem esse de nomine, & dici debere constituere scientem, quà præcisè Scientiam illam habentem constituit; quà verò fidem & opinionem de principiis Scientiæ subalternantis, credentem & opinantem dumtaxat.

DVBIVM IV.

An Scientia Totalis sit qualitas simplex.

CXXIII. ANtè Resolutionem hujus quæstionis, *quæ*, ut notant Logic. Disput. 19. q. 4. Doctissimi PP. Nostri Complutenses, *Est inter difficiles difficillima, & in qua nobiliores Metaphysici post assiduam meditationem, longumque laborem, nihil undequaque satisfaciens inveniſſe se putant.*

CXXIV. Suppono 1°, Scientiam habitualem suprà num. 95. definitam, à Philosophis dividi in Totalem & Partialem: Partialis *est habitus alicujus conclusionis demonstrativæ:* Totalis *est collectio omnium habituum* (si dentur) *omnium conclusionum demonstrativarum istius Scientiæ.*

CXXV. Suppono 2°, dubium procedere de Scientia Totali habituali, ut v. g. de habitu totali inclinante, & facilitante intellectum ad omnes conclusiones alicujus Scientiæ actuales producendas: non verò de totali actuali, quam certum est apud omnes conflari ex omnibus conclusionibus demonstrativis alicujus Scientiæ actualibus, quæ, præterquam quòd numquam sint simul in eodem intellectu, sunt tot diversæ qualitates, quot sunt diversæ conclusiones.

CXXVI. Suppono 3°, dubium hoc procedere ex hypothesi, quòd dentur habitus à potentia & ejus transacto exercitio distincti, cujus contrarium nos in libris de Anima. His notatis, sit

RESOLUTIO.

CXXVII. DIco, Scientia Totalis habitualis, &c. non est qualitas simplex; sed aggregatum ex omnibus partialibus habitibus, unum per ordinem ad eundem habitum attributionis: ità Scotistæ post Subtilissimum Scotum q. 3. Prologi, & in 3ᵘᵐ Dist. 25. q. 2. item Nominales, Suarez, Hurtadus, &c. an autem sit unicus omnium scientiarum, an plures totales, patebit ex dubio sequenti.

CXXVIII. Probatur 1ª pars, quia si esset qualitas simplex, vel totus simul produceretur, vel successivè per partes: non 2ᵘᵐ, ut patet, quia inde sequitur intentum: neque etiam 1ᵘᵐ, quia alioqui per unum actum scientificum produceretur totus, & æquè facilitaret ad conclusiones specie diversas, quæ in eadem scientia reperiuntur, ac ad ejusdem speciei cum actu, à quo productus esset; quod est omninò contrà experientiam; ergò, &c.

CXXIX. Nec responderi potest 1°, facilitare quidem ad omnes; sed ità remissè, ut vix percipi possit: 2°, non facilitare ad actus specie diversos ab eo, à quo productus est, nisi ejus potentia ad illos actuetur per actus illis similes, per quos extendatur; eo ferè modo, quo non facilitat ad actus similes illi, à quo productus est, nisi ejus potentia ad illos actuetur per actus novos illi similes, per quos intendatur; licèt fuerit ibi totus, & solùm non totaliter actuatus, sive quoad extensionem, sive quoad intensionem.

CXXX. Contrà enim est 1°, quòd habitus communiter definiatur facilitas (sive remissa, sive intensa) ad actus similes iis, à quibus productus est; esset autem æquè ad dissimiles, ac ad similes: 2°, dicta actuatio omninò otiosa est, & superflua, si alios actus non comproducat cum priori, nec entitatem prioris habitus per additionem novæ entitatis confortet, & aliis actibus producendis proportionet, ut consideranti patebit: si verò id præstet, dicitur esse novus habitus superadditus: 3°, sequitur eundem habitum v. g. Logicæ æquè intensum ex hypothesi circà discursum, quàm circà definitionem eliciendam, simul intendi & remitti; sed hoc est absurdum, ergò, &c. minor probatur, quia Logicus continuò illum actuet per actus definitionum, intendetur (ut fatentur Adversarii;) totaliter cesset ab actibus discursuum & actuatione per illos, remittetur, ut patet, ergò, &c.

CXXXI. Objicies tamen ex P. Ioanne à S. Thoma Logic. q. 27. potentia intellectiva, visiva, &c. est una simplex qualitas, licèt se extendat ad actus specie diversos eliciendos; idem dic de habitu fidei, charitatis &c. ergò idem dici poterit de Scientia totali habituali.

CXXXII. Respondeo esse latam disparitatem; 1o, quòd illæ potentiæ dent simpliciter posse; illi verò habitus acquisiti, non nisi facilè posse. 2°, quòd illæ potentiæ & habitus infusi fidei, charitatis, &c. non sint semina suorum actuum, seu quòd à suis actibus non producantur, sicut habitus Scientiæ; sed potentiæ ab anima, & dicti habitus à Deo per infusionem producuntur: si verò ad actus specie diversos se extendere possint, id refundendum in particularem naturam principiorum communium

&c

& dantium facile posse, per experientiam vel aliundè nobis sufficienter notorum, à quibus sunt.

CXXXIII. Instabis cum eodem, quòd potentia, &c. non producatur à suis actibus, benè autem habitus Scientiæ, non est sufficiens disparitas, quia hoc non spectat ad rationem intrinsecam potentiæ vel habitus, à qua habetur, quòd ad actus specie diversos extendi possit; sed ad modum, quo producitur, quod impertinens est, ut id possit, vel non possit, ergò, &c.

CXXXIV. Respondeo negando antecedens, ad ejus probationem, Respondeo hoc quidem non spectare ad rationem intrinsecam potentiæ vel habitus; sed indè tamen rectè infertur, qualis sit intrinseca ratio potentiæ vel habitus; cùm enim aliundè sciatur semen non nisi per se plantas similes iis, à quibus decisum est, producere; rectè infertur habitus ab actibus productos, sive semina actuum, non nisi per se actus similes iis, à quibus producti sunt, producere: undè loquere proportionaliter de habitu temperantiæ, & de aliis habitibus intellectus ab actibus productis & acquisitis.

DVBIVM V.

An rectè assignentur plures Scientiæ, unæ, totales, habituales; & undè sumenda earum unitas.

CXXXV. SEnsus dubii est, undè habeatur, quòd Scientia totalis, v. g. Logica, sit una Scientia totalis distincta ab aliis: Pro quo, sit

RESOLUTIO I.

CXXXVI. DIco 1°, spectatâ authoritate Aristotelis, D. Thomæ, Scoti, Magistri nostri de Bachone & aliorum communiter, rectè assignantur plures Scientiæ, unæ totales habituales.

CXXXVII. Probatur, quia omnes illi Authores condistinguunt adæquatè Logicam à Physica; Medicinam, Arithmeticam & Theologiam inter se, ergò, &c.

CXXXVIII. Confirmatur, quia alioqui, vel tot admittendæ essent Scientiæ, unæ, totales, habituales, quot conclusiones particulares actuales diversæ speciei, à quibus producerentur; vel unica ab unico objecto formali *sub quo* intelligibilis, ut infrà patebit; 1^um^ tollit omnes Scientias dictas; 2^um^ verò confundit omnes scientias illas in unam intellectualem; quæ minùs apta sunt; ergò, &c.

RESOLUTIO II.

CXXXIX. DIco 2°, in rigore rationis, numerus scientiarum, unarum, totalium, habitualium, communiter recensitarum, non est admittendus.

CXL. Probatur 1°, quia non est undè sumatur earum unitas, ergò, &c. probatur assumptum, quia pro principio unitatis Scientiæ totalis habitualis assignabitur; vel ipsa ratio intelligibilis aut scibilis in genere; vel aliquid rationi intelligibili aut scibili in genere subordinatum; sed neutrum in rigore rationis assignari potest; ergò, &c. probatur minor pro 1ª parte; quia alioqui, sicut illa ratio est unica & ultima, ità daretur unica Scientia totalis habitualis ab objecto suo dicta intellectualis. Probatur etiam pro 2ª parte, quia cum infinita assignari possint objecta rationi intelligibili in genere subordinata, non est in quo ex natura rei sisteretur; ergò, &c.

CXLI. Confirmatur, eodem modo se habent omnes Scientiæ communiter dictæ, unæ, totales, habituales, ad Scientiam intellectualem totalem habitualem, sicut se habent Regna ad Mundum aggregabilem totalem; sed in rigore rationis non admittitur numerus Mundorum totalium ex Regnis; ergò nec admitti debet in rigore numerus scientiarum, unarum, totalium, habitualium, ex communiter recensitis scientiis.

CXLII. Objicies tamen 1o, cum Thomistis, unitas scientiarum totalium habitualium sumitur ab objecto earum adæquato, secundùm abstractionem ab objectis aliarum scientiarum; ergò est assignabile principium, undè sumatur earum unitas.

CXLIII. Respondeo negando antecedens, quia in eo supponitur falsum, videlicet dari objectum adæquatum scientiarum totalium habitualium, secundùm abstractionem ab objectis aliarum scientiarum; quod tamen non est assignabile præter quodlibet objectum cujuslibet Scientiæ particularis; unde abrogantur omnes Scientiæ totales habituales; vel præter aliquod intelligibile rationi communi intelligibilis subordinatum, quod esse non potest objectum Scientiæ unius totalis habitualis adæquatum, per abstractionem ab objecto Scientiæ totalis intellectualis habitualis, quia quodcumq; in eo inadæquatè includitur, vel potius, quia illud est genus ad aliud quodcumque, ut consideranti patebit: Deindè abstrahas quantumvis objectum unius Scientiæ ab objectis aliarum scientiarum totalium, semper potero illud includere in objecto alterius Scientiæ totalis habitualis; quæ enim repugnantia ex natura ipsorum objectorum? quid enim impedit, quò minus objectum adæquatum Logicæ, quod communiter dicitur esse tres mentis operationes ut dirigibiles, includam in objecto Scientiæ Animasticæ, dicendo hanc Scientiam habere pro objecto tres mentis operationes ut dirigibiles, & ab anima vitaliter producibiles; & sic Scientia Logica includi poterit in Scientia Animastica.

CXLIV. Objicies 2°, cùm communi, unitas scientiarum totalium habitualium sumitur ab objecto formali ipsarum; sed plurimæ sunt, quæ habent objecta formalia diversa; ergò, &c.

CXLV. Respondeo negando antecedens: vel enim sermo est de objecto formali *quod*, vel *propter quod*, vel *sub quo*? non 1^um^, quia, cum illud sit prædicatum conclusionis scientificæ, tot essent Scientiæ totales, quot diversæ conclusiones scientificæ, quod nullus admiserit: neque etiam 2^um^, quia, cùm illud sit ipsæ præmissæ formales, tot essent Scientiæ totales, quot demonstrationes, quod etiam nullus admiserit: neque 3^um^, quia, vel ipsum objectum formale *sub quo* est ipsa intelligibilitas seu scibilitas generica objecti materialis? & hoc non; quia sicut illa est unica & ultima, ità diceretur unica

Scientia totalis habitualis, ut sæpè repetitum est; vel aliqua ratio intelligibilis seu scibilis illi subordinata, & sic non faceret Scientiam totalem habitualem, sed dictæ totali intellectuali subordinatam, ab eaque inadæquatè dumtaxat distinctam, ut consideranti patebit.

CXLVI. Objicies 3°, unitas scientiarum habitualium totalium sumitur ab objecto attributionis, ergò, &c.

CXLVII. Respondeo negando antecedens; semper enim est eadem solutio, quia supponitur falsum; videlicet cuilibet Scientiæ assignari posse objectum attributionis adæquatè distinctum ab objecto cujuslibet alterius Scientiæ totalis habitualis; cùm tamen omne, quod assignatur, utpotè subordinatum intelligibili, sit respectu illius objectum attributum; ac proindè non sit ratio, cur in ipso potius sistatur, quàm in quolibet eorum, quæ sunt attributa respectu ipsius, ergò, &c.

CXLVIII. Objicies 4°, Logica à Physica, Physica à Medicina, & Medicina ab Arithmetica totaliter & adæquatè distinguitur; ergò dantur Scientiæ totales: probatur consequentia, quia illæ sunt Scientiæ.

CXLIX. Respondeo negando consequentiam, ad ejus probationem distinguo assumptum, sunt Scientiæ partiales, concedo assumptum; totales, nego assumptum: eodem enim modo se habent ad invicem & Scientiam totalem intellectualem, sicut in omnium sententia se habent conclusiones partiales inter se & Scientiam totalem. Vndè quandò Sanctus Thomas 1ª. p. q. 1ª. art. 1°. ad 2^um^. ait, *Diversa ratio cognoscibilis diversitatem scientiarum inducit*, loquitur de scientiis partialibus, Astrologia, Physica, &c. quæ, juxtà hanc à rigore rationis Resolutionem, sunt partiales. Ex his

CL. Colliges in rigore dicendum, vel cum Nominalibus teste Soto in Proëmialibus Logicæ q. 3. & Masio ibidem Sect. 1. q. 15. tot esse Scientias totales habituales, quot simplices habitus conclusionum actualium specie diversarum; vel cum Ægidio 1. Metaph. q. 22. & Mirandulano lib. 13°. de eversione singularis certaminis Sect. 6. & 7. quos refert Suarez Disput. 1ª. Metaph. Sect. 2ª. unicam illam esse agnoscendam, quam sæpè vocavimus *Scientiam totalem habitualem intellectualem* ab objecto suo formali *sub quo*, intelligibilitate scilicet, quæ objecta omnium aliarum Scientiarum sub se comprehendit, instar generis species. Cùm verò PP. Arriaga, Oviedo, &c. docent unitatem Scientiæ totalis habitualis sumi ex natura rei, juxtà quam habitus unius Scientiæ potius exigunt sibi invicem conjungi, quàm cum aliis, rem nostram agunt; quia illi habitus ut particulares non exigunt sibi conjungi magis quàm aliarum scientiarum habitus illis: quis enim dicet hos Logicæ habitus ex natura sua exigere sibi invicem conjungi, *Divisum latiùs patet suo membro dividente, definitio debet esse clarior definito?* nullus: undè exigunt tantùm sibi conjungi, quia habent idem objectum formale *sub quo*; cui convenit, sicut & omnibus objectis omnium scientiarum totalium, esse objectum *sub quo* attributum respectu intelligibilitatis objecti attributionis dictæ Scientiæ totalis intellectualis; undè ulterius dici debent Scientiæ partiales & subordinatæ isti prædictæ totali.

DVBIVM VI.

Vndè sumenda unitas & diversitas Scientiæ actualis partialis.

ANtè Resolutionem

CLI. Suppono dubium procedere de unitate & diversitate specifica; de numerica enim in Metaph. hoc supposito, sit

RESOLUTIO.

CLII. DIco, stando in communi Philosophorum sensu (quid enim stando in ratione dicendum, statuetur in Physica) Scientia actualis specificatur ab objecto suo materiali, formali *quod*, & *propter quod*, id est, à subjecto, prædicato conclusionis & præmissis, sive medio, ità ut, uno ex illis specie mutato, sit diversæ speciei; iisdem verò consistentibus, ejusdem speciei.

CLIII. Probatur, quia conclusio scientifica actualis, sive Scientia actualis est essentialis expressio sive repræsentatio sui objecti; sed illa omnia exprimit & repræsentat in actu signato; ergò uno ex illis specie mutato est diversæ speciei, & iisdem consistentibus, ejusdem. Hinc

CLIV. Colliges hoc Axioma, *Scientia actualis specificatur ab objecto formali*, non esse intelligendum cum particula exclusiva *tantùm*; quasi ab illo tantùm specificaretur; sed anthonomasticè, eò quòd ab eo excellentiùs, quàm à cæteris specificetur.

CLV. Objicies tamen, si Scientia actualis specificetur ab illis omnibus, poterit simul esse naturalis & supernaturalis in substantia; sed hoc est absurdum; ergò, &c. probatur sequela majoris; quia si inferatur conclusio scientifica ex una præmissa naturali, & altera supernaturali in substantia; illa erit naturalis, in quantum in actu signato attinget objectum naturale in substantia; & erit supernaturalis, in quantum attinget in actu signato objectum supernaturale in substantia; ergò, &c.

CLVI. Respondeo 1°, hoc argumentum magis esse Theologicum, quàm Philosophicum; non enim uno verbo ostenditur dari aliquid absolutè supernaturale in substantia sic ut nulli creaturarum, saltem possibilium sit naturale, & oppositum, ut certius defendemus in Theologia: neque si detur, facile dicitur à quo sumenda sit ejus supernaturalitas, an à subjecto in quo recipitur, si forma? an à principio supernaturali adæquato, vel inadæquato à quo ipsa producitur? an ab objecto materiali, formali *quod* vel *propter quod*, si actus?

CLVII. Respondeo 2°, in forma, negando majorem, ad ejus probationem Respondeo illam conclusionem fore supernaturalem in substantia, quæ producetur à principio (saltem inadæquato) supernaturali in substantia; naturalem verò, si ab adæquato naturali: cùm enim actus supernaturalis in substantia attingere possit objectum naturale materiale, formale *quod & propter quod*; & naturalis in substantia objectum supernaturale materiale, formale *quod* & propter *quod*, ut constat à pari, ex eo, quòd actus spiritualis possit

sit attingere objectum materiale spirituale in substantia, inter quæ non est major proportio; supernaturalitas necessariò petenda est à principio (saltem inadæquato supernaturali) naturalitas à principio adæquato naturali; quia non est undè aliundè petatur, maximè, cum subjectum istorum entium supernaturalium, v. g. intellectus, voluntas, anima, &c. sit indifferens, ut entia naturalia, vel supernaturalia in substantia producat vel recipiat; ut patet in actibus fidei, Spei & Charitatis, qui ab omnibus habentur supernaturales in substantia, & tamen à principio supernaturali, inadæquato dumtaxat, producuntur, & inadæquato naturali, videlicet intellectu, voluntate, anima, &c.

CLVIII. Instabis, *Actus specificantur ab objecto*, ergò, &c.

CLIX. Respondeo distinguendo istud Axioma; *Actus specificantur ab objecto* secundùm aliquam rationem specificam, videlicet in ratione actus ut actus diversæ speciei, transeat, de illo enim specialiter in Physica: secundùm omnem rationem specificam, videlicet in ratione actus ut speciei entis supernaturalis, vel naturalis, nego: non enim est major ratio, cur actus hanc speciem ab objecto sumant, quàm speciem substantiæ & accidentis, spiritualis & materialis, &c. quam ab illo non sumunt, ut consideranti patebit.

DISPVTATIO TERTIA

De Opinione, errore, & fide.

DVBIVM I.

Quid Opinio, & quæ formido sit ei essentialis.

RESOLVTIO I.

CLX. DIco 1°, Opinio est judicium incertum & inevidens, cum formidine actuali vel virtuali de opposito.

QVÆSTIVNCVLA I.

An Incertitudo, quæ est de essentia Opinionis sit quidpiam negativum.

CLXI. REspondeo negativè, quia nihil aliud est, quàm debilitas & infirmitas ipsius judicii opinativi, admittentis dubium aliquod, ne fortè contrarium sit verum: certum autem est, quòd tale judicium, à quo debilitas & infirmitas illa non distinguitur, sit positivum; commodè tamen explicatur illa incertitudo per negationem certitudinis ad Scientiam requisitæ, quasi diceretur, non est tanta certitudo, ac ad Scientiam requiritur.

QVÆSTIVNCVLA II.

Quid formido actualis & virtualis, in quas formido secatur.

ANtè Responsionem

CLXII. Suppono formidinem hîc sumi pro actu intellectus, non autem pro actu voluntatis, ut propriè sumi solet. Hoc notato

CLXIII. Respondeo formidinem actualem (quæ etiam dicitur formalis & formido in actu 2°) esse judicium reflexum, sive quo intellectus reflectens suprà judicium suum incertum & inevidens, judicat expressè oppositum fortè esse verum, ut v. g. si, cum judicavi omnem matrem diligere filium, reflectens suprà hoc judicium expressè judicem, aliquam fortè esse, quæ filium non diligat.

CLXIV. Virtualis autem (quæ radicalis & in actu 1°, etiam dicitur) non est aliud, quàm ipsemet actus opinativus, tam debilis & infirmus, ut si intellectus suprà illum reflecteret, judicaret expressè oppositum fortè esse verum; hæc autem formido virtualis confunditur cum incertitudine positiva, de qua ante num. 158.

QVÆSTIVNCVLA III.

Vndè oriatur incertitudo & formido.

CLXV. REsp. objectivâ oriri ex mutabilitate, seu fallibilitate objecti; cùm scilicet objectum est contingens & non necessariam terminorũ connexionem importans, sed talem, ut possit esse & non esse; formalem verò esse illam, quæ se tenet ex parte intellectus præcisè, ex eo videlicet, quòd intellectus assentiatur conclusioni objectivæ, vel necessariæ, per medium quidem necessarium, sed putans tantùm esse probabile; vel probabili propter medium probabile cognitum tale; nam, ut suprà insinuatum est, medium conclusionis scientificæ debet cognosci ut necessarium, ad hoc ut conclusio sit certa ex parte intellectus, sive formaliter.

RESOLVTIO II.

CLXVI. DIco 2°, sola formido virtualis est essentialis Opinioni, non actualis.

CLXVII. Probatur 1°, pro 2ª parte (nam 1ª pars patet) quia datur Opinio sinè formidine actuali, ut cum assentior conclusioni probabili nihil expressè cogitando de opposito, an fortè non sit verum; ergò, &c. antecedens experientiâ notum est, & conforme Aristoteli Topic. 3°. cap. 3. ubi asserit, *Nonnullos per Opinionem dubitare*, ac proindè è contra, nonnullos non dubitare, scilicet actualiter.

CLXVIII. Probatur 2°, actus, qui differunt objectis, distinguuntur realiter; sed aliud est objectum Opinionis, aliud formidinis actualis; ergò, &c. probatur minor, nam objectum Opinionis est, v. g. *Omnis mater diligit filium*, objectum verò formidinis actualis est, *Fortè verum est esse aliquam matrem, quæ non diligat filium*, vel *fortè falsum est, omnem matrem diligere filium*; sed hæc objecta sunt diversa; ergò, &c.

CLXIX. Probatur 3°, actus directus & reflexus de eodem objecto realiter distinguuntur; sed Opinio & formido actualis se habent instar actus directi & reflexi; ergò, &c.

DVBIVM

DVBIVM II.

Quid sit fides, & error.

Resolutio I.

CLXX. Dico 1°, fides actualis est *assensus propter authoritatem revelantis*: est autem duplex, Divina sive supernaturalis, & humana sive naturalis: Divina est *assensus propter authoritatem Dei revelantis*; humana *propter hominis*: hinc ad fidem duo requiruntur, 1o, ut quis dicat: 2°, ut qui dicit sit, vel habeatur verax, quia nulla est mendacis (ut Dæmonis v. g. qui *pater mendacii* dicitur) authoritas; undè fides tantò est certior, quantò major veracitas dicentis: cum autem veracitas Dei sit major omni certitudine naturali, fides Divina est certior (licèt minùs evidens) omni Scientiâ naturali; & cùm veritas hominis sit fallibilis, tantò fides humana est incertior, quantò veracitas hominis narrantis est minor.

CLXXI. Adde 1°, omnem fidem esse obscuram, quia nititur medio sive ratione formali extrinsecà objecto, cui per fidem assentior, scilicet authoritate Dei revelantis, vel hominis narrantis; quandoque tamen dicitur clara in attestante, cum scilicet revelantem aut narrantem videmus, vel audimus; sed hoc solùm est objectum obscurè cognoscere in alio clarè & evidenter cognito ut patet.

XLXXII. Adde 2°, fidem humanam ab opinione solùm distingui, ut minùs & magis commune, ut speciem & genus; nam omnis actus fidei humanæ est opinio, non è converso: utriusque enim medium est tantùm probabile & contingens.

Resolutio II.

CLXXIII. Dico 2°, error actualis est *actus elicitus ex motivo erroneo; sive falso, licèt apparenter vero.*

DVBIVM III.

An actualis scientia, fides humana, opinio & error de eodem objecto possint esse simul in eodem intellectu, cum formidine actuali de opposito, & in eundem actum coalescere.

Resolutio I.

CLXXIV. Dico 1°, actualis Scientia, fides humana, opinio & error de eodem objecto totali, non possunt esse simul in intellectu; juxtà hanc Resolutionem intelligi debet Aristoteles hîc lib. 1°. cap. 26. dum ait, *Ex his autem emergit fieri non posse, ut simul idem opinetur quisquam, ac sciat*, &c. nec plus videtur intendere D. Thomas in 1um Post. lect. 44. ubi ait: *Manifestum est, quòd non contingit omnino* (nota) *simul idem sciri & opinari*, &c. nè autem putes hanc vanam esse nostram observantiam, audi quod habet 2.2.q. 1. art. 5° ad 4um, *Dicendum, quòd sicut Philosophus ibidem dicit* (puta lib. 1° Post. cap. 26.) *à diversis hominibus de eodem omninò potest haberi Scientia & opinio*: juxtà hunc sensum, ipsum aliis in locis intelliges.

CLXXV. Probatur, quia nullo casu habent idem objectum totale, ergò, &c. probatur antecedens, actualis Scientia, fides humana, &c. non solùm attingunt objectum conclusionis, quod potest esse idem; sed medium & objecta præmissarum, quæ non possunt esse idem, ut consideranti patebit, ergò, &c.

Resolutio II.

CLXXVI. Dico 2°, actualis Scientia, fides humana, opinio & error de eodè objecto totali conclusionis simul esse possunt naturaliter in intellectu, etiam cũ formidine actuali de opposito: quoad Scientiam, fidem & opinionem Plurimorum est apud P. Comptonum Log. Disp. 50. ut Bonaventuræ, Halensis: Henric. Magistri Nostri Bachonis, Ochami, Gabriëlis & aliorum Nominalium; Suarez, Hurtadi, Arriagæ, imo etiam D. Thomæ 1. 2. q. 67. art. 3o in Corp. & 3. p. q. 7. art. 3°. ad 2um, &c. quoad reliqua pauciorum: quia tamen videtur per necessariam consequentiam indè deduci, ut profundè notant PP. nostri Complutenses Logic. Disp. 20. q. 4. Paragraph. 1°. de his simul idem hîc resolvimus, cum Serna Logic. Disp. 4. Sect. 3. q. 3. Valentia 2. 2. Disp. 1. q. 1. p. 4. & aliis apud P. Telles Log. Disp. 19.

CLXXVII. Prob. 1°. illi actus inter se naturaliter non repugnant, ergò, &c. Prob. antecedens; quia si repugnarent, maximè repugnarent ex parte sua, vel ex parte potentiæ; sed neutra ex parte repugnant; ergò, &c.

CLXXVIII. Probatur minor pro 1ª parte; quia omnes illi sunt positivi; nec modo contradictorio in idem objectum totale conclusionis tendunt, videlicet ut affirmatio & negatio illius; sed ferè eodem modo se habent ad invicem, sicut majus & minus lumen inter se respectu aëris, ratione quorum aër dicitur clarus & obscurus (idem dic de albedine & dulcedine respectu pomi, quod ratione albedinis dicitur visibile, ratione dulcedinis invisibile, videlicet positivè) sed majus & minus lumen non repugnant in eodem indivisibili aëre, ergò, &c.

CLXXIX. Probatur minor pro 2ª parte, quia dicti actus ex parte potentiæ, videlicet intellectus, non magis repugnant, quàm cognitio perfecta ut judicium, & imperfecta ut apprehensio; vel quàm ex parte animæ potentia perfectior ut intellectiva, & imperfectior ut sensitiva; vel denique potiùs, quàm identitas potentiæ scitivæ, opinativæ, creditivæ, errativæ, formidativæ, &c. cùm intellectu; sed hæc non repugnant ex parte intellectus, ergò, &c.

CLXXX. Confirmatur, hi omnes actus possunt in unum coalescere, non obstante formidine actuali de opposito, uti Resolutione 3ª patebit, ergò, &c.

CLXXXI. Objicies 1°. licèt isti actus ex parte sua, aut potentiæ, non repugnarent; repugnant tamen ex parte objecti; ergò Resolutio nulla.

CLXXXII. Probatur antecedens 1°, quia objectum Scientiæ est certum & verum; opinionis verò & fidei incertum, erroris falsum; sed certum & incertum, verum & falsum, non minùs repugnant, quàm lux & tenebræ, ergò, &c.

CLXXXIII. Probatur antecedens 2°, objectum Scientiæ est, *Homo est animal*, v. g. *quia est sensitivus*; opinionis & fidei, *quia Philosophus quidam dixit*; erroris, *quia constat animâ corporeâ sensitivâ*; formidinis actualis, *Fortè non est animal, quia dictum Philosophi est fallibile, & motivum hoc, quia constat animâ corporeâ sensitivâ falsum*; sed *homo est animal, fortè homo non est animal*, opponuntur contradictoriè, ergò, &c.

CLXXXIV. Resp. negando antecedens, ad ejus proba-

probationem 1ᵃᵐ. Resp. distinguendo majorem pro 2ª parte. Objectum opinionis & fidei est incertum positivè, eo modo, quo dulcedo est invisibilis, concedo majorem; incertum negativè, ita ut sit negatio certitudinis, nego majorem: hoc autem modo incertum dumtaxat, contradictoriè repugnat cum certo: Item distinguo pro 3ª parte, objectum erroris est falsum, falsitate objecti sui materialis, nego majorem, quia illud reverâ est, sicut dicitur esse; falsitate motivi in se, concedo majorem; verùm illud non opponitur objectivè contradictoriè motivis Scientiæ, opinionis & fidei, quia hæc non important, *Homo est animal quia non constat animâ corporeâ sensitivâ*, ut patet, quod importarè deberent: undè ulterius Minor hoc modo distingui potest: certum & incertum negativè repugnant, concedo minorem; certum & incertum positivè, nego minorem; hæc enim non magis repugnant, quàm rationale & irrationale positivè sumptum pro bruto, apprehensivum & judicativum, majus lumen & minus lumen, &c. Item verum & falsum repugnant respectu ejusdem, concedo minorem; verum veritate objecti materialis, & falsum falsitate objecti formalis *propter quod*, sive motivi, nego minorem; hæc enim non magis repugnant, quàm intellectum assentiri objecto sicuti est, propter errorem putatum veritatem. Vnde patet illa non repugnare, sicut lux & tenebræ repugnant; sed convenire, ut majus & minus lumen diversæ rationis, judicium & apprehensio, &c.

CLXXXV. Nec dicas cum PP. Nostris Complutensibus Logic. Disp. 20. q. 4. Paragraph. 1°. *Assensus opinativus ex intrinseca imperfectione sua intimè habet annexam inevidentiam & obscuritatem, sicut Scientia claritatem.*

CLXXXVI. Respondeo 1°, id retorquendo in dulcedinem pomi, quæ, eo modo, quo opinio inevidentiam, invisibilitatem annexam habet; & tamen simul stat cum colore pomi naturaliter.

CLXXXVII. Respondeo 2°. inevidentiam negativam non aliter esse intrinsecam opinioni, quàm irrationalitas negativa bruto, aut quàm inillativitas judicio præmissarum; hæc autem non sic est illis intrinseca, ut simul naturaliter non consistant, ut omnes fatentur.

CLXXXVIII. Resp. 3°, inevidentiam illam debere esse negationem, vel evidentiæ actus scientifici actui opinionis extrinsecæ, vel evidentiæ actus opinionis ipsi actui opinionis intrinsecæ? si opinionis, patet quòd simul naturaliter stare possit cum evidentia actus scientifici, quia in hoc actu est talis evidentiæ negatio; si actus scientifici, vel non repugnat cum actu scientifico, quandoquidem sit in alio actu sive subjecto, vel, si repugnet, etiam in diversis hominibus repugnabunt Scientia & opinio, quod est certò falsum.

CLXXXIX. Ad probationem verò 2ᵃᵐ, antecedentis objectionis 1æ, Respondeo negando minorem; quia quæ opponuntur contradictoriè non possunt esse simul vera; *Est autem*, &, *fortè non est*, possunt esse simul vera; quia quælibet opinio ità est vera, ut fortè sit falsa; imò opinionem fortè esse falsam, necessariò verum est; ac proindè, qui dicit de objecto opinionis *est*, &, *fortè non est*, necessariò verum dicit.

CXC. Instabis, à parte rei *Roma stat* & *fortè Roma non stat*, sunt contradictoriè opposita; ergò similiter *homo est animal*, & *fortè homo non est animal*. Probatur antecedens, quia à parte rei *quodlibet est*, vel *non est*, ergò, &c.

CXCI. Respondeo negando antecedens; ad probationem ejus distinguo antecedens; à parte rei *quodlibet est* vel *non est*, prout ab homine dicitur esse vel non esse, nego antecedens: quia alioqui dicto hominis vero, *quòd Roma stat*, vel *quòd Roma non stat*, non posset falsum subesse, illud non esset fortè falsum, &c. absolutè loquendo, concedo antecedens; sed advertendum, nec opinionem, nec formidinem actualem natam illam sequi, tendere in objectum suum absolutè, quatenus in se & à parte rei tale, sed quatenùs tale est, ut subest tali vel tali motivo probabili, quod, sicut ità est verum, ut fortè non sit verum; sic etiam objectum opinionis & formidinis dictæ, ità est, ut fortè non sit, prout ex illo motivo infertur esse; undè opinio, & formido actualis nata ex illa sequi, non magis contradictoriè opponuntur, etiam objectivè, quàm hi duo actus, *Roma stat, quia id Petrus dicit; fortè Roma non stat, quia dicto Petri falsum subesse potest*, sive *quia dictum Petri fortè non est verum*; qui duo actus æquivalent huic, *Probabile est Romam stare*; qui actus est formaliter simplex & possibilis naturaliter.

CXCII. Vrgebis, assensus & dissensus de eodem objecto non possunt esse simul in intellectu; sed opinio est assensus, & formido actualis dissensus, ergò, &c. Probatur minor, quia opinio dicit *Roma stat, quia id Petrus dicit*: formido verò actualis dicit *fortè Roma non stat, quia dicto Petri falsum subesse potest*; ergò, &c.

CXCIII. Respondeo distinguendo antecedens, assensus & dissensus non illati sive præmissarum de eodem objecto, non possunt esse simul in intellectu, concedo antecedens; illati seu consequentis formaliter sumpti ex diversis mediis, nego antecedens; quia non magis repugnant, quàm illa media: cur enim non possem assentiri huic Propositioni, *Roma stat, quia id Petrus dicit, quem novi esse veracem*, & dissentiri eidem, *Quia Paulus dicit, Roma stat, quem continuâ experientiâ probo mendacem?* non illati igitur de eodem objecto simul esse non possunt in eodem intellectu, quia assensus absolutè dicit *est*, dissensus absolutè *non est*; *est* verò absolutè, & *non est* absolutè, repugnant contradictoriè; illati autem possunt, quia non dicunt absolutè *est*, & absolutè *non est*; sed prout v. g. à tali, vel tali homine, *esse*, vel *non esse* dicitur; ac proindè non repugnant contradictoriè, magis, quàm dicta talis & talis hominis, quorum utrumque est affirmativum, *Roma stat*. Hinc

CXCIV. Sequitur apertè, cum Scientia, fide humana, opinione & errore, non solùm stare naturaliter formidinem actualem, sed etiam formalem dissensum cum assensu de eodem objecto propter diversa media: undè etiam omnino dicendum, affirmationem & negationem de eodem absolutè non illato, sive etiam de eodem per idem medium illato, esse quidem contradictoria objectivè; non autem de illato ex diversis mediis.

CXCV. Objicies 2°, illi actus sunt incompossibiles in eodem subjecto, ex quibus nati sunt sequi effectus oppositi; atqui ex Scientia, nata est sequi securitas, quæ opponitur formidini actuali; ergò, &c.

Respon-

CLXXXXVI. Respondeo 1°. retorquendo argumentum in voluntatem, v.g. voluntas enim secundùm te, non est sibi ipsi opposita; ex ea tamen natum est sequi odium & amor; item, nec intellectus est sibi ipsi oppositus; ex eo tamen nati sunt sequi effectus oppositi, scilicet assensus & dissensus non illati, affirmatio & negatio, &c. deinde ex luce natus est sequi calor, ex vi infrigidante frigus; nec tamen illa duo incompossibilia sunt in eodem astro, ut ostenditur in libris de cœlo.

CLXXXXVII. Respondeo 2°. negando minorem pro 2ª parte; nam securitas non opponitur formidini actuali, magis, quàm Scientia opinioni, quæ sunt securitas virtualis, & formido virtualis: si enim forma ignis & aquæ sese in eodem subjecto compaterentur, non esset cur calor & frigus sese in eodem non compaterentur.

CLXXXXVIII. Objicies 3°, omnes experimur nos non posse expresè dubitare aut formidare de objecto evidenter cognito, & multò minùs circà illud errare; ergò non possunt simul stare in intellectu scientia, fides, opinio & error. Probatur antecedens, quia nullus dubitat expresè aut formidat, &c. de existentia diei, quam videt esse; ergò, &c.

CLXXXXIX. Respondeo, distinguendo antecedens, experimur nos non posse expresè dubitare aut formidare de objecto evidenter cognito, quatenus infertur ex præmissis evidentibus, concedo antecedens; quatenus infertur ex præmissis dubiis, formidolosis & inevidentibus, nego antecedens; quia enim in conclusionem non tendimus ut in se, sed ut subest tali motivo & præmissis; ideò non minùs possumus de illa expresè dubitare aut formidare, quàm de motivo & præmissis.

CC. Objicies 4°. *Fides est argumentum rerum non apparentium* ad Hebræos 11°. ergò non stat simul cum Scientia de eodem objecto: probatur consequentia, quia alioqui è contrà esset rerum apparentium evidenter.

CCI. Respondeo, admittendo verba Scripturæ, & dico eorum hunc esse sensum, *Fides est argumentum rerum non apparentium* ex motivo fidei; non verò rerum non apparentium ex motivo Scientiæ; sic enim Diva Virgo fide Divinâ credebat se esse virginem ex motivo Dei revelantis obscuro, & non apparente; & id ipsum sciebat ex motivo Scientiæ, experientiâ scilicet sui ipsius.

CCII. Objicies tamen 5°, Aristoteles hîc lib. 1°. cap. 26. ait: *Opinio namque & Scientia non omnino ejusdem est.* Et infrà, *Ex his autem emergit fieri non posse, ut simul idem opinetur quisquam ac sciat: nam simul existimationem habet, & aliter, & non aliter, idem sese habere; quod quidem fieri nequit.* Hancque doctrinam perpetuò sequitur D. Thomas Moral. q. 22. art. 5°. ad 4ᵘᵐ, ergò, &c.

CCIII. Respondeo, Aristotelem & D. Thomam intelligi debere de eodem objecto totali, sic ut comprehendat objectum conclusionis & præmissarum, ut suprà Resolutione 1ª diximus; quia per actum conclusionis semper attingi præmissas objectivas, suprà fusè probatum est; si verò non attingerentur, sed solùm objectum conclusionis ut in se est (quod hîc malè supponunt profundissimi alioqui PP. nostri Complutenses) facilè me in oppositam sententiam inclinarem; modo conciliarent hæc, actum consequentis formaliter sumpti, scientificum, opinativum, &c. non attingere objecta præmissarum, & tamen distingui ab actu consequentis materialiter sumpti scientifico, opinativo, &c. undè patet ad fundamenta præcitatorum Complutensium, & aliorum Thomistarum.

Resolutio III.

CCIV. Dico 3°. actualis Scientia, opinio, fides & formido actualis, error, &c. de eodem objecto conclusionis possunt in eumdem actum coalescere.

CCV. Probatur, potest idem actus attingere diversa specie objecta sive materialia, sive formalia, non habentia in se oppositionem: atqui isti actus imprimis non habent oppositionem ex parte objecti materialis & formalis *quod*, quia supponitur esse unum & idem: 2°. neque ex parte formalium *propter quod*, ergò, &c. probatur hæc minor pro 2ª parte, quia Scientia dicit, *Homo est animal, quia est sensitivus*; opinio & fides humana *quia Philosophus dicit*; error *quia constat animâ corporeâ*; formido actualis *fortè non est, quia dictum Philosophi est fallibile, & falsum esse potest, & motivum erroris est falsum*; sed inter hæc nulla est oppositio, ut consideranti patebit, ergò, &c.

CCVI. Probatur major; tum in speciebus Angelicis universalibus; tum in cognitione intuitiva, quâ simul & semel cognosco aquam, pisces, terram & hominem, idque sub diversis motivis formalibus; quia in cognitione intuitiva, utpotè objecti in se, objectum formale & materiale non distinguuntur; ac proindè sicuti sunt diversa objecta in se, ità & motiva formalia, ergò, &c.

CCVII. Confirmatur, Scientia definitur *Actus illatus ex motivo necessario*; opinio & fides *ex motivo probabili dicentis*; error *ex motivo erroneo*; formido actualis *ex eo, quòd motivum opinionis & fidei sit fallibile, erroris falsum*, vix attendendo ad objectum conclusionis; sed idem actus, circà idem objectum conclusionis, potest inferri ex illis motivis, ut ex statim dictis patet; ergò possunt omnes illi actus in unum coalescere.

CCVIII. Objicies 1°. cum P. Oviedo de anim. Controv. 5ª. punct. 3°. actus idem non potest esse ex se evidens, & formido actualis; sed ille ex se esset evidens & formido actualis, ergò, &c. Probatur major, quia alioqui effectus ex se spiritualis, posset esse ex se spiritualis per ordinem ad principium spirituale, à quo produceretur, & ex se materialis per ordinem ad principium materiale, ex quo etiam inadæquatè produceretur; sed hoc dici non potest; ergò, &c. probatur 1ª minor, quia habet objectum materiale evidens, & deducitur ex motivo evidente: sequela majoris constat à pari.

CCIX. Respondeo, distinguendo majorem; actus idem non illatus formaliter, non potest esse ex se evidens & formido actualis, concedo majorem; ratio est, quia cum hic sit de objecto necessario, cui nullà ratione falsum subesse possit, non potest esse formido actualis, quæ esse debet de objecto contingente & fallibili; hic autem solùm est in se evidens independenter à motivo, sicut effectus spiritualis est spiritualis in se independenter à principio: actus idem illatus formaliter, non potest esse ex se evidens, & formido actualis, nego majorem; quia illatus ex se includit motivum, quod quia potest esse diversum evidens & inevidens, &c. potest etiam illatus actus ex se esse evidens & inevidens; quomodò etiam diceremus effectum ex se spiritualem simul etiam ex se esse materialem, si ex se includeret

cluderet principium spirituale & materiale, ut de homine constat.

ccx. Instabis ex eodem, sicut gymnasium luce à sole perfusum, non potest dici clarum à sole, & obscurum à cathedra, quæ lucem non dat; ita actus ille dici non debet clarus à motivo scientiæ, & obscurus sive inevidens à motivo fidei, erroneus à motivo erroris, & formidolosus à motivo formidinis actualis; quia hæc lucem non dant, sed omninò aliud.

ccxi. Respondeo inprimis esse disparitatem, quia scilicet sol & cathedra non sunt de essentia gymnasii, sicut dicta motiva sunt de essentia dicti actus; ut fiat ergò paritas, assumantur illius partes essentiales, v.g. lapides, & non lapides sive trabes; tunc sic retorqueo argumentum, sicut gymnasium potest esse lapideum & non lapideum positivè, prout scilicet constat ex trabibus; ita potest dictus actus esse evidens, & non evidens sive inevidens positivè, prout scilicet reducitur ex motivis opinionis, fidei, &c. 2°. stando in exemplo allato, non video cur gymnasium non possit dici simpliciter luce perfusum à sole, conformiter ad communem loquendi modum, & non luce perfusum positivè, cum addito *à cathedra*, quam continet & lucem non dat; & sic consequenter de illo actu dic simpliciter esse evidentem à motivo Scientiæ, & non evidentem sive inevidentem positivè *cum addito à motivo opinionis, Fidei*, &c. quod evidentiam non dat: hæc enim purè spectant ad modum loquendi.

ccxii. Objicies 2°. idem actus non potest simul esse scientificus & erroneus, verus & falsus, clarus & obscurus; sed talis esset dictus actus; ergò, &c. Minor patet, quia esset scientificus, verus & clarus à motivo Scientiæ, erroneus & falsus à motivo erroris, obscurus à motivo Fidei, ergò, &c.

ccxiii. Respondeo ut antè: idem actus non illatus, vel illatus ex eodem motivo, non potest esse, &c. concedo majorem; illatus ex diversis dictis motivis, nego majorem; quia ille habet se instar duorum actuum, quorum unus tenderet in conclusionem objectivam eandem propter unum motivum, alius propter aliud; quæ nullam dicunt oppositionem; & eorum unus potest esse scientificus, alter erroneus, &c.

ccxiv. Objicies 3°, actus ille, nec est opinionis, nec Scientiæ, &c. sed 3ª cujusdam rationis, utpotè ex diversis motivis; sic enim mulus, utpotè ex diversis principiis, est diversæ speciei ab equo & asino.

ccxv. Respondeo esse disparitatem, in eo, quòd quandò generatur mulus non sint principia adæquata ad equum aut asinum generandum; quando autem ex illis motivis generatur unus actus, qui simul sit opinionis, scientiæ, &c. sint principia adæquata opinionis, scientiæ, &c. Deindè dic longè aliud esse de intentionalibus, quàm de Physicis; nam summè oppositа, unâ cognitione cognosci possunt, Physicè tamen in unum coire non possunt, ut omnes fatentur. Hîc tamen

ccxvi. Adverte me ubiq; locutum de fide humana; non quòd ex natura rei fides divina simul esse non possit in intellectu cum illis actibus, aut in eundem actum cum illis coalescere; quia in statu viæ interdum puto esse simul, & fortè in eundē actum coalescere, sed ne indè inferatur in Beatis remanere fidē, errorem, formidinemque actualem simul cum cognitione Dei intuitiva; quia putamus hæc ex conditione status beatifici simul esse non posse, licèt Physicam oppositionem, non secus ac illati ex diversis mediis, non habeant.

ccxvii. Objicies 4°. si Scientia actualis, opinio, fides, formido actualis, error, &c. possent in eundem actum coalescere; posset idem actus, ob diversa media, esse verus ac supernaturalis ex una parte, & falsus ac erroneus ex alia parte: sed hoc fieri non potest; ergò, &c. Major videtur legitimè sequi ex illa Resolutione, & solutionibus ad objectiones præcedentes: probatur minor, quia impossibilis est actus supernaturalis falsus, ut communiter docent Theologi, quia Deus infinitè bonus, non videtur ad actum falsum, erroneum, &c. specialem concursum præstare posse; quod tamen fieret, ergò, &c.

ccxviii. Respondeo Resolutionē nostram solùm militare, quoad conclusiones naturales; tum quia jam monuimus illam quoad fidem Divinam nihil concludere; tum quia, quoad conclusiones supernaturales, discussionem Theologis prudenter relinquimus; quamquam monere lubeat, opera supernaturalia, ut Sacram Communionem, Confessionem Sacramentalem, opera misericordiæ, &c. vitiari sæpius ex fine malo; Deum tamen, aut Dei infinitam bonitatem, fortè non dedecere, ad illa speciali & supernaturali modo concurrere; non quidem quatenus vitiantur; sed quatenus sunt Sacra Communio præcisè, Confessio Sacramentalis præcisè, &c. quibus consequenter fortè responderi posset, nil esse contrà Dei bonitatem, Deum concurrere speciali concursu ad actum fidei Divinæ supernaturalem & verum quatenus revelatione Divinâ nititur, & ad eundem fidei humanæ naturalem & erroneum aut falsum quatenus nititur dicto Petri v.g. quod audierit Deum id revelantem; sed malim, ut dixi, id Theologis discutiendum relinquere.

DISPVTATIO VLTIMA.

De habitu Logicæ.

DVBIVM I.

Quodnam sit objectum materiale Logicæ.

RESOLUTIO.

ccxix. DIco, objectum materiale Logicæ sunt voces, res, & tres mentis operationes; tribus hisce partibus collectivè sumptis, vix ullius sententia favere videtur, nisi fortè P. Fonsecæ, 2°. Met. cap. 3°. q. 1. divisim verò 1a pars est Nominalium, quam contrà Reales acutissimè suscitavit Okamus. 2a. plurimorum, qui Reales dicuntur, & nominatim PP. Ioannis à S. Thoma. Log. q. 1. art. 3°. qui pro illa citat D. Thomam. Merineri. Log. q. 4. procemiali. sect. 4. Poncii Log. Disp. 2a. q. 4. Concl. 2a. & 3a. Conimb. Suarez, Ruvii, Arriagæ, Hurtadi, Oviedi, Murciæ, Comptoni, &c. pro qua etiam stare videtur D. Thomas in principio librorum posteriorum, ubi sic habet, *ars*

quædam necessaria est, ut sit directiva ipsius actus rationis, per quam homo in ipso rationis actu ordinatè, faciliter, & sine errore procedat, & hæc est ars Logica, id est rationalis Scientia, quæ non solùm rationalis est, ex hoc, quòd est secundùm rationem, quod est omnibus artibus commune; sed etiam ex hoc, quòd est circa ipsum actum rationis, sicut circa propriam materiam.

ccxx. Probatur; quia objectum materiale Logicæ est id, circa quod versatur Logica, & de quo facit suas demonstrationes; atqui circà illa omnia (ut constat ex Porphyrio & Prædicamentis & libris Analyticis in quibus de propositione & Syllogismo vocali, reali & mentali) versatur, & de illis facit suas demonstrationes; dicere autem cum P. Comptono Disp. 3ª. Logic. Sect. 2ª. Aristotelem ibi ex parte Grammaticum egisse; est Philosophum ad Grammaticam remittere, & cœlum in terram detrudere: quis enim umquam vidit, tam doctum Grammaticum, qui definire Syllogismum, & vitia Syllogismi deprehendere sinè Logica posset? respondebit fortè, Logicam esse supplementum Grammaticæ; fateor, si admittat Theologiam, & sic de aliis Scientiis, esse supplementum Philosophiæ, Medicinam Physicæ, &c. quæ nullus admiserit, ergò, &c.

ccxxi. Confirmatur 1º, Logica, ut infrà patebit, est scientia practica; sed objectum materiale scientiæ practicæ, est id circà quod versatur modo practico, sive pro quo rectè formando tradit regulas & præcepta; ergò objectum materiale Logicæ sunt voces, res, & tres mentis operationes; probatur consequentia, quia de rectè formandis definitionibus vocalibus, realibus & mentalibus, propositionibus, & Syllogismis similibus, indifferenter præcepta & regulas tradit, sicut in Logica indifferenter fiunt: Item in Logica definitionem, propositionem & Syllogismum rectè dividi in vocalem, realem & mentalem, omninò clarum est, ergò, &c.

ccxxii. Confirmatur 2º. quia multa sunt præcepta Logicæ, quæ vel solis vocibus conveniunt, ut *quòd definitio debeat idem significare, quod definitum*; vel solis rebus, ut *quòd definitio debeat converti cum definito*; vel quod solis conceptibus, ut *quòd Syllogismus, qui gignit scientiam formalem, debeat constare ex necessariis Præmissis*, ergò, &c.

ccxxiii. Objicies 1º. cum P. Oviedo Log. Controv. 2ª. Logica agit de definitione, propositione & argumentatione; sed definitio, propositio & argumentatio important conceptus formales, ergò, &c.

ccxxiv. Respondeo distinguendo minorem; sed definitio, propositio & argumentatio ut mentales important conceptus formales, concedo minorem; ut vocales, aut reales, nego minorem.

ccxxv. Instabis ex eodem, definitioni, propositioni & argumentationi vocali & reali, eatenùs tantùm potest regula præscribi ut rectè fiant, quatenus subsunt mentalibus, ergò, &c. Probatur assumptum, quia cùm in seipsis non fiant; sed in formalibus tantùm, ex quibus resultant, in seipsis dirigi non possunt, sed tantùm in formalibus.

ccxxvi. Respondeo negando assumptum, ad ejus probationem respondeo illas verè in seipsis fieri; sicut reverà in seipsis sunt genus & differentia; subjectum, copula & prædicatum, &c. vel, si hoc nolis, dic illas non fieri in seipsis secundùm entitatem, benè autem secundùm ordinem generis & differentiæ; subjecti, copulæ & prædicati; præmissæ & conclusionis; secundùm productionem hoc potius, quàm alio tempore; præ aliis actibus, &c.

ccxxvii. Objicies 2º, 1ª mentis operatio non est dirigibilis per Logicam, ergò non est de objecto materiali Logicæ: consequentia patet: probatur antecedens, quia sæpè in nobis naturaliter & necessariò excitatur, ergò, &c.

ccxxviii. Respondeo negando antecedens, ad ejus probationem respondeo illas quidem apprehensiones, quæ naturaliter & necessariò excitantur, non esse dirigibiles per Logicam; benè autem alias consimiles, quæ non ita excitantur: quid enim impedit apprehensiones possibiles juxtà has regulas, *ad universale per apprehensionem oportet multa per modum unius apprehendere. Ad definitionem per apprehensionem, oportet unum per modum generis, alterum per modum differentiæ apprehendere*, actu fieri, ac per eas dirigi & regulari.

ccxxix. Nec refert 1º, quòd 1ª, & duæ aliæ mentis operationes sint objectum materiale librorum de Anima: 2º. quòd non habeant objectum determinatum: 3º. quòd 1ª. propter 2ªm tractetur, & 2ª. propter 3ªm; non refert, inquam, quia sunt objectum materiale Logicæ, ut ab ipsa Logica dirigibiles; librorum verò de Anima, ut vitales operationes, ac proindè sub alia consideratione. Deindè ad esse objecti materialis alicujus scientiæ, satis est, quòd sint in se determinatæ, licèt in omne objectum indifferenter tendant: Denique ita 1 propter 2ªm, & 2 propter 3ªm tractantur, ut tamen etjam propter se tractentur.

ccxxx. Objicies 3º. modus sciendi & differendi est objectum Logicæ; ergò non voces, res & tres mentis operationes: Consequentia patet; probatur antecedens; quia inde Logica communiter dicitur modus sciendi alias scientias.

ccxxxi. Respondeo distinguendo antecedens, si modus sciendi sumatur præcisè pro ipsis regulis & præceptis, quibus dirigit ad formandas conclusiones scientificas, modus de illo sciendi, &c. est objectum Logicæ, nego antecedens; quia ut sic nullo modo in Logica tractatur propter se, sed propter tres mentis operationes, &c. quas dirigit, & respectu quarum est Logica docens: si sumatur pro definitione, divisione, propositione & argumentatione, quæ sunt modi sciendi, utpotè principia, ex quibus conclusiones scientificas deducimus, concedo antecedens: verùm modus sciendi ut sic, est ipsæ tres mentis operationes, res & voces.

DVBIVM II.

Quodnam sit objectum formale sub quo Logicæ.

ccxxxii. Dico, objectum formale *sub quo* Logicæ est ipsa dirigibilitas objecti materialis; non quidem in eo sita, quòd definitio v.g. sit secundùm intrinseca sua malefactibilis, ac proindè secundùm intrinseca sua per præcepta Logica bonæ definitionis, v.g. dirigibilis; nam cùm essentialiter constet genere & differentiâ, & non sit definitio nisi iis constet, non est magis, quàm homo, malefactibilis secundùm intrinseca; ac proindè, nec secundùm ea per præcepta Logica bonæ definitionis dirigibilis, (& idem est de propositione, argumentatione, &c.) imò talis essen ialiter esset, etiam impossibilibus factis dictis præceptis Logicæ, ut consideranti patebit; sed in eo, quòd Logica, traditione

traditione regularum & præceptorum, vel, melius, signorum à posteriori, ex quibus cognoscamus aliquid esse bonam definitionem, propositionem & argumentationem, moveat voluntatem ut intellectui potius imperet hunc actum habentem conformitatem cùm dictis regulis & præceptis, vel, melius, signis, quàm alium habentem difformitatem; idem dic proportionaliter de voce & re.

CCXXXIII. Probatur hæc Resolutio; quia non apparet, in quo alio commodius constitui possit, ergò, &c.

CCXXXIV. Objicies, nusquam Logica demonstrat objectum suum materiale esse dirigibile; ergò dirigibilitas, &c. non est objectum formale *sub quo* Logicæ.

CCXXXV. Respondeo distinguendo antecedens, nusquam Logica expresè demonstrat objectum suum materiale esse dirigibile, concedo antecedens: implicitè, nego antecedens: per hoc enim, quòd definitiones, divisiones, &c. dirigat per regulas & præcepta sensu dato, satis demonstrat objectum suum materiale esse dirigibile. Adde Logicam solùm de suo objecto *quod* & materiali aliquid demonstrare debere; non autem de suo objecto *sub quo* & formali, quale est dicta dirigibilitas.

DVBIVM III.

Quodnam sit objectum attributionis Logicæ.

ANtè Resolutionem

CCXXXVI. Suppono ex insinuatis suprà objectum attributionis alicujus scientiæ, esse illud, ad quod cætera illius scientiæ prævia objecta ordinantur & referuntur; quod tamen ex communi pronuntiato, vel hominum beneplacito (quia id fundari non potest in natura objectorum, ut dubio 6°. disputationis 2ª. vidimus) ad alterius scientiæ objectum, non referatur. Hoc suppositio, sit

Resolutio.

CCXXXVII. DIco, objectum attributionis Logicæ est Syllogismus perfectus.

CCXXXVIII. Probatur, quia illud est objectum attributionis alicujus scientiæ, ad quod cætera omnia, quæ in illa tractantur, referuntur & ordinantur; sed Syllogismus perfectus est talis respectu Logicæ; ergo, &c. probatur minor, quia definitio ad propositionem, propositio ad argumentationem perfectam, sivè Syllogismum ordinatur, ergò, &c.

CCXXXIX. Confirmatur 1°. si objectum attributionis Logicæ aliquid aliud esset, maximè esset, vel Syllogismus probabilis sivè opinio, vel scientificus sivè demonstratio: sed neutrum ex his esse potest; ergò, &c. Probatur minor, cur enim demonstratio potius quàm opinio, aut è contrà? neque enim opinio ordinatur ad demonstrationem ut pars illius, neque è contrà demonstratio ad opinionem; neque cognitio opinionis plus juvat ad cognitionem demonstrationis, quàm cognitio demonstrationis ad cognitionem opinionis, ergò, &c.

CCXL. Confirmatur 2°. Syllogismus perfectus comprehendit demonstrationem & opinionem; sed quidquid in Logica tractatur ad alterutram (saltem ex communi pronuntiato, & beneplacito Philosophorum) ultimò ordinatur, ergò, &c.

CCXLI. Adde per Syllogismum perfectum nos hìc intelligere, non Syllogismum perfectum in communi, quia ille ut sic, non est operabilis, prout debet esse objectum Logicæ, præsertim attributionis; sed omnes in individuo, quos importat Syllogismus perfectus ex parte objecti, non quidem ut distinctè cognitos, prout in tali & tali materia exerceri possunt, quia ut sic ad alias scientias particulares pertinent; sed indifferenter quatenus in hac, vel illa materia exerceri possunt; vel potius, quatenus Syllogismos perfectos ex qualibet materia.

DVBIVM IV.

Quid Logica docens & utens; & quomodo inter se distinguantur.

Resolutio I.

CCXLII. DIco 1°. Logica docens actualis, *est actus, quo cognoscuntur regulæ & præcepta benè differendi*, id est, actus, quo cognoscitur modus bonæ divisionis, definitionis, demonstrationis, &c. formandæ: habitualis verò *est habitus ex tali actu relictus inclinans ad similes actus.*

CCXLIII. Adde Logicam docentem ab aliis dici avulsam; quia sistit in sola contemplatione præceptorum & regularum, cum avulsione à certa materia, id est, abstrahendo à materia determinata, in qua ad definitionem, divisionem, argumentationem, &c. applicentur.

Resolutio II.

CCXLIV. DIco 2°. Logica utens actualis, *est actus utens applicans & exercens illa præcepta & regulas in certa materia:* habitualis verò *est habitus ex tali actu relictus inclinans ad similes actus utentes.*

CCXLV. Adde 1°. Logicam utentem actualem ab aliis dici conjunctam; quia præcepta Logicæ docentis actualis conjungit & applicat certæ cuidam materiæ, v.g. Physicæ, Metaphysicæ, &c.

CCXLVI. Adde 2°. Logicam utentem actualem subdividi in utentem activè, & utentem passivè: utens activè *est ipsa Logica docens actualis, ut actu movens voluntatem ad imperandum potius productionem actus conformis regulis & præceptis, quæ tradit, quàm difformis.* Vtens passivè *est quivis actus directus ab utente activè*, sive quælibet definitio, divisio, argumentatio, &c. facta cum reflexione ad regulas & præcepta Logicæ docentis; undè quælibet alia definitio, divisio, &c. sine hac reflexione & vi solius ingenii facta, non est Logica artificialis (de qua hìc) utens passivè, sed naturalis, de qua aliquid infrà. Hinc

CCXLVII. Colliges omnes actus etiam aliarum quarumcumque scientiarum rectè dici Logicas partiales utentes passivè, & consequenter omnes illas simul sumptas esse unam Logicam artificialem, utentem passivè totalem; quòd verò P. Arriaga hìc dicit illas non debere dici Logicam utentem, sed Logicâ utentes, quia non sunt Logica; verum est de Logica utente activè, falsum de Logica utente passivè; nam Logica utens passivè, idem est, quod Logica docta, directa, &c. sivè idem, quod actus per Logicam docentem directi, & utentem activè ad usum redacti, quod optimè convenit illis scientiis, ut consideranti patebit.

Resolutio III.

CCXLVIII. DIco 3°, Logica docens actualis ab utente activè sumpta, non distinguitur realiter, sed solo connotato.

CCXLIX. Probatur 1ª pars, quia nihil evincit talem distinctionem, ut argumentorum solutione

patebit, siquidem unus & idem actus, sub diversa considerationc, potest fungi munere Logicæ docentis actualis, in quantum scilicet cognitio regularum & præceptorum benè differendi, & Logicæ activè utentis, in quantum scilicet actu movens voluntatem ad imperandum potius productionem actus conformis regulis & præceptis suis sivè sibi, quàm difformis, ergò, &c.

CCL. Probatur 2ª pars, quia ille quidem actus, qui cognoscit præcepta & regulas, si ibi sistat, est Logica docens actualis; si verò illa applicet certæ cuidam materiæ, sive si actu moveat voluntatem, &c. est Logica utens activè; sed tota istarum Logicarum distinctio in eo est, quòd utens activè connotet exercitium, quod non connotat docens actualis, ut patet, ergò solo cõnotato distinguuntur.

CCLI. Objicies tamen, datur docens actualis sine utente activè, ergò distinguuntur realiter: antecedens patet à simili ex aliis: sicut enim datur ars docens actu tantùm, sine arte utente actu, ut in eo, qui raucus factus est, ita & Logica, &c.

CCLII. Respondeo distinguendo antecedens; datur docens sine utente activè, secundùm quod utens activè connotat in obliquo, concedo antecedens; secundùm quod importat in recto, nego antecedens; hoc autem solùm est distingui connotato: ad probationem antecedentis similiter distingue, & adde esse disparitatem inter Logicam & cantum, seu artem docendi cantum; nam in Logica, docens & utens activè pertinent ad eandem potentiam, intellectum scilicet; in cantu verò, docens quidem ad intellectum, sed utens ad potentiam vociferativam pertinet, quæ, cùm possit habere specialem difficultatem in voce proferenda, distinctam ab ea, quæ est in intellectu, fit, quòd possit cantus docens distingui realiter à cantu utente activè.

Resolutio IV.

CCLIII. Dico 4º. Logica utens passivè ab utente activè & docente actuali distinguitur plerumque realiter, interdum connotato tantùm.

CCLIV. Probatur 1ª. pars, quia Logica utens passivè plerumque est actus alterius scientiæ directus, utens verò activè & docens actualis est dirigens; sed actus directus alterius scientiæ, & dirigens, distinguuntur realiter, non secus ac ipsæ diversæ scientiæ & diversi habitus, à quibus adæquatè producuntur, ergò, &c.

CCLV. Confirmatur, ubi sunt diversæ difficultates superandæ, requiruntur diversi habitus & actus; sed alia est difficultas superanda in objecto Logicę docentis actualis & utentis activè, alia in objecto utentis passivè, si alterius scientiæ, quàm Logicæ; ergò, &c.

CCLVI. Probatur 2ª pars, quia idem actus potest esse directus unius cognitionis Logicæ, ut v. g. actus definitionis à Logica docente definitionem debere constare genere & differentiâ, & dirigens respectu demonstrationis, quæ constare potest & dirigi definitione, ergò.

DVBIVM V.

An Logica sit propriè dicta scientia, eaque practica, an speculativa.

CCLVII. Antè Resolutionem Suppono 1º. Logicam utentem activè, ut utentem activè formaliter non esse scientiam, quia ut sic nullas habet demonstrationes; sed est mera applicatio Logicæ docentis actualis ad exercitium; nec ullas conclusiones scientificas ut talis elicit, quod ad scientiam necessarium est.

CCLVIII. Suppono 2º. ad hoc, ut aliqua disciplina denominetur scientia, sufficere, quòd per se ordinetur ad aliquid demonstrandum de suo objecto, etsi per accidens nonnullas conclusiones authoritatis humanæ, ut Philosophorum, probabiles & controversas includat; alioqui vix ulla esset scientia, cùm omnes scientiæ tales conclusiones includant, ut constat ex tot opinionum in his diversitate, quæ, non obstantibus summi ingenii viris, qui intrà tot sæcula cõposuerunt, non cessat.

CCLIX. Suppono 3º. eodem jure, ad hoc, ut aliqua scientia denominetur practica, sufficere, quòd per se regulas & præcepta tradat de formando suo objecto, etti aliquas conclusiones speculativas includat; ut ex illis moveatur ad formandas practicas, & sic ordinetur ad praxim dictam. Vndè è nostris eximius P. Bacho in 1ᵘᵐ Prologi. q. 4. art. 2. §. 3º. *verum est quòd habitus dirigens, & utens, & faciens objectũ* (quod est opus) *est practicus*; & infrà *dirigere ad operationem* (sub qua §. 1º. comprehendit intellectualem) *bonam, pertinet ad habitum practicum.* His suppositis, sit

Resolutio I.

CCLX. Dico 1º. Logica est scientia propriè dicta.

CCLXI. Probatur, quia de suo objecto aliquid demonstrat, ut *quòd definitio sit notior definito* hoc modo, *omnis oratio naturam rei explicans est notior explicato; sed definitio est talis, & definitum explicatum; ergò definitio est notior definito*: Item *quòd demonstratio sit scientia* hoc modo, *omnis Syllogismus*, &c.

CCLXII. Confirmatur ex Aristotele lib. 1º. Prior. c. 10. ubi agit de pertinentibus ad Logicam, & tamẽ dicit se eguisse de scientia demonstrativa, ergò, &c.

CCLXIII. Objicies tamẽ ex eodem lib. 2º. Metaph. cap. 3º. *absurdum est simul quærere scientiam & modum sciendi*, per quem intelligit Logicam, & rectè, quia est instrumentum sciendi alias scientias: item enumerans scientias, omittit Logicam, ergò, &c.

CCLXIV. Respondeo Aristotelem per scientiam intelligere distinctam à Logica, ita ut velit absurdum esse quærere Physicam v.g. Medicinam, &c. sinè Logica; quia hæc ad illas acquirendas valdè facilitat, ut dubio sequenti videbimus; quòd verò enumerans scientias, Logicam omittit, est argumentum authoritatis negatæ, quod nihil concludit; vel dic, solas scientias speculativas ibi enumerare.

CCLXV. Adde non magis obstare, quòd Logica sit modus & instrumentum sciendi, ad hoc, ut sit scientia; quàm obstet malleum esse malleum, & simul mallei faciendi instrumẽtum: Logica enim solùm est modus sciendi alias scientias, vel seipsam secundùm diversas sui partes, in quo nullum absurdũ.

QVÆSTIVNCVLA I.

An Logica sit ars.

CCLXVI. Respondeo affirmativè; sive per artem intelligatur actus dictans aliquid faciendum, quomodo est docens; sive intelligatur operatio aliqua externa relinquens opus externum post se, ut ædificatio, quomodo est in definitione, argumentatione vocali, &c. utens passivè; sive actus intellectus dictans tale opus faciendum, quomodo etiam est docens activè.

QVÆ-

QVÆSTIVNCVLA II.

An omnis ars juxtà tertiam acceptionem sit verè scientia practica.

CCLXVII. REspondeo affirmativè, ratio est, quia suas conclusiones per principia evidentia demonstrat, ut ars sutoria, v.g. cum pro bonis calceis faciendis docet *soleam inferiorem debere esse solidiorem* hoc modo, *quod magis teritur debet esse solidius; sed solea inferior magis teritur ; ergò debet esse solidior.* Item ars pharmacopolea, cum docet *odorifera non debere diu bullire*, hoc modo, *quod diu bulliendo odorem suum evaporat, non debet diu bullire; sed pharmaca odorifera diu bulliendo odorem suum evaporant; ergò non debent diu bullire.*

RESOLUTIO II.

CCLXVIII. DIco 2°. Logica est scientia practica, ita Okam & Aureolus cum Nominalibus, D. Murcia & Authoribus Societatis communiter, contra Scotistas & Thomistas communiùs, nominatim PP. nostros Complut. Masium, Sotum, Sanchez, &c.

CCLXIX. Probatur 1°. ex Aristotele 1°. Metaph. cap. 2°. *illa est scientia practica quæ non est gratiâ sui*; sed Logica non est gratiâ sui, ergò, &c. Probatur minor, quia tota est in efficiendis suis objectis v.g. termino, propositione, argumentatione, &c. & ad ea efficienda regulas & præcepta tradit, ergò, &c.

CCLXX. Probatur 2°. quia Logica tota est in formandis definitionibus, propositionibus, &c. quæ sunt praxes, inquantum fiunt juxtà regulas & præcepta de illis faciendis, licèt secundùm se sumptæ, sint speculationes, ergò, &c.

CCLXXI. Confirmari potest contrà Thomistas, ex Divo Thoma opusc. 70. q. 5. art. 1. in Boëtium, ubi expresè affirmat, *Logicam non esse speculativam; sive non contineri sub Philosophia speculativa* & opusc. 71°. q. 4. art. 2°. *cognitionem scientiæ speculativæ quæri propter seipsam*: quod Logicæ non convenit; quia quæritur propter alias scientias (ut ibidem docet) & propter suum objectum efficiendum: quòd autem S. Thomas 1. 2. q. 57. art. 3. ad 3^um^ dicit, *etiam in ipsis speculabilibus est aliquid per modum cujusdam operis, puta constructio syllogismi aut orationis congruæ*, &c. non convincit D. Thomam fecisse Logicam speculativam; sed tantùm opera speculabilia sive intellectualia, ut sunt Syllogismus, oratio congrua, &c. imitari opera Mechanica, externa & per corpus exercita; per ordinem ad quæ habitus speculativi sive intellectuales (quæ confundit) sunt quidem practici cum addito *intellectuales*, & artes cum addito *liberales*; sed practici & artes simpliciter, nonnisi per similitudinem & imitationem; quia scilicet practicum & ars simpliciter dicitur per ordinem ad opera Mechanica, externa & per corpus exercita: hæc patebunt conferenti argumentum 3^um^ cum Resp. ad 3^um^; imò, dum argumentum istud, quod sic habet, *ita artes liberales sunt speculativæ*, quod in sua Responsione impugnat, attendo, videtur D. Thomas omnino sententiam nostram confirmare & oppositam rejicere. Pro solutione verò aliarum objectionum, quæ contrà nostram Resolutionem fieri possent, vide, quæ suprà diximus de scientia practica in genere.

QVÆSTIVNCVLA I.

Quid scientia activa & factiva, & qualis sit Logica.

CCLXXII. REspondeo scientiam activam dici ab actione, ut condistinctà à factione, quomodo est operatio immanens, id est, manens in ipso operante, ut actio intellectus in intellectu, voluntatis in voluntate; undè illa scientia, quæ talem operationem dirigit, dicitur activa: scientia verò factiva à factione, ut condistinctà ab actione, quomodo est operatio transiens in externam materiam, cujus opus remanet post ipsam; sive diu ut domus post domificationem; sive non diu, ut sonus chitaræ post chitarizationem: hinc patet Logicam esse scientiam activam & factivam.

QVÆSTIVNCVLA II.

Quid circa quæstionem, an Logica sit practica *senserit eximius P. noster Facho.*

CCLXXIII. REspondeo mentem ipsius mihi esse valde obscuram, nisi nobiscum dicas ipsum, in 1^um^ Prologi. q. 4. art. 2°. §. 3°. ubi quæstionem hanc tractat; sumere speculativum prout opponitur practico simpliciter, sive illi, quod dirigit ad opus externum, & non prout opponitur practico per similitudinem & imitationem, sive illi, quod dirigit ad opus internum & intellectuale; juxta mentem D. Thomæ. num. CCLXXI. allatam: si verò id nobiscum (quod omnino verisimilius) dixeris; dum docet Logicam esse speculativam prout speculativum practico simpliciter opponitur, idipsum, quod nos, & nihil plus docet.

DVBIVM VI. & VLTIMVM.

An & quantum Logica sit necessaria ad alias scientias acquirendas.

CCLXXIV. ANtè Resolutionem Suppono 1°. Logicam ab Aristotele Rethoric. 1°. cap. 1°. posse partiri 1°. in naturalem actualem, & est cognitio elicita sine adminiculo artis Logicæ, dictans regulas & præcepta ad certò & promptè ratiocinandum; & naturalem habitualem, & est ipsemet intellectus: 2°. in artificialem actualem, & est cognitio elicita cum adminiculo artis Logicæ dictans regulas & præcepta ad certò & promptè ratiocinandum, & talis est Logica, quam tradimus; & artificialem habitualem, & est qualitas inclinans ad similes cognitiones.

CCLXXV. Suppono 2°. dupliciter aliquid dici necessarium: 1°. secundùm quid, sivè ad melius esse, & est id, sinè quo quidem finis haberi potest, sed non tam facilè, quàm cum illo; sic equus, vel currus est necessarius ad iter persolvendum. 2°. simpliciter & absolutè, sive ad esse, & est id sinè quo finis nullatenus obtineri potest, ita est necessaria potentia ad producendum actum, cibus ad manducandum aut vitam producendam. His suppositis, sit

RESOLUTIO I.

CCLXXVI. DIco 1°. Logica naturalis habitualis est simpliciter & absolutè necessaria ad omnes scientias acquirendas, utpotè intellectus ipse; non item actualis: conclusio patet pro utraque parte. Quare sit

Resolutio II.

CCLXXVII. Dico 2°. Logica artificialis ad alias scientias acquirendas est necessaria secundùm quid, id est, ut facilius & commodius obtineantur. Hæc est communis omnium.

CCLXXVIII. Probatur 1°. experientia docet eos, qui in Logica artificiali versati sunt, multò facilius acquirere alias scientias, præsertim quoad conclusiones difficiles & minùs obvias, quàm alii, qui in dicta Logica versati non sunt, ergò, &c. Probatur antecedens, quia callent modum definiendi, dividendi, argumentandi, &c. quæ sunt instrumenta sciendi alias scientias, & se invicem, ergò, &c.

CCLXXIX. Probatur 2°. Logica tradit medium facilè, certò & tutò procedendi in iis, quæ à ratione pendent; sed omnes aliæ scientiæ à ratione pendent, ergò &c.

CCLXXX. Major probatur ex Patribus, à quibus Logica vocatur *scientiarum* Clavis, Regula & Mensura artium, rationis Oculus, humanæ mentis Examen, & Libra veritatis. Plura August. lib. 2°. de ordin. cap. 2°. *Logica docet docere, docet discere, hæc sola scientes facere potest.* Item Hieronymus in Ezechielem: *Quidquid perversorum dogmatum est, & putatur robustum, hâc arte* (puta Logicâ) *subvertitur, & instar incendii in cineres, favillaque dissolvitur*, ergò, &c. Hinc

CCLXXXI. Colliges SS. Patres alios, qui acriter in Logicam invehuntur, asserentes illam perniciosam & à dæmone inventam: non tam in Logicam, vel Logicos invehi; quàm in Logicæ abusum; multi enim sunt Sophistæ, qui Logicâ non utuntur, sed abutuntur, & suis Sophisticis contentionibus ac cavillationibus veritatem oppugnâtes, & suos errores specciosis, sed falsis, argumentationibus comprobantes, Christianos à fide Catholica avertunt: undè Apost. Paul. ad Coloss. 2°. ait, *videte ne quis vos decipiat per Philosophiam & inanem fallaciam*: ex illis autem infero nostram Logicam esse utilissimam; non quâ parte decipere potest; sed quatenùs deceptiones & inanes hæreticorum fallacias facilè detegere potest. Quarè August. lib. 1°. contra Cresconium, Grammatic. 14°. *Stoici maximè Dialectici fuerunt, cur Paulus ne conferrent cum illis; non eos divitavit? aut si Paulus Dialecticus erat, & ideò conferre cum Stoicis non timebat; jam cave ne cuiquam Dialecticam pro crimine objeceris, quâ usos Apostolos consiteris.* Clemens Alexan. 1°. Stromat. *doctrina Salvatoris ipsa sibi sufficit, cum sit potentia & sapientia Dei, si tamen Philosophia accesserit, non quidem valentiorem facit veritatem; sed Sophisticos insultus amolitur, & insidias avertens, sepes est, & lorica divinæ vineæ.* Et certè equidem; si quidpiam ex Philosophia mali Reipublicæ eveniat, malitiæ hominum, non Philosophiæ utilitati adscribendū est: si enim Philosophia Sophistas pariat cavillatores: Theologia hæreticos, Iurisprudentia nebulas forenses & Reipub. pestes, Medicina homicidas, & hominum intoxicatores, parit; quia tamen per se sunt valde utiles, communi voce commendantur.

Resolutio III.

CCLXXXII. Dico 3°. Logica artificialis non est simpliciter & Physicè necessaria ad omnes alias scientias acquirendas, etiam particulares.

CCLXXXIII. Probatur, quia nulla est conclusio naturalis, etiam obscurissima, in particulari, quæ assiduo studio & Logicæ naturalis beneficio, sinè ope Logicæ artificialis, elici non possit, & sic de aliis successivè, ergò, &c. antecedens patet, quia naturalis est.

CCLXXXIV. Confirmatur; vel conclusio erit obscura ratione materiæ, & hæc obscuritas, sive difficultas, à Logica artificiali superari non potest, ut suprà vidimus; sed à scientia, in qua fit, superari debet; vel ratione terminorum, & hanc superare potest intellectus, si præmissis penetrandis sollicitè attendat, ut exemplo Aristotelis constat, ergo, &c.

Resolutio IV.

CCLXXXV. Dico 4°. Logica artificialis est simpliciter necessaria, moraliter loquendo, ad alias scientias difficiles & obscuras acquirendas. ita August. lib. 3°. contra Acad. c. 7. Plato lib. 7°. de Republica. Aristoteles 2°. Metap. 15. nostri Complut. & alii, post ipsos; contrà Iandunum, Iavellum, Conimb. &c. sed

Antè Probationem

CCLXXXVI. Adverte Logicam artificialem à me dici moraliter loquendo simpliciter necessariam, eo sensu, quô Luc. 17. dicitur *necesse esse ut eveniant scandala*; item eo sensu, quô Theologi dicunt hominem non posse diu vitare omne peccatum veniale collectivè, aut observare collectivè longo tempore, omnia præcepta legis naturalis (puta absque auxilio indebitæ gratiæ actualis); quia scilicet homo nimium est suâ voluntate inconstans & instabilis, ut hoc faciat: idem dic de intellectu, quia nimium imbecillis est & ad errandum proclivis, ut unius scientiæ omnes conclusiones scientificas difficiles & obscuras, absq; auxilio Logicæ artificialis sine errore assequatur; licèt absolutè & Physicè possit. Hinc

CCLXXXVII. Probatur conclusio, in omni scientia totali, præter claras ac evidentes conclusiones, sunt nonnullæ obscuræ & inevidentes; ergò Logica artificialis, moraliter loquendo, est simpliciter necessaria, &c. Probatur antecedēs, quia intellectus hominis, ut potè immersus organo corporeo, valdè imbecillis est, & valdè citò debilitatur; imò interdum nimio studio turbatur; quod timens homo, sæpè studium mutat: sed ad acquirendas omnes istas obscuras & inevidentes conclusiones collectivè, imò etiam sæpè (ut experientia docet) ad unam similem acquirendam, requiritur magna virtus, optima constitutio intellectus, itemque longum studium, imò longius interdum, quam duret vita hominis, ergo, &c.

CCLXXXVIII. Objicies 1°. potest ingeniosus aliquis omnes conclusiones obscuras distributivè acquirere; ergò & omnes collectivè.

CCLXXXIX. Respondeo 1°. antecedens moraliter fortè esse falsum, ut ex allata probatione patet. 2°. retorquendo argumentum in scandala, peccata venialia & præcepta, de quibus suprà; deinde possum equitare sine omni equo distributivè; ergò & sine omni equo collectivè, negatur consequentia; à sensu enim distributivo ad collectivum, per se nulla est consequentia, ut patebit in Physica, Disp. de Infinito.

CCLXXXX. Objicies 2°. Logica artificialis solo beneficio intellectus ob Aristotele inventa est; sed Logica est scientia, ergò similiter aliæ scientiæ sine Logica artificiali, solo beneficio intellectus acquiri possunt.

Respon-

CCLXXXXI. Respondeo negando majorem; quia præterquam quòd Logica artificialis, 1^um^ fuerit Adamo infusa, sed postmodum, vel per peccatum, vel injuriâ temporum emortua, nō est ab uno viro, aut unius anni spatio vivificata, & mundo restituta; sed longâ plurium observatione, & multorum Sæculorum usu; eam tamen post Arabes multùm illustravit & auxit Aristoteles (præsertim quoad artem Syllogizandi) qui ideo per anthonomasiam Philosophus dicitur: pro illis autem vide Iosephum 1°. Antiquit. Eugubinum & alios.

CCLXXXXII. Instabis; multi fuerunt insignes Iurisperiti & Medici sine Logica artificiali, ergò, &c.

CCLXXXXIII. Respondeo negando antecedens; nam tales Iurisperiti non possunt omnes conclusiones, (etsi fortè possint aliquas) in tota materia juris certò demonstrare; sed psitacorum more solâ memoriâ, partem illam juris, quæ de consuetudinibus & legibus tractat, taliter, qualiter callent; nec illa eorum notitia dici debet scientia, sed actus memoriæ: Medici verò, de quibus etiam in Instantia, non scientificam medicamentorum notitiam, sed experimentalem dumtaxat habuerunt; Artificialem tamen habuerint, si, tum hi, tum alii, Logicam hanc, assiduè legendo, & maturè speculando, ad majorem Dei gloriam & Virginis Matris honorem nobiscum finierint.

FINIS.

Th
929a